3 1761 08824223 5

LL
S1698 diC

C. SALUSTI CRISPI

CATILINA ET IUGURTHA.

ALIORUM SUISQUE NOTIS

ILLUSTRAVIT

RUDOLPHUS DIETSCH,

PH. DR. A. L. M., ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI

COLLEGA VII.

VOL. I. CATILINA.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

3364
19/5/90

SCHOLIS

REGIIS PROVINCIALIBUS

PORTENSI ET AFRANAE

DOCTRINAE VIRTUTIS PIETATIS

SEMINARIIS CELEBERRIMIS

TERTIA SAECULARIA

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

CONGRATULATUR

HENRICUS RUDOLPHUS DIETSCH.

PRAEFATIO.

Cum socer meus, vir honestissimus, optasset, ut scriptoribus Latinis classicis, qui proximis hisce viginti annis ex eius officina prodierunt, Salustius adiiceretur, mihique eius edendi negotium mandasset, quod ut susciperem, cum pietas me cohortabatur, tum studiorum meorum rationes, ab ineunte adolescentia susceptae, id mihi agendum putavi, ut non solum verba scriptoris ad optimorum librorum fidem exhiberem, sed ampliore commentario et quas rationes in arte critica factitanda secutus essem, explicarem, et simul quia cognoveram, eius scriptoris libros magis privatis studiis, quam publicis scholis tractari solere, quae a viris doctissimis, Cortio, Gerlachio, Herzogio, Kritzio, Fabrio, recte et utiliter

explicata essent — quae quam multa sint, unusquisque videbit —, et quae mihi ipsi de scriptoris ingenio ac stylo, maximeque de rebus ab eo narratis monenda viderentur, tironum in usum afferrem. Iam nihil magis in votis habeo, quam ut ex hac mea opera ac labore aliqui fructus in hoc studiorum genus redundet.

C. SALUSTI CRISPI

C A T I L I N A.

I. Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri obe-

I. 1. *qui sese student praestare*] Verba, quae desiderium et studium significant, ab optimo quoque scriptore saepe cum accusativo pronominis reflexivi et infinitivo coniungi notum est. Et ad sententiam quidem nihil interesse, utrum acc., an nom. c. inf. ponatur, verissime observavit Krüger Unters. a. d. Geb. d. Lat. Sprachl. Fascic. III, § 132, p. 332 sqq.; apparet autem, per accus. c. inf. maiore cum vi id, quod cupiatur, efferri. Cfr., quod unum apud Sal. reperitur huius constructionis exemplum Iug. 14, 3: *vellem potius ob mea, quam ob maiorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere* et vid. ad Cat. 7, 6. — *summa ope niti*] cfr. Cat. 38, 2; Iug. 9, 2; 31, 17; *summa ope enisum* Iug. 25, 2; *maxuma ope niti* Iug. 14, 20. Sal. ablativum huius subst. non nisi cum verbo *niti* coniunctum usurpavit (eodem fere modo Cic. ad Att. XIV, 14 fin.: *omni ope atque opera enitar*); sed cum aliis verbis alii scriptores ut Liv. I, 23; III, 50; IV, 50; VII, 17; IX, 26; XLV, 13; Cic. pr. Mil. 11, 30: *ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* — *ne vitam silentio transeant*] Quemadmodum, qui *silentio castris egrediuntur* (Iug. 106, 4), cavent, ne hostes id, quod agant, animadvertant, ita vitam silentio transire dicuntur, qui ita vivunt, ut alii eos vivere plane non sentiant. — *prona*] Bestiis, cum os ad coelum tollere non possint, ne corporis quidem libere movendi potestas est; tales a natura factae sunt, ut in terram procumbant, neque alia, nisi pastus cupiditate regantur. Cecinit Ovid.

2 dientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est.
3 Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis

---

Met. I, 84: *Pronaque cum spectent animalia cetera terram, os homini sublime dedit coelumque tueri iussit et erectos ad sidera tollere vultus* et Sil. Ital. XV, 84: *Nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus sustulerit Deus ac sublimia finxerit ora, cum pecudes volucrumque genus formasque ferarum segnem atque obscoenam passim stravisset in alvum?*

2. *Sed*] Opponitur haec sententia ultimae praecedentis enuntiati parti; nexus hic est: Homines niti decet, ne nihil agant, ut pecora; haec natura prona atque ventri obedientia finxit (nil nisi corpora esse dicas); sed nos animo et corpore constamus. — *animi imperio, corporis servitio magis utimur*] Ut Caes. B. G. VI, 15: *administris ad ea sacrificia Druidibus utuntur*, ita recte Sal. corporis servitio nos uti dicere potuit. Omnino verbo *uti* saepissime Latini scriptores usurpant, cum nihil aliud, nisi aliquid alicui esse significari volunt. Sententia est: animus magis imperator, corpus servus nobis est. Cfr. Iug. 1, 3: *sed dux atque imperator vitae mortalium animus est.* — *alterum*] De neutro ad subst. *animus* relato vid. Zumpt. Lat. Gr. § 368; Ramshorn. § 92, 1. p. 274; Schulz § 71, 1. cfr. infr. 7. Quam saepe Sal. neutra ad alius generis substantiva retulerit, exemplis comprobando supersedere videmur posse, cum ubique plurima inveniantur.

3. *Quo*] „Ubicunque *quo* vel *eo* ante comparativum leguntur, comparationi inserviunt, ita ut modus indicetur, quanto aliquid alteri praestet, quod ipsum tamen saepenumero non est expressum, sed cogitatione suppleri debet. Velut nostro loco ita fere sententiam expleveris: alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est; quae cum ita sint, quanto imperator servo, dii praestant beluis, tanto rectius etc. Eandem explicandi rationem reliqua exempla poscunt, ut 13, 5; 37, 8; [52, 35; 58, 12]; Iug. 2, 4; [14, 19]; 85, 6." Kritz. vid. ad 20, 3. — *ingeni quam virium opibus*] Pluralis *opes* omnia ea complectitur, quae alicui ad usum in aliqua re praesto sunt. „*Vires* semper ap. Sal. sunt corporis vires. cfr. Iug. 1, 4; 6, 1. Fragm. III, 22; 28." Fabri. Tirones monendi sunt, singulari numero, nisi apposito genit. *corporis*, neque sic usum esse Sal., neque uti potuisse. *Ingeni opes* dixit etiam Cic. d. Fin. I, 16, 52: *et opes vel fortunae vel ingenii liberalitati magis conveniunt.* — *vita ipsa, qua fruimur*] „Non simpliciter dixit *vita*,

est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam 4
divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est; virtus
clara aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis 5

---

sed *vita ipsa*, *qua fruimur*, quoniam vitam, cuius nobis copia fit corporis beneficio, opponit ei, quae rerum gestarum memoriae debetur." Kritz. — *quam maxume longam*] *Vitae brevi* opponitur *memoria longa;* quare verba *quam maxume* non cum *longam*, sed cum *efficere* coniungenda sunt. Separavit autem S. subst. et adi. compluribus interpositis verbis, quo maiore numero utrumque efferretur. cfr. Grysar Theor. d. Lat. St. p. 642, 3. —

4. *Virtus clara aeternaque habetur*] Recte haec adiectiva praecedentibus opponuntur. Nam quae fluxa sunt, i. e. instabilia et quasi diffluentia, commode nosci non possunt, itaque clara non sunt; quae fragilia, non sunt diuturna. Praeterea caveant tirones, ne *habetur* idem esse arbitrentur, atque *creditur*, *putatur*. Saepissime enim coniungitur id verbum cum accusativo praedicati, ut tamen propriam suam vim retineat, adiiciatur autem, quale id sit, quod possidetur. Sic 2, 2: *lubidinem dominandi caussam belli habere;* 33, 1: *neque amisso patrimonio liberum corpus habere;* 41, 5: *dentque operam, uti eos quam maxume manifestos habeant* (cfr. Iug. 33, 4); 52, 7: *multos mortalis ea caussa advorsos habeo;* ibid. 29: *pulcherrumam eam* [rem publicam] *nos haberemus;* 94, 3: *quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat.* Nec diversum est Cat. 23, 4: *tale periculum rei publicae haut occultum habuit*, etsi verbi *habere* ibi non tam possidendi, quam tenendi et conservandi significatio est. Atque huc referenda sunt etiam illa, ut *compertum habere*, quod cave idem esse putes ac *comperuisse;* cfr. Zumpt. § 634. Eodem modo h. l. passivum usurpatum est, ut sententia sit: Virtus ita semper habetur, ut clara aeternaque sit, sive: qui virtutem habet, rem habet, quae clara aeternaque est. Paulo diversum est Iug. 89, 4, quem ad locum vide quae annotabimus. Locum accusativi praedicati interdum substant. c. praep. obtinet, ut Cat. 58, 17: *audacia pro muro habetur* (diversum tamen est Iug. 31, 13). Omnino Salustius verbo *habere* saepissime, et nescio an saepius, quam quisquam Romanorum scriptorum usus est.

5. *Sed diu*] Sententiarum nexus hic est: dixi rectius esse, ingenii quam corporis virium opibus gloriam quaerere; at non semper neque omnes homines sic iudicarunt; diu enim cet. Adi. *mortalis* recte pro *homo* usurpatur, ubi universum genus humanum distinguitur ab iis, quibus non mortalis natura est, ut 2, 8; 6, 3; 10, 5; 12, 3; 20, 11; 33, 4; 36, 4; 51, 11; 12; 15; 20; Iug. 1, 3; 2, 4; 6, 3; 10, 2; 41, 1; 72, 2; 92, 2; sed Salustius studio quo-

certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris
6 magis procederet. Nam et prius quam incipias, consulto,
7 et, ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque
per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

II. Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperi id primum fuit), divorsi pars ingenium, alii corpus exer-

---

dam gravitatis et magnificentiae saepe eo vocabulo etiam ubi simpliciter *homines* dicendum erat, usus est, ut 52, 7; Iug. 17, 7; 20, 3; 28, 1; 7; 31, 7; 47, 1; 54, 6; 62, 1; 65, 5. Id exemplum secuti sunt Livius et Tacitus.

6. *Nam*] Nempe propterea inter homines diu non convenit, utrum corporis an ingenii vires in bellis plus valerent, quoniam utrisque maxime opus est. — *Opus est*, ubi cum verbo coniungatur, semper cum abl. part. pf. pass. coniungi vere monuit Fabri. cfr. Zumpt. § 464; Ramsh. § 142, 2. N. 2. p. 431.

7. *indigens*] Cuiusnam rei utrumque indigeat, ex sequentibus verbis satis intelligitur. Similiter usus est hoc participio Cic. d. Off. II, 15, 54: *et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum est.* — *alterum alterius*] per epexegesin ad *utrumque* referri vix est, quod moneamus. cfr. Cat. 22, 7: *quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii*; 52, 28: *alius alium exspectantes cunctamini;* Iug. 14, 15: *affines, amicos alium alia clades oppressit;* 46, 4: *legatos, alium ab alio divorsos aggreditur;* 53, 8: *milites alium alii laeti appellant.* cfr. Ramsh. § 200, III, 1. a. p. 916.

II. 1. *Igitur*] Haec particula a Sal. semper maiore cum vi in initio sententiae ponitur; in interrogationibus vero, in quibus vocabulum interrogativum maiore numero efferendum est, secundum locum tenet Cat. 20, 14; 51, 43; Iug. 31, 18. or. M. Aem. 24; semel or. Licin. 14 etiam tertium. Omnino ea Sal. multo frequentius (septuaginta quinque locis) usus est, quam *ergo* (quater) et *itaque* (septies et vicies). Ceterum *igitur* primo loco ponere magis antiquorum, postponere magis Ciceronis et posteriorum esse satis constat. Itaque fert natura linguarum, ut quarum particularum antiquiores maiorem vim esse voluerunt, earum vis tempore procedente paulatim extenuetur et imminuatur. — *divorsi*] recte Kritzius explicavit: „in contrarium abeuntes, res inter se oppositas sequentes.“ — *pars — alii*] De constructione cfr. Ramsh. § 96, 4 d. p. 286. Quantopere Salustius in talibus divisionibus orationem variare amet, ipse observabit, qui in eam rem attentus erit. —

cebant; etiamtum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia 2
Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere

---

etiamtum] semper est nostrum *noch* atque usurpatur de iis rebus, quae cum antea fuerint, postea esse desierunt. cfr. Iug. 21, 2; 40, 4; 51, 2; 54, 5; 63, 6; 103, 6. Sententia haec est: cum vita hominum sine cupiditate ageretur, bella aut nulla erant, aut rara; quare nondum potuit recte iudicari, utrum in iis ingenium an corpus plus valeret; nullus enim erat in re bellica usus. — *sine cupiditate*] Cupiditatem esse effusionem animi in appetendis alienis (Cic. Tusc. IV, 31, 66), satis apparet ex sequentibus verbis; cui enim sua satis placent, aliena non appetet. — *agitabatur*] Salustius, verborum gravitatis studiosissimus, cum omnino verba frequentativa (de vi horum verborum adeas Ramsh. § 84, II, 5, p. 257; Z. § 231, 1; Held. ad Caes. B. C. I, 14, 1), tum maximopere *agitare* amavit. Et dixit propria significatione Iug. 53, 1; 79, 6; 60, 4; de re publica permota Cat. 38, 3; Iug. 37, 1; de animi vehementi perturbatione Cat. 5, 7; Iug. 25, 6; 74, 1; deinde de iis, quae cogitamus et constituimus, mente quasi huc illuc volvimus aut addito *animo* vel simili vocabulo, aut omisso Cat. 20, 5; 53, 4; 57, 2; Iug. 63, 1; 93, 2; 113, 3; et cum adverbio omisso obiecto Iug. 11, 1; tum de rebus, quas maximopere perficere studemus Cat. 24, 2; 27, 3; 42, 2; Iug. 14, 2; 35, 4; 39, 4; 54, 2; 66, 1; pass. impersonaliter Iug. 41, 7 et act. omisso obiecto Iug. 63, 5; quo pertinent etiam *imperium agitare* Cat. 9, 5; *praesidium agitare* Iug. 55, 4; 85, 33; nec multum diversa sunt exempla, in quibus de animi habitu et vitae condicione dictum est, ut *pacem agitare* Iug. 14, 10; 29, 7; 109, 2 (*bellum an pacem agitaturus foret*); *inducias agitare* Iug. 29, 4; *moras* Iug. 81, 4; *gaudium atque laetitiam* Cat. 48, 3 coll. 61, 9: *laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur;* praeterea de rebus, quae sermonibus deliberantur Iug. 27, 1; pass. impers. Iug. 30, 1, et act. intransitive de verborum iactatione seseque gerendi ratione Cat. 23, 3; et quemadmodum *id agitur* frequentatum est, sic Sal. *id agitatur* scripsit Iug. 70, 3; postremo intransitive usus est de iis, qui per loca et regiones varie huc illuc moventur Iug. 18, 9; 59, 1; 94, 4; 98, 4 (*sich herumtreiben, sich aufhalten*). Recte vero hoc loco scriptum est *vita agitabatur;* quoniam etiam sine cupiditate ac avaritia vita variis hominum studiis et voluntatibus quasi huc illuc movetur.

2. *Postea vero quam*] cfr. Iug. 29, 3; Cic. Ep. ad Fam. III, 7, 5: *postea vero quam ita et cepi et gessi maxuma imperia.* Simile tmeseos (sic enim appellarunt Grammatici quamquam parum

urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi caussam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis compertum est,
3 in bello plurumum ingenium posse. Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent,

---

recte) exemplum est: *cuius rei lubet* 5, 4. — *periculo atque negotiis*] negotia sunt tales res, in quibus otio frui nobis non licet, cum multa magnaque agenda sint. *Laboribus* non potuit scribere Sal., quoniam labores perferre est animi constantiae; negotia peragere ingenii sollertiae.

3. De partic. *quodsi* vid. Zumpt. § 342 et 806. — *Valet* id quod efficax est. At ex efficacia, quam habet animi virtus, eius magnitudo aestimatur. Quare hoc dicit scriptor: si reges atque imperatores aeque magnam in pace, ut in bello animi virtutem ostenderent. Aptissime igitur haec sententia cum praecedentibus coniuncta est: in bello negotiis atque periculo reges atque imperatores intellexerunt, animi virtutem plurimum posse; in pace eadem pariter opus esse, nondum videntur compertum habere; id si esset, cet. Recte praeterea *reges* atque *imperatores* distinguuntur. Imperator enim apud Romanos, postquam magistratuum potestas domi arctioribus finibus circumscripta est, ita ut in bello tantum liberum omnium rerum arbitrium (i. e. imperium) penes eos esset, legitimo usu dicebatur qui bellum suis auspiciis gereret; tum qui praeclaro proelio facto militum acclamatione senatusque consulto eo nomine appellatus esset (cfr. Huschke ad Inc. Auct. mag. et sac. Pop. Rom. expositt. inedit. Vratisl. 1829 p. 77—88); sed omnes scriptores eo nomine antiquiore significatione, ut videtur, saepe ita usi sunt, ut omnino qui in civitate rebus praeessent, significarentur. Sic Sal. 6, 7 *consules* appellavit *imperatores*. Iam cum imperium apud Romanos nemo hereditate acciperet, sed semper a populo magistratibus tribueretur, proprie is tantum imperator dici potest, qui ab alio imperium accepit, cum reges suo iure id teneant. Quare Iug. 24, 7 Adherbal scribit, *se a populo Romano Numidis imperatorem positum esse.* Diverso modo tamen Iug. 31, 20 Romani appellantur *omnium gentium imperatores.* — *aequabilius atque constantius*] cfr. Tacit. Annal. XV, 21, 4: *quae si arceantur, aequabilius atque constantius provinciae regentur.* Ceterum observes opposita; constantia enim cum sint ea, quae semper eodem loco manent, adverbio *constantius* opponitur *aliud alio ferri*, *aequabilius* vero *mutari ac misceri omnia*, si quidem aequabilia sunt ea, quorum semper eadem forma est.

neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cer-
neres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus 4
initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro con- 5
tinentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna
simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad 6
optumum quemque a minus bono transfertur. Quae homi- 7

---

4. Ut, qui sententiarum nexus sit, recte intelligas, tenendum est, omnes perturbationes in civitatibus ex contentionibus de imperio nasci. — *his artibus*] *Ars* cum vere sit rei, quae ad victum cultumque pertineat, fabricandae dexteritas, inde transfertur ad omnem agendi rationem, sed ita plerumque ut consuetudo quaedam agendi, aut vitium aut virtus, significetur. Cfr. 3, 4; 5, 7; 9, 3; 10, 4; 11, 2; 13, 5; Iug. 1, 3; 2, 4; 4, 7; 8, 2; 22, 2; 28, 5; 41, 1; 2; 43, 5; 48, 1; 63, 3; 82, 3; 85, 1; 9; 43; 96, 4. Pronomini *hic*, ubi cum relativo enuntiato coniunctum est, semper sua vis est, ut quod praesens aut est aut cogitatur, notet, relativum enuntiatum ad accuratius rem significandam insuper addatur; contra ubi relativo id continetur, quod solum rem illustret, non *hic* sed *is* dicendum est; cfr. Zumpt § 127. Igitur *hic* ibi tantum scribendum est, ubi relativum enuntiatum salva sententia abesse potest; separanda vero sunt ea exempla, in quibus relativum enuntiatum praecedit, quoniam res, iam significata, eo facilius praesens cogitatur. Iam h. l. cum *hic* quodammodo defendi possit, quippe cum Sal., quae artes intelligendae sint, iam antea satis dixisse videatur, mutare nolui, quamquam fateor, rectius mihi videri *iis* seu potius antiquiore more *îs*, cum relativo omisso obscurior esset sententia. Vide quae ad 5, 7; 10, 2; 13, 1; 20, 7; 22, 3; 51, 8 monebimus.

5. *invasere*] *Invadere* c. acc. legitur 5, 6; 12, 2; 31, 1 (ubi *omnis* antiquior forma accusativi pluralis est); 36, 5; Iug. 10, 1; 20, 3; 6; 21, 2; 24, 1; 32, 4; 35, 9; 39, 1; 49, 3; 50, 3; 58, 1; 59, 2; 84, 3; 87, 4; 89, 6; 97, 3; 98, 1; 101, 4; 5; 106, 6; 113, 6; absolute, ut h. l., dictum est 10, 6; Iug. 41, 9; 85, 3. Sic etiam alii scriptores, Terent. Hecyr. II, 2, 21: *an dolor repente invasit.* Liv. V, 13: *dulcedo invasit plebeios creandi.* Caes. B. C. I, 14: *Quibus rebus Romam nuntiatis tantus repente metus invasit.* Eodem modo *incedere* usurpatur; vid. ad 7, 3.

6. *transfertur*] Bene monuit Kritzius idem esse ac *transit*, vel, ut Tacitus loquitur, *cedit in optimum quemque* (Annal. I, 1: *et Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere*).

7. Postquam Sal. demonstravit, in rebus publicis ingenium plurimum posse, iam idem etiam in privatis rebus valere adiungit,

8 nes arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur.
9 Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima

---

tum ad id redit, quod in principio libri proposuerat, vituperandos esse eos, qui neglectis animi bonis totos se libidinibus atque inertiae tradant. Verborum *quae homines arant, navigant, aedificant*, sententia est: quaecunque homines in privatis negotiis agunt, sive arant, sive navigant, sive aedificant; igitur per celeritatem quandam cogitandi scriptor pro notione generali ea posuit, quae illa comprehenduntur ac continentur; *parent* deinde dictum est pro: omnia ex virtute pendent; nihil eorum sine virtute fieri potest. Etenim qui alii paret, nusquam est, nisi ubi ille vult, nil agit, nisi quod ille vult, prorsus nihil sine eo facit. Haud dissimiliter Horatius eo verbo usus est Satir. II, 3, 94: *omnis enim res, virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris divitiis parent;* i. e. non sunt, nisi ubi divitiae sunt; id quod poëta illustrat sequentibus verbis: *quas qui construxerit, ille clarus erit, fortis, iustus* cet.

8. *indocti incultique*] Illud ad rerum scientiam, hoc ad mores referri, apertum est. — *sicuti peregrinantes*] Qui in aliquo loco peregrinantur, consuetudinis civium omniumque rerum ignari esse solent (cfr. Cic. Rabir. 10, 28: *adeone hospes huiusce urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare?*); quare recte *sicuti peregrinantes* additum est. Nam qui somno atque ventri dediti, indocti incultique sunt, vivere nesciunt, igitur in vita quasi hospites sunt. Vocabulo *anima* passim Latini scriptores pro *animus* usi videntur esse; Iug. 2, 1. Cic. N. D. I, 31, 85: *numquam vidi animam rationis consiliique participem in ulla alia, nisi humana figura.* — *iuxta*] Saepius Sal. ad significandam aequitatem usus est; semper fere ita, ut quae comparantur per copulativam particulam coniuncta sint; per *que*, ut h. l. 61, 6; Iug. 67, 2; 85, 47; 88, 1; per *et* Cat. 51, 30; Iug. 85, 33; *iuxta ac* legitur Cat. 37, 8; Iug. 45, 2 (*iuxta ac si*); *iuxta atque* Iug. 95, 3; asyndeton admissum est Iug. 72, 2 et praep. *cum* adiuncta Cat. 58, 5: *iuxta mecum omnes intelligitis.* Locorum propinquitatem semel significat, Iug. 65, 2; sed ibi quoque adverbium est. De verborum *aestumo* et *existumo* discrimine dicetur ad 8, 2.

9. *Verum enimvero*] Saepius his particulis Livius et reliqui historici utuntur, quam Cicero atque Salustius, apud quem praeter

videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere rei publicae, etiam bene dicere haut absurdum est; vel pace, vel bello clarum

---

hunc locum tantummodo Cat. 20, 10 leguntur. Significationem bene illustravit Z. § 348 not. extr. Opponuntur autem haec non tam proxime praegressis, quam illis: *multi mortales indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere.* — De *demum* vid. ad 12, 5. — *vivere atque frui anima*] *Animam* h. l. idem significare, quod *vita*, quivis intelligit; cfr. 1, 3. Saepe vero Romani ei quod praecessit, per particulam *atque* adiungunt, quo res accuratius definitur. Cfr. Z. § 333. Grysar Th. d. L. St. p. 468. Exemplum invenies 5, 9 et Caes. B. G. IV, 2: *prava atque deformia.* — *aliquo negotio intentus*] Ablativus non cum *intentus* coniungendus est, sed cum verbo *quaerit*, et *intentus* absolute dictum est, ut saepissime ap. Sal. 4, 2; 8, 5; 27, 2; Iug. 23, 1; 30, 3; 40, 3; 44, 3; 46, 5; 53, 5; 55, 3; 57, 3; 60, 3; 91, 4; 93, 4; 100, 4. Cum dativo coniunctum est 54, 4; Iug. 76, 2; 89, 3; 94, 3; 5; cum infinit. Iug. 49, 3. cfr. praeterea infr. 46, 5. Cum ablativo ubi coniunctum sit, equidem nullum exemplum novi. — *artem bonam* dici rei utilis et honestae, viro ingenuo ac liberaliter instituto dignae scientiam, vix est, quod moneamus.

10. *in*] *In* c. abl. saepe secundariae enuntiationis instar esse, qua rei alicuius condicio indicetur, itaque h. l. interpretandum esse. cum magna copia rerum sit, recte monuerunt Cortius et Kritzius. cfr. Iug. 31, 24. Hand Turs. III, p. 258, n. 16.

III. 1. *bene facere rei publicae*] Vere iam ab aliis monitum est, in *facere* maiorem vim inesse, quia opponatur *dicere*, ut paulo post *fecere* et *scripsere* et 8, 5 *facere* et *dicere* opposita sunt. Sententia est: talia facere, quae rei publicae procedant, cfr. Iug. 85, 5 et 9; Cat. 8, 4. Referri *facere* ad praegressum *praeclari facinoris*, *bene dicere* ad *bonae artis* vix est quod moneamus. — *haut absurdum*] *Absurdus* cum proprie dicatur de sonis, qui ab surdis hominibus proferuntur, quoniam ii solent rauci, inconditi, absoni esse, transfertur ad omnia, quae displicent, aut indecora et inhonesta, homine indigna sunt. Litotem, per quam *haut absurdum est*, idem est, ac *magnae laudi est* Cortius illustravit exemplis comparatis Cat. 19, 2: *neque invitus* i. e. lubens; 23, 1: *natus haut obscuro loco;* 60, 3: *haut timidi resistunt;* Iug. 8, 1: *Iugurthae non mediocrem animum accendunt.* Ceterum ne in sequentibus praepositionem *in* requiras, memineris oportet, non dici, quo quis tempore clarus fiat,

fieri licet; et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere,
2 multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi hautquaquam par gloria sequitur scriptorem et actorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis exaequanda sunt; dehinc quia plerique, quae delicta

---

sed rebus vel bellicis vel domesticis praeclare gestis clarum fieri licere; cfr. quae Fabrius laudavit, Iug. 19, 7; 39, 1.

2. *tametsi — sequitur*] De part. *tametsi* ad Iug. 33, 2, de significatione verbi *sequi* ad Cat. 54, 6 dicetur. Recte indicativus scribitur; etenim scriptor non profert, quod dubium sit, sed quod rerum usu satis cognitum. — *actorem*] Cum Gerlachio et Orellio *actorem* scripsi pro *auctorem* et codicum auctoritati obsecutus et, quod sententia postulat, ut scriptoribus rerum ii opponantur, qui in rebus gerendis operam suam collocant, non qui rerum gerendarum consilia ineunt. Illi vero rectius dicentur *actores*, hi *auctores*. Prorsus eadem ratione Cicero opposuit oratori actorem d. Orat. III, 15, 57: *ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum*, quibus verbis expressa sunt illa Homeri Il. IX, 442: *τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα, μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.* Vid. praeterea ad Iug. 1, 4. — *arduum*] A. Gellius Noct. Att. IV, 15 postquam hunc totum locum protulit, sic pergit: *Proposuit, inquiunt, dicturum caussas, quamobrem videatur esse arduum res gestas scribere, atque ibi non primum caussam, sed querelas dicit. Non enim caussa videri debet, cur historiae opus arduum sit, quod ii, qui legunt, aut inique interpretantur, quae scripta sunt aut vera esse non credunt; obnoxiam quippe et obiectam falsis existimationibus eam rem dicendam magis aiunt, quam arduam, quia quod arduum est, sui operis difficultate est arduum, non opinionis alienae erroribus. Haec illi malevoli reprehensores dicunt; sed arduum Salustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Graeci δυσχερές aut χαλεπόν appellant, quod est tum difficile, tum molestum quoque et incommodum et intractabile, quorum verborum significatio a sententia Salustii supra scripta non abhorret.* — *facta dictis exaequanda sunt*] *Dictis* ablativum esse, non dativum, manifestum est. cfr. Ramsh. § 124, VI, p. 367; Z. § 388, n. 1. Sententia alia esse non potest, nisi haec: ita narrandae res sunt, ut oratio quasi imago earum sit, cavendumque scriptoribus, ne effingant ab iisque, quae sunt quasi archetypi, decidant et labantur. Ea sententia illustratur loco Liv. VI, 20 med.: *et cum ea quoque, quae bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica,*

reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Sed ego adulescentulus initio, 3

---

facta dictis aequando, memorasset et Plin. Epp. VIII, 4: *optime facis, quod be..um Dacicum scribere paras. Nam quae tam recens, tam copiosa, tam lata, quae denique tam poëtica et quamquam in verissimis rebus tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus iniectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita regem nihil desperantem. Super haec actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit. Una sed maxima difficultas, quod haec aequare dicendo arduum, immensum, etiam tuo ingenio, quamquam altissime assurgat et amplissimis operibus increscat.* — *dehinc*] In enumeratione pro *deinde* dictum rarissimum est; ad tempus translatum frequentius; cfr. Iug. 85, 1. Cum Salustii sententia praeclare conveniunt, quae Thuc. II, 35 Periclem dicentem fecit: *Χαλεπὸν γὰρ τὸ μετρίως εἰπεῖν, ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται· ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι, ὅ τε ἄπειρος ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι· μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοι οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε· τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν*; quem consensum vix fortuitum esse dicas. — *memores*] „Cfr. Cat. 26, 3; Iug. 25, 4; 28, 4. Omnino complura verba, quae alias accusativum obiecti asciscunt, a Sal. interdum cum praep. *de* coniunguntur; sic *absolvere* Cat. 4, 3; *cognoscere* Iug. 73, 1; 82, 1; 87, 4; 97, 4; *praeterire* Iug. 4, 2; *abnuere* Iug. 84, 3; *indicare* Cat. 48, 6." Fabri. Etiam *admonere*, quod alibi cum genit. vel acc. construitur, cum *de* coniunctum est Cat. 5, 9. Et comparari poterit *accipere*, quod cum acc. vel acc. c. inf. coniungi solet; Iug. 21, 4: *postquam Senatus de bello eorum accepit*; 73, 1: *de ambobus acceperant*; 110, 6: *de re publica vostra — paucis accipe.* — *supra ea*] Paulo durius Sal. praepositionem cum casu suo posuit pro relativo enuntiato: quae supra ea sunt, sive: quae ea superant, eorum modum excedunt. Haud prorsus dissimile est Iug. 85, 1: *mihi contra ea videtur*, quod est: mihi, quod his contrarium est, verum esse videtur.

3. *adulescentulus*] Constat a Romanis adolescentes dictos esse omnes, qui inter annum quintum decimum vel septimum decimum et

sicuti plerique, studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia,
4 pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tam-

---

quadragesimum quintum aetatem agerent. Eodem modo usurpatur deminutivum, ita tamen ut semper iuvenilis ardor et vigor oppositi cogitentur senili moderationi, prudentiae, rerum usui. Sic Cat. 49, 2 Caesar appellatur adolescentulus, cum iam annum aetatis tricesimum tertium ageret. Quot annos natus fuerit Sal., cum ad rem publicam accederet, alio loco dictum est. — *studio ad rem publicam latus sum*] *Ferri* ut de festinatione ad aliquem locum (cfr. Caes. B. C. III, 78, 1: *timensque Domitio, ne adventu Pompeii praeoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio incitatus ferebatur;* ibique Held), ita de animo, cupiditate ad aliquam rem rapto dicitur. Caes. B. C. II, 12: *milites aversi a proelio ad studium audiendi et cognoscendi feruntur.* Nep. VII, 9, 5: *itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione;* neque aliter activ. Cat. 58, 6: *diutius in his locis esse, si maxume animus ferat;* Iug. 54, 4: *quo cuiusque animus fert, discedunt. studium* vero auctore Cicerone (d. Invent. I, 25, 36) est *animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio;* est igitur h. l. propensa ad rem publicam capessendam voluntas. — *ibique*] Observandum est, a Romanis scriptoribus brevitatis studio adverbia loci saepissime usurpata esse, ubi nos accuratiorem rei notationem exspectamus. Sic h. l. *ibi* est in ea, in re publica; 5, 2 = in bellis intestinis cet.; 8, 3 = in Atheniensium civitate; 27, 4 = apud coniurationis principes. 60, 6: *in confertissumos hostes incurrit ibique pugnans confoditur.* cfr. Iug. 79, 8; 85, 41; 101, 6; 112, 3; Caes. B. C. I, 26, 1 ibiq. Held; B. G. V, 4. Eodem modo *ubi* 20, 8 est: apud quos; coll. 54, 4: *novum bellum exoptabat, ubi enitescere posset virtus; unde* Iug. 14, 2 = a quo (cfr. Liv. I, 49, 5: (Tarquinius Sup.) bonis multare poterat *non suspectos modo aut invisos, sed unde nihil aliud quam praedam sperare posset; eo* Iug. 75, 5 = in pecora; *qua* Cat. 57, 3 = per quae loca; Iug. 50, 3; 59, 1; 101, 11 (*omnia, qua visus erat* = omnia loca, quae visui obiecta erant); cfr. *eā* Iug. 38, 6; 50, 6; 94, 5; *quo* Caes. B. G. V, 14: *sed si qui sunt ex his nati, eorum liberi habentur, quo* (i. e. in quorum domum = ad quos) *primum virgo quaeque deducta est.* Praeterea cave, ne *que* h. l. adversativam vim habere credas. Nam cum *que* eas res coniungat, inter quas quaedam necessitudo intercedit, rectissime h. l. per eam particulam adiungitur id, quod in illis publicis negotiis Salustio evenit. — In sequentibus *pudori* opponitur *audacia*, modestiae et peccandi verecundiae agendi teme-

etsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur; ac me, quom ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem, qua ceteros, fama atque invidia vexabat.

---

ritas atque omnia perpetrandi ardor; deinde *abstinentiae largitio*, moderationi in concupiscendo studium dolis atque fallaciis cives corrumpendo honores adipiscendi et potentiae acquirendae; *virtuti* denique, quae ad strenue agendum honestate tantum commovetur, *avaritia*, quae in omnibus rebus lucri turpissima cupiditate regitur. —

4. *insolens*] De constr. cfr. Ramsh. § 108, 2 p. 302; Z. § 436. — *corrupta tenebatur*] Quemadmodum *obsessus tenetur* (Iug. 24, 3), qui obsidione sese liberare non potest (cfr. Iug. 38, 9: *me clausum tenet*), sic dictum est *corrupta tenebatur*. Omnino *tenere* haud raro dicitur de animo cupiditate aliqua vel affectu capto; cfr. 58, 18: *magna me spes victoriae tenet*; Iug. 3, 4: *nisi forte quem lubido tenet*; 31, 20: *nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet*. Praeterea attendas ad verba *inter tanta vitia*, quibus sententia continetur: quamvis tanta vitia me deterrerent, tamen ambitione tenebar, quo minus a re publica me removerem. Iam apertum est, sententiam talem sequi debere: Hac igitur ambitione factum est, ut in eandem famam atque invidiam incurrerem, in quam ceteri; ad quam sententiam apte adiungetur enuntiatio, qua scriptor se *reliquis vitiis* liberum fuisse asserat. Se *ab reliquorum vitiis* liberum fuisse non potuit dicere, quoniam ei unum, ambitio (quam etiam c. 19, quamquam c. 11 excusat, inter vitia refert), cum illis commune fuerat. Quare non dubitavi *reliquis* scribere, quod cur in plerisque libris in *reliquorum* mutatum sit, facile intelligitur. — Verbo *dissentire* eodem modo usus est Cic. pr. Font. 9, 20: *istas nationes, quae tantum a ceterarum gentium more ac natura dissentiunt*. — In sequentibus, codices optimos secutus (si quidem Gerlachio est fides), scripsi *eādem*, *quā*, quam scripturam a librariis, cum non intelligerent, variis modis mutatam esse, mirum non est. Dicitur autem *vexare famā atque invidiā* eodem modo, quo a Cic. pr. Flacc. 20, 48: *Hermippum ipsum probris omnibus maledictisque vexat*, et. pr. *Quinct*. 31, 98: *multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis*. Plura de verbo *vexare* proferentur ad 15, 4. *Fama* vero ne de bona intelligatur, satis cautum est adiuncto *atque invidia*; cfr. ad 2, 9. Nec mirum est, quod honoris cupido ipsa Salustium vexasse dicitur, cum haec sola causa fuerit, cur male audiret.

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colendo aut ve-
2 nando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo

---

IV. 1. *ex multis miseriis atque periculis requievit*] Praepositio *ex* in talibus locutionibus significat, aliquid esse desiisse in eiusque locum aliud successisse; cfr. Z. § 309. Apte comparantur *recreari ex morbo*, *ex vulnere*, *ex metu mortis*, *ex magno timore*; Cat. 31, 1: *ex summa laetitia atque lascivia — repente omnis tristitia invasit*; 37, 6: *quod ex gregariis militibus alios senatores videbant*. Alias *requiescere* coniungitur cum *a*; cfr. Cic. d. Off. III, 1, 2: *requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus*; Liv. XXVI, 22: *vix tum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili*, et cum simplici ablativo Cic. Tusc. I, 44, 107: *ubi remissa humana vita corpus requiescat malis*. — *mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi*] Rarior constructio est verborum, quae consilium significant, cum acc. part. fut. pass. et c. inf. pro simplici infinitivo; cfr. Iug. 39, 5; 54, 5. Nullum autem discrimen inter utramque constructionem intercedere, nisi quod participio fut. pass. necessitas consilii magis urgetur, inde apparet, quod Sal. Iug. 4, 3 de eadem re scripsit: *quia decrevi procul a re publica aetatem agere*. Non magis recte quidam inter *aetatem* sive *vitam habere* et *aetatem agere* hoc discriminis esse statuunt, ut illud significet consilium et voluntatem vitae constituendae (*halten*), hoc simpliciter de vitae statu ac condicione dicatur; id quod refutatur vel eo, quod Sal. Cat. 51, 12 et Iug. 85, 41 utramque locutionem sine ullo sententiae discrimine iuxta posuit, et quod Iug. 4, 3 de eadem re, de qua h. l., loquens, *aetatem agere* dixit. Recte dicetur in *vitam agere* magis premi notionem promovendi et continuandi vitam, in *aetatem habere* magis vitae in certa aliqua condicione constitutae. — *non fuit consilium — conterere*] De constr. vid. Ramsh. § 168, N. 1, p. 627; Z. § 598 et 659, qui recte duplicem huius constructionis rationem esse monuit, ut inf. aut praedicatum enuntiati sit, ut h. l., aut per appositionem substantivo adiunctum (vid. ad 29, 3). Exempla iam Fabrius commemoravit Cat. 17, 6: *quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat* (idem c. genit. Gerund. legitur 51, 4; Iug. 18, 5; 22, 5; 50, 4; 52, 3; [56, 1; 82, 1]; 61, 4; 83, 1); 30, 4; 53, 6; Iug. 3, 4; 89, 3; 102, 5. — *bonum otium*] non est honestum otium, sed iucundum, suave, gratum, quemadmodum Cic. d. Sen. 14, 48 *iuventutem* dixit *bonam aetatem*; nos: *glücklich*. — *agrum colendo*] cfr. Ramsh. § 169, p. 642. — *servilibus officiis*] Substantivum appositionis loco gerundiis adiun-

incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, uti quaeque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus rei publicae animus liber erat. Igitur 3
de Catilinae coniuratione, quam verissume potero, paucis absolvam: nam id facinus in primis ego memorabile exi- 4
stumo sceleris atque periculi novitate. De cuius hominis 5
moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

---

ctum esse non mirabitur, qui gerundia substantivorum naturam induere meminerit. Cfr. Liv. XXI, 4: *numquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Intentus* h. quoque loco absolute dictum est, vid. ad 2, 9.. De agricultura autem non solum veteres Romani longe aliter iudicabant, quippe apud quos id opificium solum libero homine dignum haberetur, sed etiam aequales Salustii, ut Cicero (d. Off. I, 42 et d. Sen. 17, 59), prisci moris memores, eam magnis laudibus praedicarunt. Verum Salustii ingenium ab omnibus iis vitae negotiis longe abhorruit, quibus non maior quaedam gloria quaereretur. —

2. *incepto studioque*] Coniungenda haec erant, quoniam primo verbo nihil aliud significat, nisi se eam rem suscepisse, altero sese lubentem et propensa voluntate ei operam navasse. Vid. ad 3, 3. — *malam ambitionem* dicit scriptor, quod ex ea multa sibi mala acciderunt; quemadmodum *mala pugna* est, quae infelicem eventum habet (Iug. 56, 3). Eandem ob causam Horat. Sat. I, 6, 129 cecinit: *Haec est vita solutorum misera ambitione gravique.* — *carptim*] Salustii consilium non fuit, perpetuam Romanorum historiam contexere; sed res memoria dignissimas, quasi ex omni serie decerpendo, singularibus libellis pertractare. Commode iam ab aliis comparata sunt Plin. Ep. VIII, 47: *respondebis non posse perinde carptim, ut contexta placere* et VI, 22, 2: *egit carptim et κατὰ κεφάλαια.* —

3. *absolvam*] vid. ad 3, 2.

4. *periculi*] non ita intelligendum est, quasi Catilina rem sibi periculosam ausus esset, (id quod Herzogius expressit, vertens: *das Wagstück*); sed dicit Sal. rem publicam per eum in summum discrimen adductam esse.

5. Relativum ad *Catilinae* relatum aliquid offensionis haberet, si praecedens enuntiatum non esset parentheseos loco. — De coniunctivo *faciam* cfr. Ramsh. § 185, II, p. 781 sq.; Zumpt. § 576 et supr. 1, 6. Vid. ad Iug. 5, 3. —

V. Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi
2 et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab
adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis
3 grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus pa-
tiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credi-
4 bile. Animus audax, subdolus, varius, cuius rei lubet simu-

---

V. 1. *L. Catilina*] Omisit Sal. nomen gentile *Sergius;* cfr. ad 17, 1. Sergia gens, patricia (cfr. 37, 1) originem ducebat ab Sergesto, Aeneae comite (cfr. Virg. Aen. V, 121: *Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen*). Natus est Catilina a. u. c. 647, 107 a. Chr. 2. — *ingenio malo pravoque*] *Ingenium* cum omnia ea, quae a natura hominis animo ingenita sunt, complectatur, h. l., ubi opposita est *animi vis*, significat cogitandi, sentiendi, agendi rationem (*Charakter*). *Malus* et *pravus* quomodo differant, optime exposuit Döderlinius Synon. Lat. T. I, p. 60 sqq. *Malum*, cui contrarium est *bonum*, id est, quod legibus divinis humanisque infestum est; *pravum* cui contrarium est *rectum*, proprie id, quod distortum et deforme (Caes. B. G. IV, 2: *iumenta, quae sunt apud eos nata, prava atque deformia*); quare ad ingenium translatum significat cogitandi perversitatem. Malum igitur Catilinae ingenium fuit, quod ei bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere; pravum, quod immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat; cfr. Iug. 1, 4; 25, 8; 29, 2; 64, 2; 96, 3; et subst. *pravitas* Iug. 2, 4. —

2. De adverbio *ibi* vid. ad 3, 3. — *iuventutem*] Non distinguitur h. l. iuventus ab adolescentia; sed idem duobus vocabulis expressum est, illo, a quo aetatis tempore ei grata fuerint nefaria facinora, hoc per quam aetatem ea exercuerit; illo igitur principium, hoc continuatio temporis significatur. Ceterum cfr. Nep. XXIV, 3, 3: *ab adolescentia confecit orationes.*

3. *supra quam*] cfr. Iug. 24, 5; Ramsh. § 154, e. N. 2, p. 497. *Cuiquam* recte dictum putant, utpote in sententia negativa: tantopere, ut nemini id credibile sit; cfr. Ramsh. § 159, 2, N. 5, p. 573; Z. § 709; vide tamen ad 52, 11.

4. *varius*] Hoc adiectivum cum proprie in disparibus coloribus dicatur (Cic. d. Fin. II, 3, 10), tum ad omnia transfertur, quae sunt disparia ac dissimilia; significat igitur eum, qui parum sibi constat, quod in h. l. non quadrare ostendunt ea, quae adiuncta sunt — diversissima enim scriptor commiscuisset — ex quibus apparet varium Catilinae animum dici, quod in eo tanta esset astutia, ut diversis temporibus diversissimus suique dissimillimus videretur. Rem illustrat Plinii locus Ep. I, 16, 1: *laudabamque eius ingenium etiam*

lator ac dissimulator; aliem appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus

---

antequam scirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset. Idem Liv. XXXIX, 40 dicit vĕrsatile ingenium: *Huic* (Catoni) *versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret.* — *simulator ac dissimulator*] h. l. adiectivorum loco sunt significantque animum, qui callidus est et vĕrsutus pariter in simulando ac dissimulando. Cfr. Ramsh. § 203, I, e. p. 943. Tacit. Ann. XIII, 47: *suspectabat maxime Cornelium Sullam socors ingenium eius in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando.* Eodem modo Sal. usus est subst. *contemptor*, Iug. 64, 1: *contemptor animus.* Post haec verba maiorem interpunctionem posuimus. Neque enim quae sequuntur verba, recte ad subiectum *animus* referentur, et verba *cuius rei lubet simulator ac dissimulator*, cum praecedentium contineant explicationem, arctius cum illis coniungenda erant. Nec mirum est, sequentia non ad *animus*, sed ad ipsum Catilinam referri, cum omnis oratio sit abrupta et per brevia incisa procedat. — *sui prŏfusus*] De constr. cfr. Ramsh. § 108, 2, p. 320; Z. § 437; infra 7, 6: *pecuniae liberales.* Dicitur autem *profusus*, cum proprie sit: effusus, cum de quaque re immoderata, tum praecipue de temeritate in sumptibus faciendis. — *ardens in cupiditatibus*] Sententiam esse: cum quid cuperet, vehementissimo ferebatur ardore, non: ardentibus semper permovebatur cupiditatibus (quod dicendum fuisset: ardens cupiditatibus), verissime monuit Fabrius. — *satis eloquentiae, sapientiae parum*] Gell. N. A. I, 15: *Valerium Probum*, inquit, *ex familiari eius viro docto comperi Salustianum illud s. e. s. p. brevi antequam vita decederet, sic legere coepisse: s a t i s l o q u e n t i a e, s a p i e n t i a e p a r u m et sic a Salustio relictum affirmasse, quod l o q u e n t i a novatori verborum Salustio maxime congrueret, eloquentia cum insipientia minime conveniret.* Vocabulum *loquentia*, prioribus Latini sermonis auctoribus prorsus ignotum, a Iulio Candido (initio alterius p. Chr. saeculi) inventum esse apparet ex Plin. Ep. V, 20, 5: *Itaque Iulius Candidus non invenuste solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam; nam eloquentia vix uni aut alteri, immo si M. Antonio credimus, nemini* (cfr. Cic. d. Orat. I, 21, 94; Or. 5, 18); *haec vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis atque etiam impudentissimo cuique maxime contingit.* Eloquentiam vero a Salustio non intelligi perfectam illam, cuius speciem ac figuram Cicero eo libro adumbravit, qui inscribitur: Ad M. Brutum Orator, quamque idem (Part. 23) *nihil aliud esse* dicit, *quam copiose loquentem sapientiam*, sed magnam persuadendi auditorumque animos commovendi vim ac facultatem, manifestum est. —

animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.
6 Hunc post dominationem Luci Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat.

---

5. *vastus animus*] Vasta cum proprie sint ea, quae sunt vacua, inania (cfr. Iug. 48, 3; 75, 2; 78, 5; 89, 5), tum immensa, longe lateque patentia, h. adi., quemadmodum nostrum *wüst*, de animo dicitur, qui in cupiditatibus modum excedit, nunquam satiari atque expleri potest. — *immoderatus*] et de hominibus dicitur, qui modum non tenent, et de rebus, quae modum excedunt; cfr. Cic. d. N. D. II, 25: *immoderatus aether*. — *incredibilia*] sunt talia, quae fieri posse nemo sanus credat. Ceterum haud inutile erit, cum iis, quae Sal. de moribus Catilinae exposuit, comparare, quae Cicero de eodem dixit or. pr. Coel. 5, 12 — 6, 14. —

6. *rei publicae capiundae*] Quod captum est, prorsus in eius potestate est, qui cepit; igitur *rem publicam capere* est: summa imperii in re publica potiri, id quod apparet etiam ex sequentibus verbis *dum sibi regnum pararet*. Ceterum, quod Beierus ad Cic. Orat. 1, 2 observavit, Ciceronem antiquiore Gerundii Gerundivique forma in *undum* maxime in verbis in *io* et *ro* desinentibus, in verbis, quorum exitus est in *bo*, *co*, *do*, *go*, *mo*, *to*, in certis quibusdam et more receptis formulis usum esse, etiam de Sal. valere, omnibus exemplis collatis affirmo, nisi forte, cum libri denuo diligentius collati fuerint, aliter statuendum erit. — *dum*] cfr. Ramsh. § 193, N. 6, p. 877; Z. § 575. Cat. 14, 6; 40, 4. — *quicquam pensi habebat*] Formulae *pensi habere*, *pensi esse* a grammaticis ita solent explicari, ut *pensi* sit genitivus pretii et significet idem, ac *parvi*, *flocci*, *nauci*; quae explicatio cum mihi non satis vera videatur, pluribus h. l. rem exponendam esse decrevi. Ac primum quidem *pensi* non esse genitivum pretii, manifestum est ex iis locis, in quibus cum aliis adiectivis et participiis coniunctum est, in quae pretii notio non cadit, ut Sal. Cat. 12, 2; Iug. 41, 9; deinde, quod ab antiquioribus scriptoribus semper cum *nihil*, *quicquam* aut alio neutro eiusmodi coniunctum est, ut quin inde genitivus pendeat, dubitari nequeat. Tum nostris temporibus nemo sententias eorum probabit, qui talia per omissum substantivum explicant, quemadmodum Scioppius ad Sanct. Minerv. IV, 4, p. 618 ad *pensi* supplendum esse *negotii* censuit; immo omnes consentient, *pensum* substantivi naturam induisse. Iam cum *pensum* significet opus servis, maxime in lanificiis, conficiendum indeque ad omnia muneris genera transferatur, facile quis in eam sententiam adduci possit, ut inde locutionis originem repetendam et *nihil pensi habere* per: nihil mihi agendum, curandum, conficiendum est explicandum putet. Cui id ipsum obstat, quod *pensi* cum aliis

Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei 7

---

genitivis, ut *sancti*, *moderati* coniunctum legitur, unde illius similem significationem esse apparet. Omnino verbi *pendĕre* antiquissimis temporibus multo latior usus erat, quam postea, cum illis temporibus, quibus Romani aere gravi utebantur, omnis pecunia non numeraretur, sed penderetur. Cum igitur, si quid pensum esset, de eius pondere ac pretio constaret, *pensa* dicebantur omnia ea, quae essent constituta, certa, rata. Sic Atei. Capito ap. Gell. N. A. XIII, 12: *sed agitabat*, inquit, *hominem libertas quaedam nimia atque vecors usque eo, ut Divo Augusto iam principe et rem publicam obtinente ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.* Quam vocabuli vim etiam Nonius innuere videtur, cum scribit: *Pensum significat exaequatum, quod sine inclinatione sunt, quae penduntur* (I, 165 ed. Merc.). Etenim si quid penditur, tum demum ei, quocum comparatur, par est, cum trutina nihil inclinat, igitur tum demum exaequatum, ratum, constitutum est. Quem postea adiecit Nonius Lucilii locum, tantopere corruptus est, ut ex eo effici aliquid posse desperem. Iam cum illis priscis temporibus nihil ab aliquo aeris accipi posset sine fraude, nisi pensum esset, inde factum videtur, ut pensa dicerentur ea, quae accipi possent, iucunda, suavia, ut commode comparari possit cum nostro: *annehmlich*, *annehmbar*. Ita Plautus usus est Stich. I, 2, 61: *utra sit condicio pensior, virginemne an viduam habere;* et Gell. N. A. XII, 5 med.: *Natura omnium rerum, quae nos genuit, induit nobis inolevitque in ipsis principiis, quibus nati sumus, amorem nostri et caritatem, ita prorsus, ut nihil quicquam esset carius pensiusque nobis, quam nosmet ipsi.* Simili translatione in illis formulis dictum videtur esse. Ut *nihil reliqui facere* est: nihil relinquere, sic *nĭhil pensi habere* est *nihil pependisse*, nihil habere, quod pendendo apud nos constituerimus, quod curandum atque agendum putemus, quo ut caro sanctoque vinculo nos obstrictos existimemus. Infinitivus recte cum eo coniungitur, cum sententia sit: *non curare;* cum *nihil pensi esse* coniunctus subiecti locum tenet. Consuetudinis denique id fuit, ut numquam nisi in negativa sententia hae formulae usurparentur. Age iam omnes locos, ex quibus, quae modo exposui, colligenda putavi, proferam: Plaut. Trucul. IV, 2, 52: *Nec mihi adest tantillum pensi iam, quos capiam calceos*, i. e. non tantillum id curo; Sal. Cat. 5, 6: *neque id quibus assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat*, i. e. prorsus non curavit; 12, 2: *rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil neque pensi, neque moderati ha cre,* i. e. nihil habere, quo sese obstrictos modumque sibi constitutum

familiaris et conscientia scelerum, quae utraque his artibus

---

putarent; 52, 34: *quibus si quicquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica habuissent;* Iug. 41, 9: *Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit,* i. e. avaritia nihil iam habebat, quod observandum religioseque colendum existimaret. Apud Ciceronem et Caesarem, quantum equidem scio, nullum huius locutionis exemplum invenitur; de Cornelio Nepote certo scio. Apud Livium haec novi: XXVI, 15: *indicibus, quibus neque quid facerent, neque quid dicerent, quicquam unquam pensi fuisset;* XXXIV, 31 init.: *Et hercle si tales essetis, quales esse Carthaginienses fama est, apud quos nihil societatis fides sancti haberet, in me quoque vobis, quid faceretis, minus pensi esse non mirarer;* eiusd. libri c. 49 med.: *sed illis nec quid dicerent, nec quid facerent, quicquam unquam pensi fuisse;* XLII, 23: *id illi, cui nihil pensi sit, facile esse;* XLIII, 7 (9): *Nam ex instituto C. Lucretii Hortensium quoque in tectis hieme pariter atque aestate navales socios habere et domos suas plenas turba nautica esse; versari inter se, coniuges liberosque suos, quibus nihil neque dicere pensi sit, neque facere.* Addo Quinctil. Inst. or. XI, 1, 29: *quo ab ipso mentis habitu manifestum sit, tam in suscipiendis quam agendis causis nihil pensi habere;* Senec. d. Benef. I, 9: *Iam rapta spargere, sparsa rapaci avaritia colligere certant, nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere;* Sueton. Domit. 12: *Sed quum et obnoxium se barbaris per hoc* (militum numero diminuendo) *animadverteret, neque eo secius in explicandis oneribus haereret, nihil pensi habuit, quin praedaretur omni modo;* Ner. 34: *neque in divexanda* (matre) *quicquam pensi habuit.* Sed Tacitus et Valerius Maximus, veteris consuetudinis immemores, *pensi* pro genitivo pretii habuerunt, quorum ille Ann. XIII, 15, 4 scripsit: *Nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat;* Histor. I, 46: *neque modum oneris quisquam, neque genus quaestus pensi habebat;* Valer. Maxim. II, 9, 3: *quod amplissimi honoris maiestatem tam tetro facinore inquinaverat, nec pensi duxerat iisdem imaginibus adscribi meretricis oculos humano sanguine delectatos et regis Philippi supplices manus.* Horum exemplum secutus est Symmachus Ep. IX, 34: *Nam Lampadium non utique ad se pensi habui.* Nec mirum est posteriores, oblitos formulae originis, alio modo atque priores usurpasse. —

7. *in dies*] Cfr. Ramsh. § 135, 3, N. 2, b. p. 402; Z. § 315. — *inopia rei familiaris*] Catilinam in egestate patris natum fuisse testatur etiam Q. Cicero d. pet. cons. 2, 9. — *conscientia scelerum*] Praeter ea, quae Salustius infra c. 15 commemoravit, (vid. etiam

auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea cor- 8
rupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, 9
quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim

---

ad 18, 2) commiserat Catilina prima adolescentia haec facinora: a Sulla Gallis equitibus praefectus, qui proscriptos persequerentur, Q. Caecilium, sororis suae virum, equitem Romanum, cum semper natura, tum etiam aetate iam quietum, suis manibus occiderat; M. Marium (Gratidianum) vitibus per totam urbem ceciderat, ad bustum egerat, ibi omni cruciatu laceraverat, stanti collum gladio sua dextera secuerat (Q. Cic. l. l., cum quo cfr. Flor. III, 21; Sen. d. ira 3, 18; ad quod facinus videntur referenda esse Ciceronis verba in orat. in tog. cand. p. 524 ed. Or.: *quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Sullam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.*); praeterea fratrem trucidaverat, caedeque perpetrata demum, ut eum in proscriptorum numerum referret, a Sulla impetraverat (Plut. Sull. c. 32, Cic. c. 10). — *quae utraque*] Ramsb. § 156, N. 7, p. 518; Z. § 141; cfr. infr. 30, 4. Diversi tamen sunt ii loci, in quibus in altera parte unus, in altera plures sunt, ut Iug. 13, 9; 15, 2; 22, 5. — *his artibus*] Quod appositum est *quas supra memoravi*, satis demonstrat, pronomen *hic* retineri potuisse; vid. ad 2, 4.

8. *divorsa*] i. e. contraria; avaritia enim habendi, luxuria profundendi lubido est. — De verbo *vexare* vid. infr. ad 15, 4. —

9. De constructione verbi *hortari* cum inf. Z. § 616. Sic *dehortari* Iug. 24, 4; *monere* Cat. 52, 3 (ubi vid.); Iug. 19, 2; *postulare* Iug. 17, 1; *coniurare* Cat. 52, 24. Recte is usus ad Graecorum imitationem revocatur, qui verbis, quibus consilium significatur, infinitivum adiungere solent. — De *admonuit* cfr. supr. ad 3, 2. Ceterum Salustio maxime consuetudinis est, obiecta verborum activorum omittere, si quidem quod obiectum sit, facile intelligitur. Sic h. l. *hortari* et *admonere; monere* Cat. 50, 3; 58, 3; Iug. 47, 2; 60, 4; paulo post *repetere; temptare* 6, 4 (ubi vid.); *parare* 6, 5. — Quemadmodum alii dixerunt *alte*, *altius*, *longe*, *longius repetere*, ita Sal. h. l. et Iug. 5, 3 dixit *supra repetam*. Eodem modo Tacit. Annal. XVI, 18: *pauca supra repetenda sunt.* — *disserere* c. accus. etiam ab aliis scriptoribus passim coniungitur; cfr. Iug. 30, 4: *ac potissimum ea dicam, quae in concione post reditum Bestiae huiuscemodi verbis disseruit.* Ceterum animadvertas orationem variatam, cum post accusativum enuntiata obiectiva

immutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

---

a verbo disserere pendeant. Similis locus est Iug. 30, 1: *postquam res in Africa gestas quoque modo actae forent, fama divolgavit*; sed paululum diversi sunt ii loci, in quibus, postquam complura praegressa sunt, reliqua per neutrum adiect. vel pron. comprehenduntur, ut Iug. 84, 4: *sese quisque praeda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia huiuscemodi animis trahebant.* — *Habere* cum adverbiis aliisque vocabulis, quibus modus ac ratio significatur, saepissime construitur, ita ut cum notione possidendi coniungatur ratio, qua quis rem gesserit, curaverit, tractaverit. Hoc igitur loco sententia est: qua ratione rem publicam gesserint. Sic Cat. 11, 5: *exercitum contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat* (cfr. Iug. 44, 1: *exercitus sine imperio et modestia habitus*; 64, 5: *milites laxiore imperio quam antea habere*; 89, 4: *levi imperio habebantur*; 92, 2: *milites modesto imperio habiti*; praeterea Iug. 5, 7: *eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit*; 103, 5: *eos ille non pro vanis hostibus, sed accurate et liberaliter habuit*; 113, 2: *benigne habere*); Cat. 13, 2: *divitiae, quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant*; quod aperte est: honesto modo uti (cfr. Tac. Annal. IV, 44: *magnae opes innocenter paratae et modeste habitae*); 14, 7: *parum honeste pudicitiam habuisse*, i. e. pudicitiam (parum honesto modo) neglexisse. Cat. 26, 4: *circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat*; 51, 11: *multi eas* (iniurias) *gravius aequo habuere* = animo iniquiore pertulerunt. Huc pertinent etiam exempla, in quibus dativus adiunctus est, quo quem ad usum quid pertineat, significatur, ut Iug. 31, 10: *perinde quasi ea honori non praedae habeant*; 34, 2: *populus ludibrio habitus*; 100, 5: *quod a pueritia consuetam duritiam voluptati habuisset.* Interdum vero adverbium verbo *habere* adiunctum non tam ad rationem habendi, quam ad ea, quae in ipsa re, quae habetur, posita sunt, referri videtur. Vid. ad 39, 2. Sic Cat. 6, 3: *sicuti pleraque mortalium habentur*, i. e. talia pleraque, quae mortales habent, sunt, ut bona in mala mutentur, quod idem est, atque: ea lege pleraque accipiuntur et habentur. 37, 4: *egestas facile habetur sine damno*, i. e. egestatem facile quis fert sine damno; talis enim est, ut qui in ea sit, haud facile detrimentum facere possit. Iug. 4, 8: *proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiusce modi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum qui sustinent, virtus est*, i. e. talia habeantur, qualis virtus est; tam clara atque magnifica sunt, quam virtus eorum, qui sustinent, est. De loco 11, 5 dicetur ad 39, 2. —

VI. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.
Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, 2
dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum 3

VI. 1. *sicuti ego accepi*] *Accipio* dici de omnibus rebus, quas ab aliis traditas quoquo modo percipimus, notum est; cfr. 3, 2; 21, 1; Iug. 9, 3; 13, 9; 19, 5; 20, 1; 21, 4; 22, 2; 25, 6; 29, 3; 52, 6; 58, 4; 73, 3; 78, 1; 82, 2; 85, 40; 89, 3; 97, 2; 4; 101, 7; 10; 104, 3; 110, 6. Ceterum Serv. ad Virg. Aen. I, 6 Salustium in his Catonis auctoritatem secutum esse scribit; sed Sal. ea tantum in re cum Catone consensisse videtur, quod Aborigines antiquissimos Italiae incolas fuisse tradit, certe pronomine *ego* addito ipse ostendit, suam narrationem ab ea, quae tum temporis vulgata erat, discrepare. — *profugi*] Praepositio *pro* in *profugio* et *profugus*, ut in multis compositis, nihil aliud significat, nisi: in longinquum, longe ab eo loco, unde fuga coepta est; cfr. Cat. 46, 4; Iug. 35, 1; 54, 10; 67, 3; 69, 4; 76, 4; 78, 1; 106, 2. Dicunt quidam, in his vocabulis incertum esse, quo quis fugiat; at id in ipsis non inesse ostendunt loci, in quibus, quo fugitur, adiectum est, ut Iug. 13, 4; 21, 2; 23, 2; 74, 1; 103, 4. — *incertis sedibus*] Non recte comparantur talia, ut Caes. B. G. IV, 4: *ad extremum tamen agris expulsi et multis Germaniae locis triennium vagati ad Rhenum pervenerunt;* sed ablativi sunt eius generis, quos absolutos Grammatici vocant; cfr. Iug. 44, 4. — *cumque*] vid. Rh. § 151, 4, p. 477; Z. § 356 extr. — *agreste*] Dubitari poterit, utrum Sal. hoc vocabulo rudem populi cultum, an in agris passim habitandi morem denotare voluerit. Iug. 18, 8: *agrestes Numidae* dicuntur, qui in agris vivunt et 73, 6, qui agros colunt. — *liberum ac solutum*] Saepe haec vocabula coniuncta leguntur. Cic. Verr. II, 2, 75: *animo semper soluto liberoque;* de Rep. IV, 4: *soluti et liberi amores;* pr. Rab. 5 extr.: *soluti et liberi lege.* Eodem modo nos coniungimus *frei und fessellos.* Omnino Romani, quo accuratius rem definiant, idem fere significantia duo vocabula coniungere solent, cuius consuetudinis exempla congessit Beier ad Cic. Off. II, 5, 56: *conspiratio atque consensus, scientia cognitioque, contentio et comparatio, vita victusque communis.*

2. *in una moenia*] Rh. § 156, N. 4, b. p. 514; Z. § 115 N. — *alius alio more viventes*] Cfr. Z. § 367 et quae supra ad 1, 7 monuimus. — *coaluerint*] Cfr. Iug. 87, 3: *Sic brevi spatio novi veteres-*

civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia

---

que coaluere et virtus omnium aequalis facta; Liv. I, 8: *multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re praeterquam legibus poterat;* Tacit. Histor. II, 37: *neque exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere.*

3. *res*] Freundius cum in Lex. contenderet, *res* de re publica dici a poëtis maxime et pedestrium scriptorum tantum ab iis, qui post Augusti tempora vixerint, huius loci et fr. Hist. I, 7 videtur immemor fuisse. — *moribus*] aucta est civitas, quae melius quam antea morata est. Similiter h. verbum de ingenii virtutibus dixit Cic. d. Sen. 6, 17: *consilio, auctoritate, sententia, quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet.* — *videbatur*] Coniunctiones *postquam, ubi, simul*, quas cum pf. coniungi consuetudinis est, impf. admittunt, ubi de rebus aut continuatis aut saepius factis dicitur. Id optime intelligitur ex iis locis, in quibus duae res coniunctae sunt, altera perfecta, altera continuata, ut Cat. 12, 1: *Postquam divitiae honori esse coepere, et eos gloria, imperium, potentia sequebatur;* Iug. 70, 5: *Is postquam magnitudine facinoris perculsus ad tempus non venit, metusque rem impediebat;* Cat. 10, 1: *ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant;* Iug. 106, 2: *Post ubi castra locata et diei vesper erat*, a quibus locis non prorsus diversus is est, a quo exorsi sumus, cum participio *aucta* contineatur id, quod iam factum erat. Res nondum perfecta est in his locis: Cat. 56, 4: *postquam Antonius cum exercitu adventabat*, appropinquabat enim in dies magis; cfr. Iug. 28, 2; 36, 4; 99, 1; Iug. 58, 7: *postquam nox aderat*, i. e. advenire inceperat; coll. 106, 2: *postquam haut procul inter se erant*, i. e. postquam iam eo ventum est, ut iam propius et propius accederent; Iug. 13, 5: *postquam omni Numidia potiebatur*, i. e. in eo fuit, ut potiretur. De re saepius facta impf. dictum est Cat. 7, 4; Iug. 55, 4 et 7; cfr. Rh. § 185, III, N. 1, p. 783 sqq. Liv. III, 60: *postquam concessum propemodum de victoria credebant;* et: *postquam iam multa dies erat;* V, 39: *postquam nihil usquam hostile cernebatur.* — *sicuti pleraque mortalium habentur*] Vid. ad 5, 9; de neutro dicetur ad 52, 6. — *invidia*] Romani non invidebant aliis, sed ipsis invidebatur. Saepissime invidia sic passive dicitur, unde plerumque genitivum adiunctum habet. Cfr. 3, 5; 22, 3; 43, 1; 49, 4; Iug. 10, 2; 13, 7; 15, 5; 25, 5; 27, 2; 29, 5; 30, 1; 35, 2; 5; 40, 2; 55, 3; 73, 4. Optime quae huius vocabuli significatio sit, intelligitur ex Cic.

ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello 4
temptare; pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu
perculsi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque 5
intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus ob-

Tusc. III, 9, 20: *Etenim si sapiens in aegritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in invidentiam; non dixi* i n v i d i a m, *quae etiam est, cum invidetur; ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum dictum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippa: Quisnam florem liberum invidet meum? Male Latine videtur; sed praeclare Attius; ut enim videre, sic invidere florem rectius quam flori. Nos consuetudine prohibemur; poëta ius suum tenuit et dixit audacius;* et IV, 7, 16: *Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis plures subiiciuntur, ut aegritudini invidentia (utendum est enim verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur; sed etiam in eo, cui invidetur).* —

4. *reges populique*] *Populi*, maxime ubi adiunctum est *reges*, haud raro a Romanis scriptoribus liberae civitates appellatae sunt; cfr. Fabri ad Liv. XXI, 43, 1; Lorenz d. dictat. Lat. et munic. Grimae 1841, p. 14. — *bello temptare*] Vid. ad 5, 9; Iug. 23, 1: *praeterea dies noctisque aut per vim aut dolis temptare*; 50, 4. — *metu perculsi*] Codices haud pauci: *percussi*. Inter *percutio* et *percello* hoc discriminis videtur intercedere, ut illud (a *quatio* derivatum) de repentina perturbatione animo iniecta dicatur (nos: *erschüttern*), hoc (a *cello* factum, quod ut Graecum κέλλω significat pellere, pulsare; cfr. Döderl. Syn. II, p. 93 sqq.) potius de continua animi afflictatione (*niederschlagen*); cfr. 43, 2, ubi item in nonnullis libris pro *perculsis* inventum est *percussis*; Iug. 32, 5; 38, 5; 40, 4; 42, 1; 44, 4; 58, 2; 70, 5; 73, 7; 75, 10; 82, 2; 101, 7. — *a periculis aberant*] Verbum *abesse* interdum dicitur de iis, qui a re aliqua abstinent, nihil in eam studii atque operae impendunt. Caes. B. G. VI, 13: *Druides a bello abesse consueverunt;* Cic. pr. Planc. 25, 62: *Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui cum professi sint, satisfacere non possunt; non in iis, qui se abfuisse ab istis studiis profitentur.*

5. *festinare*] Amat hoc verbum Sal.; plerumque quidem cum *parare* vel *trepidare* coniunxit. Cat. 27, 2; 31, 2; 42, 2; Iug. 39, 2; 55, 3; 66, 1; 73, 1; 76, 4; 85, 10; cum acc. Iug. 77, 1; 81, 4 (coll. 64, 6). Verbi vim illustrat Gellius N. A. XVI, 14: *aliud est* p r o p e r a r e, *aliud* f e s t i n a r e. *Qui unum quid mature transigit, is* p r o p e r a t; *qui multa simul incipit, neque*

viam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiundis bene-
6 ficiis amicitias parabant. Imperium legitumum, nomen imperi regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant; hi vel aetate, vel curae similitudine patres appella-

---

perficit, is festinat. — *patriam parentesque*] Neminem fore credo, qui cum h. l. *parentes* legat, de subactis populis cogitet; genitores enim cuique homini aeque cari debent esse, atque patria et libertas; cfr. 52, 3; Iug. 87, 2; nec magis tamen quisquam Iug. 3, 2; 102, 7 *parentis* subiectos interpretari dubitabit. *Tegere*, i. e. tutari, Salustio haud infrequens est, maxime adiuncto *armis;* cfr. 48, 7; 58, 10 bis; 16; Iug. 60, 1; 87, 2; 97, 5 bis; 101, 4. — *Ubi — propulerant*] De plsqpf. adeas Z. § 507; *ubi* cum eo tempore coniunctum legitur 9, 3; 13, 4; 16, 2; 24, 3; Iug. 22, 4; 60, 3; 64, 3 (in orat. obliq.); *postquam* Iug. 11, 2; 44, 4; 88, 1; 108, 1; quorum locorum numerum ubi cum iis comparaveris, in quibus ex consuetudine pf. positum est, rariorem hunc usum recte dicas. — *auxilia portabant*] Insolens locutio, qua nescio an nullus alius scriptor usus sit. Amat vero Sal. verba graviora et *portare* verbum frequentativum esse, a *fero* factum, demonstravit Döderl. Lat. Syn. I, p. 150. Tironum causa moneo, pluralem *auxilia* non de militibus auxiliariis dictum esse, sed de compluries lato auxilio, eodem modo, quo infr. 52, 29. —

6. *annis*] Bene Fabrius comparavit Cat. 20, 10; Iug. 11, 5. — *rei publicae consultabant*] Praeter Salustium et Aurelium Victorem (qui vixit saeculo post Chr. n. quarto), quantum equidem scio, nemo Romanus scriptor *consultare alicui* eadem significatione, qua *consulere alicui* dixit; videtur autem Sal. frequentativum primitivo propterea praeoptasse, quod exprimere vellet illos consilia agitando rei publicae utilitati prospexisse. — *vel aetate, vel curae similitudine*] cfr. Z. § 452; Rh. § 143, p. 440. Iug. 37, 4: *quamquam et saevitia temporis et natura loci neque capi, neque obsideri poterat;* 42, 2: *Gracchis cupidine victoriae haut satis moderatus animus fuit;* 64, 6: *quod diuturnitate belli res familiaris corruperant;* infr. 23, 3: *inopia minus largiri poterat;* 31, 3: *quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat*, quem ad locum bene Kritzius: „Si quis hunc ablativi usum Salustio maxime proprium putet, is vix alium scriptorem Latinum legisse videatur;“ 28, 4; 39, 6: *quoscumque moribus aut fortuna rebus novis idoneos credebat*, quamquam ibi ablativus

bantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conser- 7
vandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam dominationemque se convortit, immutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

---

utrum cum *credebat* an cum *idoneos* coniungendus sit, ambigi poterit. —

7. *quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat*] Cfr. Z. § 662 et 663; § 764. Iug. 88, 4: *quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit;* or. Aemil. Lep. 8: *uti nihil gloriosum, nisi tutum, et omnia retinendae dominationis honesta existumet;* or. Phil. 3: *exercitum opprimendae libertatis habet;* ibid. 6: *privata arma opprimendae libertatis cepit* et 10: *arma civilia, quae ille advorsum divina et humana omnia cepit, non pro sua aut quorum simulat iniuria; sed legum ac libertatis subvortundae.* In omnibus his exemplis genit. aut ab substantivis pendet, (ne in ultimo quidem loco dubito ad *arma* referre; quemadmodum *arma libertatis* sunt arma, quibus libertas defenditur, sic contra *arma libertatis subvortundae* sunt, quibus libertatem quis subvertere studet), aut ab verbo *esse,* quibus in locis genitivus eadem ratione positus est, qua dicitur: *consuetudinis, moris, iuris est;* vid. ad 46, 2. — *se convortit*] Non ausus sum *se* delere, cum in plerisque nec deterrimis libris adscriptum legatur, nec vero inde quod Sal. eadem significatione simplex *vortere* Iug. 85, 9; pro *se vortere* et Cat. 52, 27; Iug. 20, 7 et 101, 6 *convortere* reflexiva vi dixit, pronomen autem praeter h. l. nusquam adiunxit, satis certo concludatur, id etiam h. l. ab eo omissum esse. Prorsus similis huius Cic. locus est d. am. 21, 78: »*cavendum vero, ne etiam in gravis inimicitias convortant se amicitiae.* — *dominatio*] et ab aliis scriptoribus et a Sal. semper de potentia et imperio non legitimo dicitur; cfr. 5, 6; 17, 5; 20, 2; 28, 4; Iug. 31, 16; 20; 41, 2. — *per licentiam*] Z. § 301 et 455, N.; Rh. § 137, 6, p. 414; Cat. 12, 5; 13, 2; 16, 3; 20, 9; 42, 2; Iug. 2, 4; 4, 2; 11, 8; 9; 85, 1; 35; vid. ad 20, 2. — *insolescere*] cum de unoquoque dicatur, qui modum in aliqua re excedit, h. l. fere idem est, ac *superbire.* Eodem modo *insolens* dictum est Iug. 100, 1: *neque tamen victoria socors aut insolens factus;* et *insolentia* Cat. 23, 4; Iug. 4, 2; 40, 5. Ceterum exspectaveris pro *animum humanum* dici *animos,* cum quod Romani instituerant, non ad universum genus humanum, sed ad ipsos tantum pertinuit; at Sal. sententiam expressit talem:

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque magis
2 extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his
3 aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit; tanta

---

Ea ratione cum licentiae finem ac modum constituissent, minime fieri posse putabant, ut quisquam insolesceret, quo facile fert natura humani animi. —

VII. 1. *Sed* h. l., ut paulo post 3; 8, 1; 44, 1, transitum orationis ad aliquid novum significat. — *tempestate*] Hoc verbo ex antiquiorum consuetudine, ut temporis momentum aut spatium significaret, frequentissime usus est Sal. 17, 7; 22, 1; 24, 3; 36, 4; 53, 5; Iug. 3, 1; 8, 1; 13, 7; 30, 4; 32, 5; 35, 1; 37, 1; 40, 5; 73, 7; 79, 2; 90, 1; 96, 1; 108, 2; 114, 4; vid. ad 20, 3. Est id Salustio cum Livio commune; Cicero tamen d. Orat. III, 38, 153: *sed tamen*, inquit, *raro habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut Caelius: Qua tempestate Poenus in Italiam venit.* Ex antiquissimis linguae Romanae monumentis exempla collegit Varr. d. L. L. VI, 6. — *se magis extollere*] i. e. ad maiora et excelsiora niti, maiora concupiscere; cfr. Iug. 65, 4: *Hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione extollit*, i. e. ad cupidinem rerum maiorum compellit. — *in promptu habere*] Quemadmodum *in promptu esse* dicuntur eae res, quae non sunt clausae, sed apertae, ita ut facile perfici aut cognosci possint, (cfr. Iug. 111, 1), sic *in promptu habere* est palam ostendere. Similiter Plaut. Pseudol. I, 5, 33: *Insipientia est sic iram in promptu gerere. Quanto satius est adire blandis verbis.* Eodem modo infra 10, 5 scriptum est: *aliud in pectore clausum, aliud in lingua promptum habere.* Ceterum facile intelligitur sententiam esse: ea tempestate magis se quisque extollere coepere, quam cum sub regibus essent; sub quibus cur non potuerint, in sequentibus exponitur. —

2. *formidolosa*] H. adi. Sal. semper sic usus est, ut sit: formidinem iniiciens; cfr. infr. 5; 19, 2; 52, 13.

3. *adepta libertate*] Decies Sal. huius verbi naturam deponentialem non neglexit (11, 7; 23, 6; 39, 4; 54, 3; 61, 7; Iug. 4, 4; 20, 1; 41, 4; 77, 3; 85, 1); h. l. et Iug. 101, 9 participium perfecti passiva vi dixit; cfr. Z. § 632 p. 535; Rh. p. 181. Verisimile est, his obsoletis formis usos esse scriptores in talibus tantum locutionibus, quae vulgo multum usurpatae, consuetudine ex antiquitate traditae essent. — *tanta cupido gloriae incesserat*]

cupido gloriae incesserat. Iam primum iuventus, simul ac 4
belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur 5
talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut

Sententiarum nexus est: Ex eo, quod civitas brevi tam incredibiliter crevit, intelligitur, quanta gloriae cupido omnes cepisset; nam nisi singuli omnes gloriae cupiditate exarsissent, res publica tantopere aucta non esset. Utrum Sal. *incesserat* ab *incedere* an ab frequentativo *incessere* deduci voluerit, vix certo dici licet; idemque de omnibus locis valet, in quibus eius verbi formae leguntur; sed cum ei frequentativa maximopere placuerint, tale verbum vero ad significandam vim qua hominum animi cupiditate aliqua capiuntur aptissimum sit, ad posterius facile inclinabit sententia. Verbum absolute dictum est (vid. de *invadere* ad 2, 5) ut 13, 3; Iug. 13, 7; 41, 3; cfr. Held. ad Caes. B. C. II, 29; cum dativo iunctum est Cat. 31, 3, quae constructio, quamquam rarior est, satis tamen defenditur exemplis Caes. B. C. III, 74, 1; Liv. IV, 57; Tac. Annal. III, 36, 1; Curt. VII, 11, 4 et *invadere* Cic. ad Fam. XVI, 12, 2. —

4. *Iam primum*] Vid. ad 15, 1. — *simul ac*] Hoc solo loco Sal. de tempore dixit, alibi semper *ut* vel *ubi primum*, quod ne h. l. poneret, cum paulo ante praegresso *primum* motum esse, scite monuit Fabrius. — In sequentibus optimorum librorum scripturam tenui, quae quo modo depravari potuerit, facile intelligitur. Nihil est supervacaneum. *In castris* locum denotat, *per laborem* condicionem (vid. ad 6, 7), *usu* denique genus disciplinae. Iam cum tria, inter se paria et tamen diversa, ad unum verbum referuntur, asyndeton rectissime admittitur. — *lubidinem habebant*] *Lubido*, quemadmodum nostrum *Lust*, non solum cupiditatem sed etiam voluptatem significat. Igitur *lubidinem habere* plane eadem ratione dictum est ac *delectari in aliqua re*; Cic. de Legg. II, 7, 17: *et in hoc admodum delector*, *quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris*, *atque ille*. Aliquatenus diversum est ad Att. XVI, 5, 2: *Sed incredibile est*, *quam me in omni genere delectarit*, *maxime in hoc*. Praeterea animadvertas variationem structurae, cum pluralis *habebant* ad praecedens *iuventus* relatus sit. Quod ut faceret, Sal. eo motus videtur esse, quod cum ante de universae iuventutis disciplinae dixisset, iam quid per illam in singulorum animis effectum sit, magis premi vellet.

5. *talibus viris*] *Viros* apud Romanos omnes dici solitos esse constat, qui annum aetatis sextum decimum explevissent, quo anno

arduus erat, non armatus hostis formidolosus; virtus omnia domuerat.
6 Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat; sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias hone-

---

pueri sumere consueverant togam virilem. — *virtus omnia domuerat*] Recte explicavit Müllerus: virtus omnia plana et facilia fecerat; dicuntur enim domari omnia, quorum asperitas lenitur, ut *terra*, *mare*, similia.

6. *gloriae certamen*] Genit. obiectivus; cfr. Iug. 41, 2. *inter ipsos* dixit Sal., quoniam in praecedentibus de virtute, qua cum hostibus pugnabant, sermo fuit, unde etiam illud intelligitur, *sed* particulam inservire oppositioni. — *sic*] Bene Kritzius monuit, hanc particulam „ea hic positam esse vi, qua aliquid colligatur ex praegressis, sive qua indicetur, ea, quae sequantur, convenire praegressis iisque consentanea esse" (nos: *dem gemäss*). Sic *ita* dictum est supra 2, 7; et infr. 8, 4. — *se quisque hostem ferire — properabat*] Quamquam *properare*, vehemens aliquid consequendi vel perficiendi studium significans, cum infin. iunctum apud omnes omnium generum scriptores frequentissimum est (Cat. 13, 2; 48, 4; Iug. 56, 5), cum accus. c. infin., quantum equidem scio, sine exemplo, tamen pron. *se* cum nonnullis codicibus delere audacius esset, quam cautius. Etenim cum in *properare* insit notio studere, cupere, eandem constructionem admittere consentaneum est, atque eius generis verba, de quibus diximus ad 1, 1. Accedit, quod h. l. maxime urgendum erat, quemque eo studio arsisse, ne quis alius prior quam ipse hostem feriret cet. — *dum tale facinus faceret*] Nota est Graecorum ac Romanorum consuetudo cum substantivo id verbum coniungendi, a quo illud factum est; plerumque ita quidem, ut substantivo adiectivum sive pronomen additum sit. Sic *facinus facere* dixit Sal. 11, 4; 19, 5; 51, 6; 53, 2; Iug. 5, 4; 32, 2; 56, 4. — *eas divitias — putabant*] Cfr. Z. § 372; Rh. § 158, 2, p. 551. Cat. 20, 4: *idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est;* 51, 14: *quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur;* Iug. 31, 15: *sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est.* — *Divitias honestas*] Honestae i. e. honori esse eae tantum divitiae possunt, quibus honeste partis honeste quis utitur; honeste vero divitiis utitur, qui non in arca eas claudit, sed inde liberaliter aliis impertit. Igitur hac sententia praecedens illustratur: Laudis avidi erant, ceteris omnibus quisque gloriam invidebant,

stas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas 7
hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicut ego aestumo, 2

---

sibi ingentem cupiebant; contra pecuniae liberales erant; nam divitias honori sibi esse volebant. Paulo diversa ratione eo vocabulo utitur scriptor Iug. 14, 17, ubi *res honestae* intelliguntur, quibus honor sustentatur, seque in turpissimam egestatem depressum, sine omni honore ac decore vivere subactum esse conqueritur Adherbal. —

7. *natura munitas*] Scite hoc addidit Sal. Nam, quae homines exstruxerunt, superare non est tanti moliminis, at naturam ipsam vincere, gloriosissimum. Ceterum animadvertant tirones orationis variationem, cum antea singulari numero scriptum sit *memorare possem*, infra pergatur *nos*, qua in re ii offendisse videntur, qui *nos* expunxerunt. Recte vero variatum est; memorare enim solius scriptoris est, ab incepto etiam lectores longius trahuntur. Simillimum exemplum iam Fabrius comparavit Iug. 95, 2: *Neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus et L. Sisenna — parum mihi libero ore locutus videtur*; quo loco apparet in ultimis scriptori suam eam sententiam esse urgendum fuisse; in prioribus eum se cum lectoribus coniunctum cogitare potuisse. De coniunctivo *possem* vid. ad 51, 4.

VIII. 1. *ex lubidine magis quam ex vero*] Falso contenditur a nonnullis doctis, *quam* saepe ita usurpari, ut mente supplendum sit *magis*. Nam nisi verbi est talis notio, ut optionem quandam exprimat, ut *statuo* (Nep. Dat. 8, 1) vel *probo* (Tac. Annal. I, 58: *bellum quam pacem probabam*) vel *volo* (Liv. III, 68: *Tribuni plebis malae rei se, quam nullius, turbarum ac seditionum duces esse volunt*; eodem modo Graeci dixerunt βούλομαι ἤ); ubi *quam* simpliciter positum est, rationi adversatur aliud intelligi oppositum, quam *tam*. Sic 9, 5: *beneficiis quam metu imperium agitabant* sententia non est: beneficiis magis quam metu, sed: tam beneficiis quam metu; aeque se diligi propter beneficia, atque metui volebant. Verum esse, quod dixi, optime intelligitur ex Plaut. Menächm. V, 6, 4: *Servus absente hero rem heri diligenter tuetur, quam si ipse adsit, aut rectius.* Iam ex his intelligitur, quam parum caute ii egerint, qui paucos tantum libros secuti *magis* eiecerunt. — *obscuratque*] Cave ne particulam *que* disiunctivam

satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores
3 tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scri-
ptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium
4 facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere,
virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere extollere
5 praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia

---

vim habere credas; nam cum utrumque fiat, quamquam inter se contraria sunt, non minus recte haec coniunguntur, quam disiungerentur. Caute de simili exemplo iudicavit Iahnius ad Horat. Satir. II, 3, 157, p. 255. —

2. *sicut ego aestumo*] Cum inter *aestumo* et *existumo* hoc discriminis intercedat, ut illud sit: alicuius rei pretium constituere, hoc: de aliqua re ex pretii aestimatione iudicare, apparet recte h. l. scribi: *sicut ego aestumo*, quandoquidem quanti Atheniensium res gestae faciendae sint, exprimitur. De *aliquanto* vid. Z. § 488. —

3. *provenere*] Apte comparavit Fabrius: Naev. ap. Cic d. sen. 6, 20: *proveniebant oratores novi;* Quinctil. Inst. XII, 10, 11: *oratorum ingens proventus;* Plin. Epp. I, 13: *Magnum proventum poëtarum annus hic attulit.* De *ibi* vid. ad 3, 3. — *scriptorum magna ingenia*] dictum est pro *scriptores magnis ingeniis* ex ea consuetudine Graecorum ac Romanorum, qua si attributum (sequor enim Grammaticorum morem loquendi) efferri volunt, subiecti loco id ponunt. — *pro maxumis celebrantur*] Saepius praepositio *pro* cum verbis dicendi coniungitur, ut indicetur aliquid dici esse, quod vere non sit. Sic Caes. B. G. I, 22: *quod non vidisset, pro viso renuntiavit.* —

4. *quantum ea verbis potuere extollere praeclara ingenia*] *Ea* scripsi pro *eam*, quod a Cortio commendatum nonnulli editores retinuerunt, et quia in plurimis libris illud inventum est et quia praegressis multo concinnior est sententia talis: Virtus Atheniensium non ex ipsis eorum factis aestumatur, sed ex specie magnitudinis, qua ea scriptores praeclari exornarunt. Accedit, quod commode monuit Gerlachius, facta verbis opponi. Praeterea Sal. non scripsit id, quod exspectaverimus: extulerunt; sed expressit sententiam hanc: quantum praeclaris ingeniis, cum facta verbis extollere studerent, id prospere cessit, sive: quantum praeclara ingenia arte facta verbis extollendi valuerunt.

5. *ea copia*] *Copia* cum proprie significet multitudinem et abundantiam earum rerum, quibus uti liceat, tum translate dicitur de eo rerum statu, per quem, ut aliquid fieri possit, contingit, de facultate, potestate, occasione. Vid. quae exempla ad 4, 1

fuit, quia prudentissumus quisque maxume negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque

---

commemoravimus et quae monebimus ad Iug. 39, 5; et 76, 3. Saepe autem substantiva cum pronominibus vel demonstrativis vel relativis ita coniunguntur, ut ex praecedentibus, qualis res intelligenda sit, colligi debeat. Sic h. l. sententia est: numquam populo Romano contigit, ut ei copia eius rei sive praeclarorum scriptorum esset. Cat. 27, 1: *Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae mittit*, i. e. in eam partem, in qua Faesulae sitae sunt; 51, 16: *eos mores eamque modestiam viri cognovi*, ubi *eos* et *eam* ex praecedentibus explicanda sunt; Iug. 54, 6: *ea formidine* = earum rerum formidine; 83, 1: *eo dolore* refertur ad ea, quae in praecedentibus de Metelli animi habitu pluribus exposita sunt. Saepius praeterea *is numerus* dicitur de iis, qui antea commemorati sunt, Cat. 29, 3; 42, 2; Iug. 18, 4; 38, 6. Eodem modo Iug. 5, 2 *quae contentio* refertur ad praegressa verba: *quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est;* cfr. praeterea Iug. 36, 1: *ante comitia, quod tempus haut longe aberat;* Cic. in Cat. II, 12, 26: *gladiatores, quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit.* — *prudentissumus quisque*] Prudentissimi dicuntur ii, qui plurimum ingenio valent; qui *negotiosus* dicatur, inde intelligitur, quod Romani *otium* de rerum publicarum vacatione saepissime usurparunt. Verbis *ingenium nemo sine corpore exercebat* exprimitur hoc: nemo tali occupationi sese dedit, in qua ingenium solum intendendum esset, non simul corporis vires, qualis occupatio est eorum, qui litteris operam navant; *exercere* igitur est, quod nos dicimus *beschäftigen;* cfr. 2, 1; 5, 2; 11, 1; Iug. 63, 3; 71, 1. —

IX. 1. *concordia — avaritia*] Quo modo haec sibi recte opponantur, ex iis intelligitur, quae ipse Sal. 10, 3 sqq. exposuit. — *ius bonumque*] Quid bonum sit, apparet ex Iug. 35, 7: *Fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex iure gentium.* Bona enim sunt omnia, quae probanda atque laudanda sunt, quamquam legibus aut more ac consuetudine non sancita. Quare saepe *bonum* coniungitur cum *honesto*, ut Iug. 8, 1; 29, 2; 82, 2 et cum *vero* Iug. 30, 2. — De *non magis — quam* cfr. Z. § 725. — *natura* est ingenita verecundia; ius enim bonumque colebant, non tam legibus coacti, quam innata sibi verecundia ducti. —

2 apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici,
3 domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, seque rem-

---

2. *Iurgia* sunt eorum, qui de aliqua re dissentiunt atque contendunt, *discordiae*, quorum animi ira accensi sunt, *simultates* denique exercent, qui ad iniurias invicem inferendas semper prompti ac parati sunt. Igitur sequens quodque verbum praegresso gravius est. — *de virtute*] Praepositio *de* rem significat, quae in contentione est. Igitur idem dicitur, quod 54, 5 per ablativum expressum est: *non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum honesto pudore, cum innocente abstinentia certabat*; eo vero discrimine, ut ablativo res significetur, qua quis in certamine ac contentione nititur. — *suppliciis Deorum*] Fest. p. 308 et 9 ed. Lind.: „*Supplicia veteres quaedam sacrificia a supplicando vocabant.*" Sic Iug. 55, 2: *Senatus ob ea feliciter acta Dis immortalibus supplicia decernere*, quae vulgo *supplicationem* dici solita esse constat. — *domi*] i. e. in victu cultuque domestico. — *in amicis*] Vocabula, quae animi affectionem, aut favorem aut iram, significant, praepositionem *in* c. acc. adiunctam habent, cum id additur, quod ei animi motui obiectum est, quod aut amice fovetur, aut inimice petitur. Sed haud raro non solum a poëtis, verum etiam a pedestris orationis scriptoribus *in* cum ablativo iunctum est, quo res ea significetur, in qua illa animi affectio apparuerit (cfr. Hand. Tursell. III, p. 265 sqq. n. 30), ut instar sit secundarii enuntiati. Sic 11, 4: *foeda crudeliaque in civibus facinora fecere*, quod optimi libri exhibent, est: foeda crudeliaque facinora fecere, cum cives, non hostes persequerentur; 51, 26: *quid in aliis statuatis, considerate*, ablativus ferri poterit, si quidem est: quid statuatis, considerate, quando vobis de aliis iudicandum erit; cfr. 52, 3; 52, 12: *sint misericordes in furibus aerari*, i. e. si qui aerarium expilaverint. Iam h. l. *in amicis*, quamquam pauciores tantum libri exhibent, retinendum putavi, cum librarii si accusativum in archetypo invenissent, qua re ut eum mutarent, moti sint, non intelligitur et sententia aptissima est: si quos amicos sibi adiunxissent, fideles erant, i. e. in amicitiis semper fidem servabant. Vid. ad 51, 6.

3. *ubi pax evenerat*] Si Sal. scripsisset *in pace*, sententia esset generalis, sed voluit hoc dicere: cum in bello audacter in hostes pugnarent, in eosdem vero, cum pax facta esset, aequitate uterentur, suis pariter ac rei publicae commodis prospiciebant.

que publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma docu- 4
menta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; in pace vero, quod 5
beneficiis quam metu imperium agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

X. Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes

---

Vides igitur, quanta arte orationem variaverit. — De *que* — *que* dicetur ad Iug. 49, 2.

4. *proelio excesserant*] Quod in nonnullis libris pro *proelio* legitur *bello*, propterea ferri nequit, quod aperte de ipsa dimicatione armorumque certamine dicendum fuit, *bellum* vero de singulari aliquo proelio praeterquam a poëtis et posteriorum temporum scriptoribus, a nemine umquam neque dictum est, neque dici potuit. Facile praeterea librarii praecedens *bello* huc transferre potuerunt, praesertim cum eos aetatis suae usus ac consuetudo in errorem induceret. — *pulsi loco cedere ausi erant*] Kritzius cum *loco* cum *pulsi*, non cum *cedere* coniungendum censeret, quod loco cedere non turpe esset, sed loco amisso (i. e. loco pulsos) cedere neque illum recuperare studere, argutius quam verius disputavit; nam et plurimi loci veterum scriptorum ostendunt, eos qui loco in acie cessissent, infames fuisse, interdum in eos vel supplicio animadversum esse, et *pulsi* additum non modo non supervacaneum, sed necessarium est, cum loco cedant etiam ii, qui revocati a ducibus proelio excedunt, sed iis tantum id dedecori est, qui ab hostibus se pelli patiantur. *Locus*, ut h. l. dictum est Iug. 38, 3: *signo dato locum illi desererent;* 52, 4: *amisso loco*, quamquam ibi de *colle* intelligi potest; 101, 4: *ceteri in loco manentes;* cfr. etiam Cat. 61, 2: *quem quisque vivus pugnando locum ceperat.*

5. *beneficiis quam metu*] Vid. ad 8, 1. Ad *persequi* ex praecedentibus *accepta iniuria* accusativum intelligendum esse, vere monuit Kritzius. *Persequi* de poena ob aliquam rem repetenda eodem modo, quo h. l., dictum est Iug. 14, 23: *tuas iniurias persequar;* Cat. 52, 4: *cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt;* cfr. ad Iug. 39, 5; 102, 5. —

X. 1. *labore atque iustitia*] Respicit Sal. ad ea, quae supra 9, 3 de aequitate et audacia dixerat. Quae enim militis est audacia, nisi in perferendis multis gravibusque laboribus cernitur? cfr. praeterea 6, 5. — *reges magni, nationes ferae et populi*

vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac
2 miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, his otium, divitiae optandae

---

ingentes] Quid sit *populus*, illustrat Cic. d. Rep. I, 25, 39: *populus non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus* (vid. ad 6, 4). De verbo *natio* Festus p. 178 ed. Lind. haec tradit: *Nationem item apud antiquos natum Cincius genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt, significare ait.* Est igitur natio coetus hominum, nulla alia re sociatus, nisi quod in iisdem regionibus nati sunt (vid. ad Iug. 17, 2). Adiectivum *ferae* equidem non ideo appositum putaverim, quo nationes significarentur, quae nulla publica disciplina uterentur, sed quae quasi iugi essent impatientes. Ita h. adi. eandem vim habet, atque reliqua: *magni* — *ingentes*, ut declaretur, quanta fuerit in iis domandis Romanorum virtus. — *ab stirpe interiit*] Metaphora sumpta ab arboribus, quarum imas partes significat *stirps*. Eodem modo Liv. IX, 34 med. scripsit: *gens antiquior originibus urbis huius, hospitio propter te ac tuam censuram intra annum ab stirpe exstincta est;* et Phaedri Fab. III, 10, 49: *a radicibus non evertisset scelere funesto domum.* — *patebant*] *patere* de omnibus rebus dicitur, ad quas alicui aditus est, quae igitur in eius potestate sunt; cfr. 58, 9: *coloniae atque municipia patebunt;* Plaut. Bacch. prol. suppos. 56: *Nam maria, terras, montis atque insulas Vostrae legiones reddidere pervias.* De tempore dictum est ad 6, 3. — *saevire fortuna*] Cfr. Tac. Ann. IV, 1: *C. Asinio C. Antistio coss. nonus Tiberio annus erat compositae rei publicae, florentis domus — cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere; saevire* omnino de vehementi impetu dici constat; ut Iug. 78, 2 mare *saevire ventis* dicitur; *miscere* de rebus ita perturbatis, ut nihil iam dignosci et discerni possit, usitatissimum. Cfr. 2, 5; Iug. 12, 5; vid. ad Iug. 5, 2.

2. *Dubiae res* sunt, quae quemnam eventum habiturae sint, in incerto est, in quibus igitur summa rerum in discrimine est. Cfr. 39, 3; 51, 1; Iug. 14, 5; 94, 2: *quae dubia nisu videbantur.* — *Aspera* autem omnia dicuntur, quae sunt horrida, invia (Cat. 57, 1: *montis asperos;* 59, 2: *rupe aspera;* Iug. 37, 3: *hiems aspera;* 94, 2: *asperior ascensus*); tum iniqua, tristia, timenda, cum molestiis et labore coniuncta. Apud Sal. frequentissimum; cfr. 7, 5 (ubi vid.); 20, 13 (spes asperior); 26, 5; 40, 4; 52, 28; Iug. 7, 6; 41, 4; 48, 1; 65, 4; 85, 3; 89, 2; 6; 98, 1. —

aliis oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde 3
imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum
fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis 4
bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos

---

his] Cur mihi non visum sit in *iis* mutandum, satis apparebit ex iis, quae ad 2, 4 dicta sunt; nec minimo momento est, quod oppositum est *aliis*. — *optandae*] Praedicati vel attributi, ubi ad plura pertinet, ad proximum relati exempla haec iam ab aliis comparata sunt: Cat. 12, 1: *gloria, imperium, potentia sequebatur;* 16, 4: *rapinarum et victoriae veteris memores;* 25, 5: *multae facetiae multusque lepos inerat;* Iug. 2, 1: *res cunctae studiaque omnia nostra;* 8, 2: *ultro illi gloriam et regnum venturum;* 111, 2: *amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram;* orat. Phil. 11: *legum ac libertatis subvortundae.* Participia futuri pass. interdum talem necessitatem significant, quae non in re ipsa, sed in animi humani natura sita est (cfr. Zumpt. § 650); *res optandae* igitur dicuntur tales, quas nemo fere non cupiat; cfr. Iug. 64, 1: *virtus, gloria atque alia optanda bonis;* Iug. 3, 1: *magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minume mihi hac tempestate cupiunda videntur*, i. e. minime talia mihi videntur, ut ea, qui est animus meus, non possim non cupere; Iug. 14, 5: *familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius, quam fortuna petenda erat.* Qui tum cum Romanis amicitiam instituit, ab fortuna eorum nihil sibi sperare poterat; quid igitur aliud peteret, nisi fidem? — *aliis*] Apertum est, intelligi eos, qui labores ac negotia non facile perferant. His enim, quo graviora egestas et labores fuere, eo iucundiora divitiae atque otium solent esse; itaque iis non solum libentissime fruuntur, sed etiam quam diutissime conservare student. At contra Romani pericula non solum nihili ducebant, verum ita consueta habebant, ut otium et divitiae iis graves essent et miserae; quare tantum aberat, ut divitiis in otio fruerentur, ut eae ipsis nisi cum labore ac periculo iniucundae essent. Unde factum est, ut postquam pericula propulsa fuerunt, otii impatientes divitiisque frui nescientes, cupiditatibus perturbarentur pravis atque inhonestis. Vides igitur, quam bene haec sententia cum sequenti cohaereat. —

3. *materies*] Cum hoc verbum omnia cuiusvis generis significet, ex quibus aliquid exstruitur, fingitur, efficitur, apte h. l. translatum est ad primam malorum originem.

4. *artis*] Vid. ad 2, 4. — *subvortere* cum proprie sit: rem aliquam ita vertere, ut ima suprema, suprema ima fiant (cfr. Cat.

5 neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare, magisque voltum quam ingenium
6 bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

13, 1: *subvorsos montis*; Iug. 94, 4: *subvorsis vineis*), transfertur inde ad res, quae prorsus tolluntur ac delentur; cfr. Iug. 30, 1: *probarentne tantum flagitium an decretum consulis subvorterent*; or. Phil. 8: *praeter idoneum ducem nihil abest ad subvortundum imperium*; ibid. 10: *legum ac libertatis subvortundae*. Apud Ciceronem et Caesarem non invenitur. — *edocuit*] Perfecto Romani nonnunquam, quemadmodum Graeci aoristo suo, ita usi sunt, ut quod usu compertum esset, exprimerent; cfr. Ramsh. § 164, 5, b. p. 600. Eodem modo paulo infra *subegit* dictum est et 11, 3: *quam nemo sapiens concupivit*; 51, 11: *neque cuiquam suae iniuriae parvae videntur, multi eas gravius aequo habuere.* Diversus tamen est locus Iug. 17, 6, quem suo tempore illustrabimus. Recte praeterea *fidei et probitati* opponitur *superbia*, quae, ut Graecorum *ὕβρις*, est ex animi elatione nata divinorum atque humanorum omnium negligentia; nos: *Frevelmuth*.

5. *subegit*] Verbi huius idem quod *cogere* significantis usus Plauti tantum et historicorum est (excepto tamen Caesare); ap. Sal. legitur praeter h. l. 51, 18; Iug. 24, 2; 31, 4; 44, 4. — *Falsos* bene Cortius monuit dici eos, qui alios per simulationem fallant. Plaut. Bacch. III, 6, 11: *quos quom censeas esse amicos reperiuntur falsi*. Tac. Ann. XVI, 32: *dedit exemplum praecavendi specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces*. — *non ex re*] *Res* opponitur speciei omnibusque iis, quae aliena sunt. Sententia est: amicitias inimicitiasque aestimare non tanti, quanti per se spectatae aestimandae sint, sed quantum ipsi inde aut commodi aut incommodi habituri sint; quibus continetur hoc: in amicitiis inimicitiisque et suscipiendis et dissolvendis nil nisi commoda sua sequi.

6. *vindicari*] ut h. l. c. acc. Iug. 15, 3; 20, 4; sine obiecto Iug. 30, 3; 45, 3; 106, 6; cum *in* et acc. supr. 9, 4; Iug. 31, 18; 26. — *ubi contagio quasi pestilentia invasit*] Recte iam ab aliis monitum est, *quasi* cum *pestilentia* coniungendum esse, cum *contagio* consuetum fuerit de malis cuiusque generis per contactum procedentibus, nec vero *pestilentia*. Apte comparata sunt exempla

XI. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus et ignavus 2

Cat. 36, 5: *tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat;* Iug. 32, 4: *Tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat.*

XI. 1. *propius virtutem erat*] Dativus *virtuti* in plurimis libris inventus non minus recte se haberet, quam accusativus; nec Sal. consuetudo videtur repugnare; *propior* enim c. acc. legitur semel tantum Iug. 49, 1; adv. *propius* Iug. 18, 9, quamquam utrumque nusquam c. dat.; *proxumus* c. acc. semel Iug. 49, 6; at c. dat. Iug. 18, 4; 61, 2; 75, 6; 78, 2; 94, 5; *proxume* c. acc. Iug. 18, 11; 19, 4, nusquam c. dat. Cfr. Z. § 411; Ramsh. § 117, f. p. 342. Utrum *propius* pro adi. an pro adverbio habendum sit, vide, quae de adverbio praedicati loco cum *sum* coniuncto dicemus ad Iug. 14, 11.

2. *bonus et ignavus*] *Et* in nonnullis neque iis teterrimis libris omissum est; quod utrum librariorum incuriae aut grammatici docti emendationi, an Sal. stylo tribuendum sit, nunc quidem, cum librorum singulorum ratio ac natura nondum satis cognita sit, certo dici non licet. Asyndeton admitti non posse manifestum est, nisi ubi inter res talis intercedat necessitudo, ut coniunctas eas esse quivis intelligat. Id qui negligeret, profecto obscure loqueretur. Quare locum habet asyndeton 1) in enumeratione, cuius generis luculentissimum exemplum est 51, 9: *quae belli saevitia esset, quae victis acciderent,* e n u m e r a v e r e; *rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quae victoribus collibuissent, fana atque domos exspoliari, caedem incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri.* Inde fit, ut cum ii nominentur, qui in magistratu collegae sunt, coniunctio saepissime omittatur. Cfr. Z. § 783; Rh. § 188, 1, a. p. 804. Omnino vero cum duae sive plures res coniunguntur, quas unius generis esse, aut ex reliqua oratione aut ex ipsarum natura appareat, ita ut quasi enumerentur, sine coniunctione iuxta poni possunt. Sic ap. Cic. ad Fam. XII, 25, 3: *atque inde* v e n t i s r e m i s *in patriam omni festinatione properavi* coniunctio propterea videtur omissa esse, quod aliis rebus praeterquam ventis et remis omnino navis promoveri non posset. Itaque supra 10, 2 inter *otium* et *divitiae* particulam copulativam propterea non adiectam putaverim, quod cum in praecedentibus mala enumerata essent, iam bona eodem modo enumerari consentaneum esset; quare recte Sal., ubi id non erat, 36, 4 *atque* interposuit; neque diversum est in exemplo supra scripto *caedem incendia.* Huc refero illa, quae usu ex antiquitate recepta erant: *usus fru-*

aeque sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic quia

---

ctus, *aequum bonum*, *sarta tecta*, *ruta caesa*, *ferro igni* et quae similia, et si vera est eorum opinio, qui *patres conscripti* idem esse volunt ac *patres et conscripti* (Liv. II, 1; Nieb. Hist. Rom. I, p. 551), eodem modo particula omissa est, quo cum collegae nominantur, omittitur; nec alia ratio est, cur in numeralibus, si minor numerus sequitur, *et* non adiiciatur. 2) Alterum genus asyndeti ea exempla complectitur, in quibus verbo adiungitur alterum idem fere significans, quo notio rei alia ratione illustretur, quod aut ita fit, ut quod sequatur, praecedens arctius circumscribat (33, 1: *qui miseri egentes*, ubi per *egentes* additur, qua in re potissimum constiterit miseria), aut ut primo maior vis altero addatur aut omnino novi aliquid primae notioni adiungatur. Huc pertinent illa *velle iubere*, *ferre agere*, *volens propitius*; infr. 3: *semper infinita, insatiabilis est;* 4: *rapere, trahere;* 5: *loca amoena voluptaria*, ubi *loca amoena* quasi unam notionem efficiunt, cui epitheton *voluptaria* adiicitur. 3) Recte admittitur asyndeton ubi aut contraria aut certe disiungenda sibi opponuntur, quae cum iuxta ponuntur sine particula, maxima vis orationis exsistit. Sic 49, 3: *quod is privatim egregia liberalitate*, *publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat;* et 39, 1: *plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit.* 4) Ad tertium simulque primum genus ea exempla pertinent, in quibus cum omnia complectenda sint, aut quid de omnibus promiscue valere dicendum sit, maxime sibi contraria sine particula copulativa iuxta ponuntur, unde illae formulae *hic illic*, *huc illuc*, *hinc illinc*, *cominus eminus*, *ultro citro;* cfr. Rh. l. l. b.; Z. § 782. Huius generis est Sal. Iug. 97, 5: *equites pedites permixti;* cfr. ad Iug. 51, 1. Id fieri etiam post *aeque*, *perinde*, *iuxta* similia exemplis demonstravit Walch. emend. Liv. p. 32. Tac. Ann. 17, 7: *perinde in foro in convivio;* XVI, 10: *immobilem se precibus invidiae iuxta ostendit.* — Vidimus ubi asyndeton admitti possit; at quaeritur, ubi admissum sit, de qua re prudenter iudicavit Hand. Turs. II, p. 472: „sed haec omnia a cuiusvis scriptoris ingenio et more terminos et modum accipiunt.“ Omnino autem apertum est, scriptores elegantes ibi potissimum asyndeto usos esse, ubi orationem brevibus incisis magis concitatam esse vellent, ut aut res promiscue factas ipso orationis colore tanquam depingerent, aut gravitate animos audientium percellerent. Iam ut ad eum locum revertar, qui mihi ansam praebuit haec disputandi, recte omitti posse particulam quivis intelligit (ad quartum genus id referendum esset) neque abhorreret a Salustii consuetudine; sed cum eo loco neque oratio concitata sit, sed placide fluat, neque tam promiscue omnes gloriam cupere,

bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia 3
pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea

---

quam bonum non minus ignavo dicendum sit, particulam contra plerorumque librorum auctoritatem non expellendam putavi. — Ceterum *ignavus* h. l. latiore significatione is dicitur qui nulli rei magnae ac bonae perficiendae par est. Eodem modo Iug. 57, 6 *boni* atque *ignavi* coniunguntur, quamquam ibi tantum de militari virtute intelligenda sunt. — *vera via nititur*] *Verus* de iis rebus dicitur, quae cum honestate coniunctae sunt; vid. ad Iug. 16, 1. *Vera via* igitur est *virtutis via*, ut ipse Sal. dicit Iug. 1, 3. Ad sententiam cfr. Iug. 4, 7. — *huic*] Haud raro ea, quae ad enuntiatum primarium referri debebant, maxime relativa, ab interposito secundario penduntur. Sic 52, 34: *quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica habuissent;* Iug. 93, 7: *quorum uti cuiusque ingenium erat, ita nuntiavere;* Liv. V, 1: *Romanis etsi quietae res ex Etruria nuntiabantur, tamen — ita muniebant.*

3. Observes asyndeton, quod admisit scriptor, quoniam inter *ambitio* et *avaritia* disiunctio est atque gradatio. — *habet*] *Habere* omnino dicitur de iis, quae alicuius rei partes sunt, quae in ea posita aut cum ea coniuncta sunt; vid. ad 51, 20; Beier ad Cic. d. Off. II, 22, 79: *Quam habet aequitatem, ut agrum multis saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat*, i. e. quaenam aequitas est in tali rogatione cet.; Cat. ap. Gell. XI, 3: *avaritiam omnia vitia habere*, i. e. in avaritia omnia reliqua vitia inesse, ab avaritia omnia oriri. Ex avaritia, cum sit vehemens et iniuriosa alienorum i. e. eorum, quae ipse non habeas, appetitio (ad Herenn. IV, 25, 35), oritur, ut pecuniam expetendam putemus. Quare interdum avaritia arctiore significatu de pecuniae cupiditate dicitur; cfr. Cic. Tusc. IV, 12, 26: *est autem avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhaerens et penitus insita;* haec igitur opinatio *studium pecuniae* a Sal. appellata est; cfr. ad 3, 3. Sententia est: Avaritiae hoc est, ut pecuniam valde expetendam putet, quam nemo sapiens concupivit, quamque exoptare insipientiae est. De perfecto *concupivit* diximus ad 10, 4. — De verbi *venenum* significatione Gaius, homo iuris et omnis antiquitatis peritissimus, in Dig. L, 16, 256 haec monuit: *Qui venenum dicit, adiicere debet, utrum malum an bonum; nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine continetur omne, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum est, mutat. Quum id, quod nos venenum appellamus, Graeci φάρμακον dicant, apud illos quoque tam medicamenta, quam quae nocent, hoc nomine continentur.* Eodem modo Gell. N. A. XII, 9

quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque
4 inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta re publica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes,

---

venenum in iis verbis numeravit, quae cum suo tempore de malis tantum dicerentur, apud antiquos media et communia essent, ut significare et capere possent duas inter se contrarias res. Videtur autem id verbum ductum esse a *vena* et significare omnia ea, quae per venas in omne corpus diffundantur. Apud Ciceronem *venenum malum*, nisi in antiquae legis formula non legitur, alias semper simpliciter de vitae noxio medicamento dictum est; Sal. igitur antiquitatis quam suae aetatis morem sequi maluit. — *corpus animumque virilem effeminat*] Nulla profecto causa est, cur *virilem* etiam ad *corpus* pertinere negemus; vid. ad 10, 2. Dubitarunt autem, teste Gell. N. A. XXII, 9, iam veteres, qua tandem ratione Sal. corpus avaritia effeminari dicat; in quo nos acutum eius iudicium admiramur. Etenim nonne, qui avaritiae totos se tradunt, alia omnia prae habendi studio negligere solent? nonne strenue agere, propter rem honestam labores tolerare, corpus exercere recusant? nonne praeterea animo aliqua cupiditate vehementer perpetuoque exagitato etiam corpus debilitatur? Et quid? avaritiae comes luxuria quam vim habeat ad corpus humanum, quis gravius, quis verius exposuit ipso Sal. 13, 3. — *neque copia, neque inopia minuitur*] Facile apparet, cur copia non minui avaritiam dicat; — quid enim? qui opibus affluit, cur tandem plura ac maiora concupiscat, nisi caeca avaritia moveatur? — minus manifestum est, quomodo inopia non minui recte iudicetur. Nam inopiam ardentissimos stimulos cupiditati opum acquirendarum adiicere, magis e natura videtur esse. At inops, si quidem sana mente est, non multa neque magna cupiet, sed iis contentus erit, quae ad victum sufficiant; avarus contra, etiamsi inops sit, non in iis se continebit, quae ad vitam sustentandam satis sunt, sed omnia alia concupiscet.

4. Sententia haec opponitur illi, quae § 1 proposita erat: primo magis ambitio hominum animos exercebat, sed post Sullae dominationem immoderata avaritia invasit. — *armis recepta re publica*] Haec non ita dicta sunt, quasi Sulla rem publicam, cum ante in eius potestate fuisset, tum amissam armis recuperasset, sed *recipio* dicitur de iis omnino, quae in alicuius potestatem cedunt, cum antea non fuerint; vid. Held. ad Caes. B. C. I, 12, 2. — *bonis initiis*] cfr. ad 40, 2. Plurima lux huic loco affulget ex Iug. 95, 4: *Atque illi felicissumo omnium ante civilem victoriam nunquam super industriam fortuna fuit; multique dubitavere, fortior an felicior esset. Nam postea quae fecerit, incertum habeo,*

trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat, loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis mili-

---

pudeat magis an pigeat disserere. — *rapere omnes, trahere*] Inversus ordo est Iug. 41, 5: *sibi quisque ducere, trahere, rapere. Rapere* magis vim et impetum capiendi, *trahere* gravia onera cum celeritate quadam avehendi laborem significat; cfr. 20, 12. — *neque modum neque modestiam victores habere*] Eadem coniunguntur Cat. 38, 4; Iug. 41, 9; *modestia* intelligitur in animo continens moderatio cupiditatum (ad Herenn. III, 2); *modus* significat finem rebus ipsis constitutum; quare sententia est: neque res ulla, neque animi verecundia intemperantiae impedimento erat; quippe ita animos occaecaverat cupiditas, ut quod modum excederet, quidquam neque sibi noxium ac perniciosum, neque turpe atque inhonestum putarent. Nos diceremus: *sie setzten sich über alle Schranken der Natur und der Moral hinweg.* De *in civibus* dictum est ad 9, 2. *Foedus* ad facinorum ipsorum atrocitatem, *crudelis* ad animi nequitiam, qua perpetrantur, pertinet; cfr. 52, 36.

5. *quem in Asia ductaverat*] Usus huius frequentativi Salustio cum veteribus comicis et Tacito communis est; ceteri scriptores abstinuerunt. Significat: huc illuc ducere, ut Iug. 38, 1: *ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare.* Quare dicitur de eo, qui exercitui per totum bellum, in quo multum est huc illuc ducendus, praeest; Cat. 17, 7; 19, 3; Iug. 70, 2. Ceterum *in Asia* pro *in Asiam* necessario scribendum fuit, cum id ipsum agi, ut diutius in Asia milites commoratos esse demonstretur, ostendant sequentia verba. — *luxuriose nimisque liberaliter habuerat*] Vid. ad 39, 2. — *loca amoena, voluptaria*] Haec sententia a praegresso *quod* pendet; opponitur vis, quam locorum natura in militum animos exercuit, ei, quam Sullae imperium habuit. — *ferocis animos*] *Ferox* omnino significat animum non fractum, non demissum, viribus et opibus fidentem; unde dicitur et de eo, qui vehementibus cupiditatibus exagitatur, ut sit perturbatus, vehemens, temerarius, 5, 7; 38, 1; 43, 4; 52, 18 (Subst. 61, 4); Iug. 11, 3; 9; 84, 1; et de animo elato, superbiente, Cat. 23, 3; Iug. 14, 21; 94, 4; 98, 6; 104, 2; tum de animo constanti, Iug. 54, 5 (nondum ita fractum esse regis animum, ut pacem sit petiturus); 106, 4. Recte igitur h. l. dictum est de animo non fracto, sed virium fiducia ad omnia parato.

6 tum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare,
7 sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere.

---

6. *amare*] i. e. Veneri deditum, amatorem esse; nec minus *potare*, frequentativum verbi *bibere* (cfr. Döderl. Syn. I, 149; III, 113), respondens nostro *saufen*, de ebriositate frequenter dicitur; cfr. Iug. 85, 41. — *signa*, ut 20, 12; 52, 5, imagines sunt, ex auro, argento, aere, ligno, argilla factae; *vasa caelata* erant, in quibus insculptae erant figurae. O. Müller Archaeol. § 311 sqq. — *mirari*] Involvit hoc verbum id, quod ex alicuius rei admiratione evenire solet, ut eam consequi cupiamus; cfr. Liv. XXV, 40: *ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque huic saeva profanaque omnia vulgo spoliandi factum est;* Hor. Ep. I, 1, 47: *Ne cures ea, quae stulte miraris et optas;* I, 6, 18: *I nunc argentum et marmor vetus aeraque et artes suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores*, i. e. avide intuere. — *privatim et publice*] i. e. pro se quisque et universi pro re publica; nempe non singuli solum rapiebant, quibus aut villas et domos suas exornarent, aut venditis lucrum facerent; sed etiam publice artium opera auferebantur, quibus aut publica aedificia, loca, templa Deorum decorarentur, aut ex divenditis pecunia in aerarium redigeretur. — *polluere*] Cfr. Iug. 41, 9: *Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia.* Notum est veteres loca, in quibus scelus nefarium commissum esset, polluta ideoque expianda putasse; quare Cic. pr. Rab. 4, 11: *qui expiandum*, inquit, *forum populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico.* — Quaeritur utri rectius iudicaverint, Salustius, qui perniciei originem a Sullae temporibus repetivit, an alii, qui eam iam inde a Syracusis expugnatis (212 a Chr.) et bellis contra Philippum et Antiochum Magnum gestis (200—190) initium cepisse tradiderunt. Et negari quidem non potest, iam ab illis prioribus temporibus paulatim invasisse luxuriam atque avaritiam; sed nondum tamen tam malum exemplum editum erat, ut imperator non modo intemperantiam militum non coerceret, sed frena omnia removeret. Ante Sullam igitur libidines certe coërcitae erant; gliscebat ignis tamquam sub favilla (cfr. 10, 6: *Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari*); per Sullam libere vagandi potestate facta, perniciosissima flamma erupit.

7. *nihil reliqui victis fecere*] Genitivus eius generis est, de quo exposuit Z. § 432; Rh. § 105; cfr. 28, 4; 52, 4. *Nihil*

Quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi 8
corruptis moribus victoriae temperarent.

XII. Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci

---

reliquum fieri legitur Iug. 76, 4. Diversa sunt haec duo genera loquendi constructionis ratione, non vi; *nihil reliquum facere* enim est: *nichts übrig lassen*, *nihil reliqui facere: nichts von einem Rest lassen; keinen Rest lassen.*

8. *fatigant*] *Fatigare* cum proprie sit: multiplicibus laboribus ac molestiis vires paulatim debilitare, h. l. dictum est de animis, quibus, ne sua constantia per res secundas vincatur, omnes vires sunt intendendae. Commode vertit Herzogius: *Glückliche Verhältnisse machen ja den Herzen der Vernünftigen* (rectius *der sittlich Reinen*) *zu schaffen.* — *ne*] Adeas Z. § 573; Rh. § 173, N. 2, p. 698. Ceterum recte iam ab aliis monitum est, *corruptis moribus* praedicati sive attributi loco cum *illi* coniunctum esse et opponi *sapientium.* Est igitur hic quoque locus exemplo, quantopere scriptor orationem variare amet. — *victoriae temperarent*] Cfr. Z. § 414; Rh. § 124, p. 371. Victoriae temperant, qui victoriae modum constituunt, qui cum vicerint, victos prorsus delere nolunt. Bene comparatus est locus Tac. Histor. III, 31: *illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae temperassent.*

XII. 1. Postquam scriptor in praecedentibus enarravit, quo modo rapiendi cupiditas orta, deinde aucta sit, postremo in immensum creverit, iam quid ex ea natum sit et consecutum, exponit; reddit igitur rationem eorum, quae in fine cap. 10 dixerat: *civitas immutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.* De significatione verbi *sequi* dicetur ad 54, 6; de impf. cfr. ad 6, 3; de numero ad 10, 2. — Tenendum est *paupertatem* non idem esse atque inopiam, egestatem. *Pauper* enim est, cui ad vitam sustentandam satis opum est, *egenus* sive *inops*, cui victus non suppetit. Scite Seneca Ep. 87 extr.: *Paupertas est non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet.* — Cum h. l. de divitiis sermo institutus sit, manifestum est, *innocentiam* intelligi virtutem eam, quae aliena bona cupere, multoque magis pravis ac malis artibus acquirere scelus nefarium iudicet, abstinentiam, cupiditatum moderationem; cfr. Cat. 54, 5; Iug. 46, 1. — „*pro malevolentia duci* i. e. malevolum animum prodere sive ad invidiam divitibus conflandam valere putabatur.“ Kritz. Contraria sententia est Iug. 103, 6: *Nam etiamtum largitio multis ignota erat, munificus nemo putabatur, nisi pariter volens, dona omnia in benignitate habebantur.* —

2 coepit. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque hu-
3 mana promiscua nihil pensi neque moderati habere. Operae pretium est, quom domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri

---

2. *ex divitiis*] „Simplici ablativo causa efficiens proxima indicatur, *ex* praepositione addita significatur id, quod ex altera re temporis progressu efficitur et consequens est, neque continuo illam excipit; cfr. Cat. 14, 6: *uti cuiusque ingenium ex aetate flagrabat;* 35, 2: *ex nulla conscientia de culpa;* Iug. 7, 5: *alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre solet;* 32, 5: *timido et ex conscientia diffidenti;* 39, 2: *Albinus ex delicto fratris invidiam timens.* Adde 48, 2; 50, 1; 55, 1; 62, 8." Kritz. — *Superbia* h. l. non alia significatione est, quam supra 10, 6. Quod ibi generaliter dixerat Sal., iam h. l. apud Romanos factum esse demonstrat. — In sequentibus apparet omnia pendere a verbis *nihil pensi neque moderati habere*, de quibus dixi ad 5, 6. Sententia est: in rapiendo, consumendo, sua parvi pendendo, aliena cupiendo, in pudore, pudicitia, divinis humanisque promiscuis nihil prorsus sibi curandum et moderandum putabant. Substantiva cum infinitivis mixta esse non est, quod miremur, siquidem infinitivus naturam substantivi habet. Praeterea pudorem et pudicitiam diversa esse quivis intelligit; pudor enim est in universum peccandi verecundia; quare 3, 3 oppositus est audaciae; cfr. 16, 2; 54, 5; Iug. 100, 5; at pudicitia est castitas animi. Qui pudorem abiecit, mala, inhonesta, turpia committit; qui pudicitiam, obscoenam libidinem non aversatur. — *divina atque humana promiscua*] *Promiscua*, quae est eius vocabuli originatio, nihil aliud potest significare, nisi: sine discrimine; igitur omnia illi neglexisse dicuntur, ut ne inter divina atque humana discrimen esset, unde simul intelligitur, cur adiectivo non adverbio usus sit.

3. *exaedificatas*] Salustius, qua est in verbis expendendis diligentia ac subtilitate, *exaedificatas* scripsit, non *aedificatas*, quoniam composito magis amplioris operis perfectio significatur. — *visere*, verbum frequentativum, dicitur de continuata aut saepius repetita alicuius rei contemplatione; nos: *besehen, besichtigen.* Cfr. Cat. 61, 8: *qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant;* Iug. 12, 3: *ut tamquam suam visens domum eat* (*gleichsam um in seinem Hause nachzusehen*); 60, 5: *pati sine tumultu regis proelium visere* (*zuschauen*). Non sine causa deinde

maiores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delu- 4
bra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque
victis quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi 5
contra ignavissumi homines per summum scelus omnia ea
sociis adimere, quae fortissumi viri victores hostibus reli-

---

scriptor addidit *religiosissumi mortales.* Opineris enim eos, qui essent religiosissimi, summum studium in exornandis quam splendidissime templis posuisse. Verum maiores ne templa quidem, quamquam religiosissimi erant, tam splendida tamque magnifica fecerant, quam posteriores privata aedificia.

4. *Verum*] pariter ac *sed*, saepius usurpatur, ubi orationis quasi filum interrumpitur; cfr., quae scite de hac particula monuit Z. § 348 Not. Sententia est: Putabant maiores nostri, non pretiosa ornamenta delubris Deorum decori esse, sed pietatem, qua colerentur, neque privatas suas domos alia re splendidas esse volebant, nisi sua ipsorum gloria. Ad sententiam cfr. Iug. 85, 40: *Nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse; arma, non suppellectilem decori esse. Licentiam iniuriae* patet esse: licentiam adimebant, ne quam illi sibi inferrent iniuriam.

5. *At hi contra*] Saepius particulae *at*, quo maiore cum vi oppositio efferatur, adiicitur *contra* sive *ex contrario*, *potius* similia; cfr. Iug. 4, 7; 15, 3; 36, 2. — De praepositione *per* vid. ad 6, 7. Tum quod infinitivus historicus excipit tempus finitum ne offendat, cavit Fabrii diligentia comparatis exemplis Cat. 16, 2; 21, 4; 25, 5; 60, 3; Iug. 32, 3; 65, 5; 67, 1 cet. — *hostibus*] Quamquam hoc verbum propterea est suspectum, quod in multo maxima librorum manu scriptorum parte omissum est, tamen tantum abest, ut additamentum insulsum iudicem, ut si glossema esset, admirarer sagacitatem ingenii eius, qui id orationi interserendum esse vidisset. Etenim quis est, cum cetera singula singulis tam accurate respondeant, *ignavissumi homines — fortissumi viri, per summum scelus — victores* (quod rectissime Kritzius monuit esse: cum victorum iure uti possent), *adimere — reliquerant*, nihil esse, quod *sociis* opponatur, non miretur; qui non intelligat, addito *hostibus* praeclarissimam esse sententiam, multoque maioribus laudibus ornari maiorum aequitatem, quo gravius notetur aequalium nequitia? Quippe hi socios, quos tueri debebant, quibus iniuriam facere contra omne ius fasque erat, diripiebant, maiores hostibus, quibus si fieret iniuria, non modo excusari sed iure facta poterat videri, nihil nisi iniuriae licentiam eripiebant. Nemo praeterea, qui quam negligenter libri Salustii exarati sint, animo reputaverit,

querant: proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus sub-
2 vorsos montis, maria constructa esse. Quibus mihi viden-

---

ut alia probabilis causa, cur in plerisque libris omissum sit, afferatur, requiret. Ceterum socios non dici eos, qui cum liberi essent, foedus et amicitiam cum Romanis inierant, sed qui bello devicti Romanorum imperio se subiecerant, et stipendia pendere, milites, naves, frumentum ad bella mittere coacti erant, qui rerum Romanarum gnarus est, non ignorabit. — De *proinde* particula vid. Z. § 282; cfr. Iug. 4, 8. — *id demum*] Cfr. 20, 4: *nam idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est;* Liv. IV, 4: *Verum enimvero lege id prohibere et connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est.* Hoc adverbium cum proprie significet *postremo*, tum dicatur de iis, quae multo posteriore tempore fiunt, quam quo fieri debebant, aut certe ut fierent, optabatur aut exspectabatur, transfertur ad ea, quae inter multa alia ultima, i. e. potissima sunt; quare Cic. ad Att. VIII, 8 init. scripsit: *Sic enim sentio, id demum aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit.* Cfr. supra 2, 9: *Verum enimvero is demum mihi vivere* cet. Eodem modo, quo in exemplis modo allatis pronomen *is* dictum est Iug. 31, 26: *nam impune quaelibet facere id est regem esse.*

XIII. 1. *nisi iis*] Manifestum est, h. l. a Sal. non aequales suos opponi posterioribus; sed id quod vel praesens tempus ostendit, eos, qui ipsi viderint, iis qui fando acceperint; relativo igitur enuntiato contineri id, quod maximum et gravissimum sit. Quare non dubitavi pro *his* scribere *iis* (etiam rectius scripsissem *îs*) eoque minus, cum quam exigua hac in re librariorum fides sit, vel inde intelligatur, quod innumerabilibus locis verbis a vocali *i* incipientibus litteram *h* praefixerunt. — *maria constructa esse*] Variant libri inter *constrata* et *constructa.* Illud intelligendum esset de molibus in mari aedificatis, de quibus Horat. cecinit Od. III, 24, 3: *caementis licet occupes Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum* et III, 1, 33: *contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum molibus; huc frequens caementa demittit redemtor cum famulis dominusque terrae fastidiosus. Maria constructa* vero dici putantur amplae illae piscinae, ingentes lacus, facti terra effossa et per canales immissa aqua marina, quales exstruxisse Lucilius, Philippus, Hortensius ingeniosusque ille luxuriae magister Lucullus a veteribus traduntur. Atque hoc verum esse statuitur

tur ludibrio fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido 3
stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat; viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere;

---

propterea, quod Sal., contraria opponere amans exadversus *montes subvorsos* rectius videatur *maria constructa*, quam *constrata* posuisse. At num perspicue locutus esset Sal., cum piscinas illas *maria* diceret? num recte dixisset *maria constructa* pro *effossis?* quamquam de simili re Tac. Ann. XII, 56: *stagno cis Tiberim structo.* Deinde num credibile est, aliud h. l. intelligi, quam 20, 11: *illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis*, ubi vel singularis vetat, de piscinis cogitari, sed de mari molibus obiecto? Utra denique rectius sibi opponuntur, montes subversi et terra effossa, an planities facta, ubi montes fuerant, terra effecta, ubi antea mare? Verius equidem iudico *constructa* quam *constrata*, quoniam illud cum difficilius esset ad intelligendum, interpretatione aut emendatione videbatur egere; sed *maria constructa* censeo esse: *überbaute Meere.* Constructionem satis defendit *exstruere mare* et quod Cortius iam comparaverat *navigare mare* (cfr. Z. § 383; Rh. § 132, p. 389). Accedit, quod eodem modo verbo illo usus est Catullus C. 64, 304: *Largae multiplici constructae sunt dape mensae*, quae quid aliud significant, nisi hoc: mensae cibis, turrium in modum exstructis, obtectae sunt?

2. De *honeste habere* vid. ad 5, 9; *per turpitudinem* ad 6, 7.

3. *cultus*] cum omnia comprehensa teneat, quae ad corpus colendum pertinent, h. l. de luxurioso cultu dictum esse et ea, quibus adiunctum est, et quae postea illustrandi causa proferuntur, demonstrant. Bene enim Kritzius monuit, quae antea in universum significasset, iam singulis enumeratis illustrare scriptorem; ad *stuprum* spectare verba *viri — habere*, ad *ganeam* verba *vescendi — exquirere*, ad *ceterum cultum* reliqua. — *viri muliebria pati*] Hunc verborum ordinem alteri *viri pati muliebria* ea de causa praeferendum putavi, quod Romani, quae sibi opponuntur, non separare soliti sunt. Cfr. Z. § 798. — *in propatulo habere*] *Propatulum* dictum est de quoque loco aperto, omnibus patente; igitur *in propatulo esse* dicebantur ea, ad quae aditus omnibus pateret, unde quid sit *in propatulo pudicitiam habere* quivis intelliget. Romanorum illorum temporum in coenis apparandis luxuriam, teste Gellio N. A. VII, 16, perstrinxerat Varro satira περὶ ἐδεσμάτων; in ea haec edulia commemoraverat: *pavus e Samo, Phrygia attagena, grues Melicae, haedus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia, muraena Tartessia, aselli Pessinuntii, ostrea Ta-*

vescendi caussa terra marique omnia exquirere; dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu
4 antecapere. Haec iuventutem, ubi familiares opes defece-
5 rant, ad facinora incendebant; animus imbutus malis artibus

---

rentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, scari Cilices, nuces Thasiae, palma Aegyptia, glans Hiberica. Hanc autem, addit Gellius, *peragrantis gulae et in succos insuetos inquirentis industriam atque has undiquevorsum indagines cupediarum maiore detestatione dignas censebimus.* Nec minore severitate simul cum festivo lepore eundem morem perstrinxit Horat. Sat. II, 2. — *luxu*] Idem vocabulum legitur Cat. 53, 5; Iug. 2, 4; 6, 1. Recte Döderl. Syn. II, 18 sqq. inter *luxum* et *luxuriam* hoc discriminis intercedere statuit, ut illud significet habitum luxuriosi hominis vel res quas talis agat (ἀσωτία), *luxuria* studium mollioris delicatiorisque vivendi generis. Illud apud veteres omnino rarius fuisse, idem vir doctissimus observavit. — *antecapere* dicitur de omnibus, quae prius quam aliud quid prehenduntur, in usum convertuntur, conficiuntur. Sic 32, 1: *optumum factum credens exercitum augere ac prius quam legiones scriberentur, antecapere quae bello usui forent*, i. e. antea parare; 55, 1: *Consul optumum factum ratus, noctem quae instabat antecapere, ne quid eo spatio novaretur*, i. e. celeriter uti ea nocte, ne quis prius uteretur; Iug. 21, 3: *maxume festinans tempus legatorum antecapere*, i. e. eo tempore, quod legati in itinere consumpturi essent, priusquam redirent, uti; 50, 1: *uti locum castris antecaperet*, i. e. loco castris idoneo ante potiretur, quam ab hostibus prohiberetur. Iam h. l. significat: famem, sitim, frigus, lassitudinem prius excitare, quam ipsa advenirent. Famem et sitim excitabant Romani et rapulis acidis, inulis, lactucis similibus comedendis (cfr. Hor. Sat. II, 2, 43; 8, 8) et — o turpissimos homines! — contra naturam vomendo; frigus captabant vel in porticibus umbrosis ac marmore exstructis (Martial. I, 56, 5: *Quisquam picta colit Spartani frigora saxi*) vel in cryptis et hypogaeis, de quibus Gerlachius commode attulit Ambros. Ep. 12: *Luxuriosorum est hypogaea quaerere, captantium frigus aestivum eo quod resoluti deliciis aestus aliter ferre ac tolerare nequeant et ideo quaerunt umbrosa penetralia vel quod desidiosi ignara sub terris agant otia*, vel flabellis, quibus delicati servi ventulos facerent (Ter. Eun. III, 5, 47); lassitudine denique se afflictabant variis corporis exercitationibus balneisque supra naturae modum frequentatis. —

5. Sententiam hanc esse manifestum est: Luxuriosi mores iuventutem ad facinora accendebant, ubi familiares opes consumpse-

haut facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

XIV. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat.
2 Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo manu, ventre,

---

rant. Etenim cum in tam corruptis civitatis moribus adolevissent, tantum aberat, ut inopia rei familiaris libidines sedarentur, ut eo profusius quaestui studerent et sumptum facerent, aere alieno contracto. *Carere* est liberum esse, quo significatu usurpatum esse etiam Cic. testatur Tusc. I, 36, 88; involvit autem h. l., id quod appositum *haut facile* demonstrat, notionem sese eripiendi, in libertatem vindicandi. De *profusus* vid. ad 5, 4.

XIV. 1. *In tanta tamque corrupta civitate*] Cum Sal. scripsit *tanta*, respexit ad ea, quae supra 10, 1 de incrementis imperii Romani protulerat. De *id quod* vid. ad 51, 20. — *flagitiorum atque facinorum tamquam stipatorum catervas*] *Flagitia atque facinora* dici pro: homines flagitiosi et facinorosi, non mirum est, si quidem a comicis saepissime homines scelesti *scelera* sunt appellati (cfr. Z. § 675; Rh. § 203, II, 1, a. p. 955 sq.). *Flagitium*, quamquam quae sit vocabuli origo, nondum liquet, bene tamen Döderl. Syn. II, p. 141 demonstravit semper de iis dici, quibus is, qui ea agat, turpitudinis sibi notam inurat, quae ignavia ingeniique pravitate in se ipse committat, quibus corpus animumque suum corrumpat; cfr. Iug. 30, 1; 38, 10; 54, 4; 85, 42; 44; *facinus* autem cum proprie sit quod quis facit, significat quodque factum insigne, magna audacia magnoque nisu perpetratum. Vox igitur media est diciturque et de re bona et de re mala. De re bona Cat. 2, 9: *praeclari facinoris* (53, 2; Iug. 5, 4; 56, 4); *tale facinus* 7, 6; *egregia f.* Iug. 2, 2; 79, 1; plerumque quidem, maxime ubi nullum adiectivum additum est, de re mala dicitur. Ubi cum *flagitium* coniunctum est (praeter h. l. infr. 2; 23, 1; 37, 5), manifestum est, significari, quae in alios fiant, nefaria facinora (vid. ad Iug. 15, 2); flagitia committunt impudici, adulteri, ganeones, facinora parricidae, sacrilegi. Diversitatem vocabulorum illustrat Cic. in Cat. I, 6, 13: *quae libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit?*

2. *Manu* qui bona patria laceraverint, vix dubium est, quin Sal. intellexerit aleatores, quorum catervam circa Catilinam fuisse testatur Cic. in Cat. II, 10, 23: *in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur.* *Lacerare*

pene bona patria laceraverat, quique alienum aes grande
3 conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus atque

---

eadem significatione dictum est a Plaut. Merc. prol. 48: *lacerare rem suam* et Cic. in Verr. II, 3, 70, 164: *hanc pecuniam tantam — abs te sic laceratam esse dico.* Neminem fugiet, inesse in hoc verbo quasi vi factam bonorum dissipationem. — *redimeret*] Cum saepe dicatur *redimere* de iis, quae pecunia numerata amoventur, ut *redimere pericula*, *ignominiam*, *virgarum metum*, h. l. ad facinora translatum est, quamquam ipsa flagitia aut facinora non redimuntur, sed adversus eventus iudiciorum. Perstringit Sal. eos, qui corruptis iudicibus efficiebant, ut scelerum absolverentur, itaque illa non fecisse iudicarentur, id quod ipse Catilina fecerat, cum pecuniarum repetundarum reus (cfr. 18, 3) ex eo iudicio tam egens discederet, quam quidam iudices eius ante illud iudicium fuerant (Q. Cic. pet. cons. 3, 10). Simili modo verbo *redimere* usus est Plancus in Cic. Epp. ad Fam. X, 8: *Non enim praeteritam culpam videri volo redemisse.*

3. *omnes undique*] *Undique* sic dictum est quasi sequeretur tale quid: ad Catilinam convenerant. Ordinis verborum eadem ratio, atque in *sibi quisque*, *suum quisque* eoque exemplo, quod commemoravit Herzogius, Caes. B. G. V, 3: *de suis privatim rebus.* Etenim quod vocabulum alteri vim addit, iuxta id ipsum collocari solet; praeterea *omnes*, ab *parricidae* separatum, maiore vi effertur; cfr. Iug. 104, 1: *illosque et Sullam venire iubet, item L. Bellienum praetorem Utica, praeterea omnis undique senatorii ordinis.* *Parricidas* Festus testatur iam antiquissimis temporibus non solum parentum percussores dictos esse, sed omnes, qui hominem liberum dolo scientes morti dedissent (Exc. Paul. Diac. p. 121 Lindem.); usurpabatur autem omnino id nomen de iis, qui nefarium aliquod ac detestabile scelus, quale parentum caedes, commisissent, qui ea nefarie violassent, quibuscum ipsis sancta quaedam necessitudo intercederet; cfr. 31, 8; 51, 25 (cum quo loco recte comparatur Cic. in Vatin. 15, 35: *esne igitur patriae certissimus parricida?*); 52, 31. Eodem modo, cum *sacrilegi* dixit, intellexit omnes, qui impiae mentis essent, non illos solum, qui delubra exspoliassent. Iis lege eandem poenam constitutam fuisse ac parricidis, apparet ex Cic. d. Legg. II, 9, 22: *sacrum sacroque commendatum qui clepserit rapseritve parricida esto.* — *ad hoc*] Exspectaveris *ad hos;* sed historicorum, maxime Livii et posteriorum est *ad hoc*, *ad haec* prorsus eodem modo usurpare, atque *praeterea*, *insuper;* cfr. 17, 4; 21, 4; 30, 6; 37, 10; 44, 6; 53, 3; Iug. 6, 1; 31, 28;

lingua periurio aut sanguine civili alebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proxumi familiaresque erant. Quodsi quis etiam 4
a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur.
Sed maxume adulescentium familiaritates appetebat; eorum 5
animi molles et aetate fluxi dolis haut difficulter capie-

49, 4; 67, 1; 111, 2; vid. ad 31, 8. Praeterea periurium linguae, sanguis civilis manuum est; ordo igitur in oppositis inversus est, quam rationem grammatici Chiasmum vocant, cuius exempla invenies 46, 2; 61, 9; Iug. 7, 5; 66, 6. Hanc ob causam in altero membro vocabula coniungi non poterant, sed necessario per *aut* particulam erant disiungenda. *Periurium* quid sit, cognoscimus ex Cic. d. Off. III, 29, 108: *Non enim falsum iurare periurare est, sed quod ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere periurium est. Alere* h. l., ut 37, 2; 7, interpretandum est: res ad victum cultumque necessarias praebere. Notat scriptor eos, qui falsis testimoniis dicendis quaestum faciebant (testes enim cum iurati, se vera dicturos esse, falsa dicerent, periurabant), tum sicarios caedem quamque perficere paratos, ad quam mercede conducerentur (vid. Iug. 35, 5); denique eos, qui propinquos, quo hereditates acciperent, aut eos, quos ut se heredes scriberent, movissent iugulandos curabant. — *conscius animus*] De mala conscientia (Iug. 62, 8) intelligendum esse, quivis videt. Sic *conscius* dictum est Iug. 40, 2; *conscientia* Cat. 15, 4; Iug. 32, 5; 35, 4; 85, 26. De verbo *exagitare* dicetur ad 29, 1. — *proxumi*] cfr. Iug. 35, 2; 80, 3; 97, 2; vid. ad Iug. 12, 3. —

4. *in amicitiam eius inciderat*] Verbo, de malis rebus usurpato, ut recte iam ab aliis monitum est, significatur, Catilinae amicitiam iis, qui ea uterentur, quasi pestem ac perniciem fuisse. — *par similisque ceteris efficiebatur*] Argutantur, qui *par* ad aequam animi nequitiam, *similis* ad non multo diversam agendi rationem pertinere dicunt, immo diversum nequitiae modum significant. Qui non pares i. e. non aeque scelesti ac nefarii fiebant, certe non multum illis nequitia cedebant. Offendit *que*, quod quidam disiunctivam vim habere et pro *aut* vel *aut certe* dictum putarunt; quod falsum esse iam ad 8, 1 diximus. Non offenderet *que*, si pluralis positus esset; si qui — inciderant, pares similesque ceteris efficiebantur; sed in *si quis* inest: quicumque inciderant, unde quo iure haec per *que* coniuncta sint, intelligitur. —

5. De plurali *familiaritates* cfr. Z. § 92; infr. 15, 4: *neque vigiliis, neque quietibus.* — *molles et aetate fluxi*] Cum *molle* sit,

6 bantur. Nam uti cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere,
7 dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

---

quod facile movetur et flectitur, molles animi sunt, in quibus parum virium est ad resistendum (cfr. Iug. 82, 2: *nimis molliter aegritudinem pati*, i. e. minus fortiter); *fluxus* cum proprie sit fluens (vid. ad 1, 4) refertur ad inconstantiam consiliorum. Sic Iug. 111, 2 *fluxa fide usus* est inconstanti fide; cfr. 104, 2: *rerum humanarum quae fluxae et mobiles semper in advorsa mutantur.* Intelligitur vero in *aetate fluxi* id ipsum contineri, propter quod molles sint animi iuvenum; igitur per *et* priori id adiungitur, quo accuratius res definitur; vid. ad 6, 1. Ceterum iuvat comparare Ciceronis verba in Cat. I, 6, 13: *cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti?*

6. *ex aetate*] Vid. ad 12, 2. — *Postremo* saepissime a Sal. sic usurpatum est, ut id adiungat, quod et praegressa et quae praeterea commemorari possunt, omnia complectatur. Est igitur *überhaupt*, *kurz* (*ne plura, ne multa alia commemorem*); cfr. 20, 12; 23, 3; 51, 9, 38; Iug. 3, 1; 10, 2; 13, 6; 16, 3; 31, 12, 20; 38, 5; 44, 5; 46, 5; 49, 4; 64, 2; 92, 2; 110, 4. — *Modestia* h. l. intelligitur moderatio cupiditatum (vid. ad 11, 4), qua ne quid contra decus admittatur cavetur, *das Ehrgefühl, die Ehrbarkeit.* De *dum* vid. ad 5, 6. —

7. Ex iis, quae ad 8, 2 dicta sunt, manifestum est, h. l. non *aestumarent*, sed *existumarent* scribendum fuisse. De indicativo *frequentabat* adeas Z. § 546; Rh. § 186, II, 2, p. 795 sq. Exempla invenies 17, 7; 22, 3; 27, 4; 30, 6; 50, 3; 51, 32; Iug. 35, 1; 63, 1; 106, 3. De *honeste habuisse* ad 5, 9 diximus. — *quam quod — foret*] Cfr. Rh. § 181, N. 1, p. 754. De usu coniunctivi impf. *forem* ad 29, 1 dicetur. *Comperire* semper est ita cognoscere, ut res certa sit. Locos Sal. ad Iug. 45, 1 collectos exhibebimus. — *fama valebat*] i. e. eam vim nacta erat, ut ab plurimis hominibus crederetur. Videtur scriptor h. l. tecte eosdem notare, quos apertius 22, 3 Catilinae scelerum atrocitatem Ciceronis gratia nimis auxisse scribit.

XV. Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiuscemodi contra ius fasque. Postremo captus amore 2
Aureliae Orestillae, cuius praeter formam nihil umquam

XV. 1. *Iam primum*] Continuantur hisce illa, quae Sal. supra c. 5 inchoaverat interpositaque de corruptis populi Romani moribus indeque facta Catilinae potestate socios sibi adiungendi disputatione interruperat. *Iam* particula igitur inservit continuationi eius generis, ubi oratio ab ampliore latiusque patente ad aliquid singulare atque angustius transgreditur; *primum* autem significat commemorari, quae tempore priora fuerint et bene Kritzius monuit, talem fere sententiam exprimi: *ut ab initio repetam.* Pari modo 7, 4 *iam* continuationi inservit, *primum* autem additum est, quod scriptor quae studia Romani exercuerint, enarrans, a iuventute, prima hominis aetate, orditur. — Quae fuerit *virgo* illa *nobilis*, ignoratur; nec vero credibile est, eandem rem a Sal. tangi, quam Cicero Catilinae obiecit in orat. in tog. cand. (Opp. ed. Or. vol. II, P. I, p. 525): *cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti*, ad quae verba Ascon. Pedian.: *Dicitur Catilinam adulterium commisisse cum ea, quae ei postea socrus fuit et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia eius esset. Haec Lucceius quoque Catilinae obiicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni.* Nam *virginem* dixit Salustius, quam nuptam fuisse ex *adulterium*, quo verbo usus est Asconius, intelligitur; tum vix credibile est, Salustium cum cetera scelera liberrime enarraret, hoc omnium longe atrocissimum, tam obscure et quasi obiter tacturum fuisse. Parum verisimiliter Drumannus (Geschichte Rom's in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung) Tom. V, p. 388 coniecit filiam Orestillae fuisse, quae commemoratur c. 35, 3. — *sacerdos Vestae*] Idem scelus Cicero tecte Catilinae opprobrio dedit in ea oratione, quam modo commemoravi: *cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret;* ad quae Ascon. adnotavit: *Fabia, virgo Vestalis, causam incesti dixerat, cum ei Catilina obiiceretur, eratque absoluta haec Fabia. Quia soror erat Terentiae Ciceronis, ideo sic dixit: etiamsi nulla culpa subesset. Ita et suis pepercit, et nihilo levius inimico summam opprobrii turpitudinem obiecit.* Salustius etsi Fabia absoluta erat, tamen eam rem pro comperta narravit; et qui est eius veritatis amor, vix eum id mentitum esse crediderim. — *alia huiuscemodi*] Qua ratione ante *alius*, *reliquus*, *ceterus* coniunctio copulativa recte omittatur, intelliges ex iis, quae ad 11, 2 disputata sunt;

bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo creditur necato filio va-
3 cuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res

---

cfr. Rh. § 188, A. c. p. 805; Z. § 783 extr.; 21, 2; 25, 2; 48, 4; 57, 1. Görenz. ad Cic. d. Legg. III, 9, 21.

2. *Postremo* patet ad ultima ante initam coniurationem tempora pertinere. — *adulta aetate*] *Adultum aetate*, quod in plurimis libris scriptum, tamen alteri scripturae *adulta aetate* propterea posthabendum est, quod nemo nisi aetate adultus esse potest. Nam omnia ea, quae commemorata sunt, quibus multa interdum ornandi causa adiici ostenderetur, *sollertia ingenii*, *munificentia animi*, *pauci numero*, *natione Medus*, *domo Batavus*, ita sunt comparata, ut semper aliquid oppositum cogitari debeat. Sic praeter ingenitam animo sollertiam alia est, quae usu ac doctrina paritur; *munificentia animi* opponitur ei, quae non est animi, sed emolumenti nanciscendi causa exercetur. Et cum dicitur *pauci numero*, apparet sententiam esse: ubi numerus cum aliis comparatur, pauci sunt. In *natione Medus*, *domo Batavus* denique ablativus additur, quo lector animadvertat, nihil negligi, quod ad noscendum hominem pertineat. Etiam multo minus comparari potest *provectus aetate*, in quo, quoniam *provectus* per se non significat aetatis decursum, *aetate* addi aeque necesse est, atque *natu* ad *minimus*, *maximus*, similia. Quid vero locis Lucretii *robustis aetas adolevit annis* et Ovidii *adolescere annis* in hac quaestione effici possit, prorsus non percipio; illo enim loco additum *robustis* novam notionem affert, et in hoc poëtica quaedam facultas excusationi est. Rectius igitur *adulta aetate* scribitur, quo usus est etiam Cic. in Verr. Act. II, l. III, 68, 160: *qui in epulis quotidianis adulta aetate per triennium inter impudicas mulieres* et *intemperantes viros versatus sit*. Ceterum Sal. videtur anacoluthiam admisisse; valde enim dubito, an quisquam umquam Romanorum dixerit: *pro certo credor;* anacoluthia autem facilem habet excusationem, quod illa, quae praecedunt *captus amore Aureliae Orestillae* pluribus interpositis ab reliquis separata sunt. — *Vacuus* cum dat. coniunctum est, ut apud Liv. I, 46 extr.: *cum domos vacuas novo matrimonio fecissent;* et *vacuefacere* Cic. in Cat. I, 6, 14: *Quid vero nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses* (plerique tamen libri: *vacuam fecisses*), *nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto, et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur.* Quod eo loco Cicero Catilinae obiecit scelus, non oblivione, sed caute omissum esse a Salustio, ne parum comperta nar-

mihi in primis videtur caussa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque 4 vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia men-

---

raret, facile indicabit is, qui Ciceronis animum ira accensum cum huius aequitate et moderatione comparaverit. Cautius in filii quoque caede enarranda versatus est, quam et Cicero et Valer. Max. IX, 1, 9, quorum uterque rem ut exploratam commemorarunt.

4. *Dis hominibusque infestus*] Gell. N. A. IX, 12: *infestus*, inquit, *ancipiti quoque significatione est; nam et is infestus appellatur, qui malum infert cuipiam, et contra, cui aliunde impendet malum, is quoque infestus dicitur.* Manifestum est, a Sal. *infestus* dictum esse de mente per conscientiam exagitata, conscius enim sibi erat Catilina, et Deos et homines a se sceleribus laesos et violatos, nihil sibi ab iis sperandum, omnia timenda esse. Propterea ipse maximum in illos odium conceperat. Rectissime igitur vertes: *mit Göttern und Menschen verfeindet.* De vocabuli origine vere videntur statuere, qui ab *fendo* deducunt, ut contractum sit ex *infensitus.* Primaria igitur significatione dicas *infestum* id esse, quod nobis ita sit oppositum, ut in eo non possimus non infendere, *anstössig* (non est quod pluribus moneam, participia passiva cum *in* saepissime adiectivorum naturam induere); quare de omnibus iis dicitur, in quibus est, quod metuas, cavendum putes; maxime vero de hominibus, quorum ira est metuenda. Cic. pr. Planc. 1, 1: *acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua benevolentia praesidio custodiaque texisset.* „*Wenn seine Rettung gerade desshalb einen Anstoss geben (haben) sollte.*" Id. pr. S. Rosc. Am. 11, 30: *pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta; filii vita infesta saepe ferro atque insidiis appetita.* Filium vivere inimicis offensioni erat, quare eum de medio tollere cupiebant. Eodem modo *iter*, *via*, *terra* dicuntur *infesta*, si quid est, quod in iis metuas; Iug. 89, 5: *nam praeter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus;* ubi *serpentibus* est ablativus. — *neque quietibus neque vigiliis sedari poterat*] Cum vigilamus mentisque compotes sumus, quae res nos perturbent, a nobis amovere possumus, somno vero oblivio fere afferri solet; at Catilinae animus ita exagitabatur, ut neque cum vigilaret, perturbationes fugere posset, et etiam per quietem ei foedae ac dirae imagines obiicerentur. Igitur nec vigiliis nec quietibus, ut animus sedaretur, fiebat. — *vastabat*] *Vastare* proprie est vastum i. e. inane, vacuum reddere; quem ad modum octies ap. Sal. de terrae depopulatione dictum est; quare hoc verbo Romani omnino de rebus usi sunt, quae delentur

5 tem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

---

aut male afficiuntur, cfr. Iug. 31, 6: *res publica vastaretur* et 41, 9: *ita avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia;* inde recte transfertur ad animum, vehementissimis permotionibus agitatum et quasi direptum. Non minus recte h. l. *vexabat* dictum esset, quod verbum, frequentativum a *vehere* factum, usurpatur de motu vastiore, de eo, quod fertur et raptatur atque huc atque illuc distrahitur (Gell. N. A. II, 6, 5); translate autem de quaque re, quae corrumpitur et deletur, cfr. 3, 5; 5, 8; 20, 12; 50, 1. Sed, ut *vastabat* verius iudicarem, et magno codicum consensu motus sum et quod librarios ad interpretandum *vexabat* eo verbo usuros fuisse vix credibile est; accedit, quod Sal. 5, 5 prorsus similiter *vastum animum* dixit eum, qui nulla re satiari sedarique potest.

5. *Colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus* ex vehementi animi perturbatione orti erant, unde quisque perspiciet, quomodo hoc enuntiatum per particulam *igitur* cum praecedente coniungatur. *Foedus* de omnibus iis dicitur, quae sunt sensui humano horribilia; cfr. 52, 13; 55, 4: *incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis eius* (loci in carcere) *facies est;* Iug. 51, 1: *ceterum facies totius negoti varia, incerta, foeda atque miserabilis.* — *prorsus*] Id adverbium, factum a *pro* sive *porro* et *vorsus* (versus), cum proprie significet: recta, in anteriorem partem, usurpatur de iis, quae aut minime a vero recedunt, aut ne minima quidem cum dubitatione contenduntur (plane ut nostrum *geradezu*). Sic 16, 5: *sed ea prorsus opportuna Catilinae,* i. e. ea ipsa vel maxime o. Quoniam vero in itinere, quod recta fit, ambages omnes vitantur, ibi saepissime Romani eo adverbio usi sunt, ubi quod omnia complecteretur remque conficeret, afferrent; ut significatio esset: ut paucis complectar. Eodem modo excepto uno loco modo notato, semper Sal. usus est, cfr. 23, 2; 25, 5; Iug. 23, 1; 30, 3; 66, 1; 76, 4. — *facies*] Recte iam Gell. N. A. XIII, 28 eorum refutavit sententiam, qui faciem os tantum et oculos et genas esse putarent. Cum enim hoc verbum factum sit a *facio* (ut *species* a *specio*, unde *aspicio*, *conspicio*, alia eius generis), refertur ad omnem externum rei cuiusque, maxime vero corporis humani habitum (*die Gestaltung*, *Bildung*); id quod h. l. praecedentia *citus modo, modo tardus incessus*, quae cum reliquis eo verbo comprehenduntur, ostendunt; cfr. 31, 1: *urbis facies;* 55, 4: *loci facies* (Iug. 78, 3); Iug. 46, 5: *contra belli faciem,*

XVI. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testis 2
signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula

49, 5: *insolita f.* (*die ungewöhnliche Erscheinung*); 51, 1: *facies totius negoti.*

XVI. 1. Argutantur, qui *multis modis* non cum *edocebat*, sed cum *illexerat* coniungendum esse propterea dicunt, quod in sequentibus ipsa facinora, non edocendi modi enumerentur, 14, 6 autem iam significatum sit, variis rationibus ac viis ad illiciendam iuventutem Catilinam usum esse. Etenim cum varia genera facinorum in sequentibus commemorentur, per se intelligitur, multos fuisse modos edocendi, cum alius alia ratione ad alia facinora perpetranda instituendus esset. Praeterea non video, cur h. l. iterum Sal. varios modos illiciendae iuventutis commemoraverit, et eo loco posuerit, ut graviore numero haec verba efferenda essent, cum aperte hoc potius eius consilium fuerit, ut demonstraret, quibus artibus Catilina iuvenes illos idoneos sibi coniurationis socios effecerit. Monendum autem est, non tam *modis* quam *multis* urgeri. Ceterum *illicio* a Romanis semper in malam partem dictum esse constat; cfr. Cat. 57, 1; Iug. 47, 4; 97, 3. Ad quid illexerit, eo minus fuit dicendum, cum ex 14, 6 satis appareret, intelligendum esse *ad suam amicitiam.*

2. De synesi, per quam pluralis *illis* refertur ad singularem *iuventutem*, adeas Z. § 368; Rh. § 92. Exempla sunt 39, 3: Iug. 13, 6; 28, 2; 35, 6; 102, 6; vide etiam 17, 7. — *signatores*] Cum vulgari usu a Romanis ii signatores appellarentur, qui testamentis scribendis atque obsignandis adessent, nullam video causam esse, cur h. l. eius nominis vim latius patere contendas. — *commodare*] „i. e. usui praebere, utendum concedere, si quis tale ministerium requireret." Kritz. Acerbe notatur Catilinae foeda nequitia, quippe qui illis iuvenibus ad sua consilia uti non satis haberet, sed eos, veluti servos, etiam aliis ad ministeria lucri causa praeberet. — Rectissime iam ab aliis monitum est, *commodare* esse infinitivum historicum pariter ac qui sequuntur *circumvenire*, *iugulare*. Similiter variatae orationis exempla vide 21, 4; 23, 2; 48, 1; 54, 4; 56, 4; 60, 4; Iug. 15, 2; 30, 3; 32, 3; 43, 4; 53, 8; 70, 1. Infinitivus *vilia habere* pendet ab *imperabat*; cfr. Iug. 47, 2: *praeterea imperabat frumentum et alia quae bello usui forent, comportare;* Cic. in Cat. I, 11, 27: *non hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis?* Z. § 617 extr. Post infinitivum positum esse *maiora alia*, non mirum; vid. quae ad 12, 2 diximus et cfr. 10, 4: *pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia ha-*

vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem attri-
3 verat, maiora alia imperabat; si caussa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis circumvenire, iugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat.
4 His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alie-

---

bere edocuit. De plsqpfo *attriverat* vid. ad 6, 5. — *attero* de minuendo et debilitando dictum est, ut Iug. 5, 4 (*Italiae opes*); 79, 4 (*alteri alteros*); 85, 46 (*magna pars exercitus attrita est*).

3. *insontis sicuti sontis*] Manifestum est e sequentibus, significari, qui Catilinam aliqua re offendissent, quique nihil offendissent. — *circumvenire*] in re militari frequentissimum, h. l. de sicariis dictum, qui quem iugulare velint, ita undique cingunt, ut effugere non possit; Iug. 103, 4: *circumventi a Gaetulis latronibus.* Omnino passivum de iis dicitur, qui sunt aliqua re ita oppressi, ut se expedire nequeant; cfr. 31, 9; 34, 2; 51, 40; 52, 35; Iug. 7, 1. In *iugulare* inest crudelitatis atque atrocitatis significatio; nos: *abschlachten;* cfr. 51, 32, 34. De *scilicet* dicetur ad Iug. 4, 6. In *gratuito* maxima inest acerbitas; quippe Catilina etiam immanior erat sicariis, qui nisi mercede conducti, neminem obtruncant. Est: sine fructu; cfr. Liv. I, 47 in.: *nec nocte neque interdiu virum conquiescere pati, ne gratuita praeterita parricidia essent.* Ceterum cum h. l. apte comparantur, quae malevolentissime Cic. Off. II, 24, 5 de Caesare scribit: *ut hoc ipsum eum delectaret peccare, etiamsi caussa non esset.*

4. *His amicis sociisque confisus*] Ne quis haec verba ad longius remota referenda esse putet, monendum est in praecedentibus de facinoribus, quae Catilina per socios perpetravit, igitur quodammodo de his ipsis dictum esse. De *simul* vid. ad 19, 2. Participiorum cum secundariis enuntiatis compositorum Fabrius haec exempla attulit: Cat. 40, 1: *existumans publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea, quod natura gens bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse;* Iug. 25, 5: *Hi quod in invidia res erat simul et ab Numidis obsecrati.* Tenendum autem est, participio significari hominum ipsorum condicionem, per *quod* causam, quae ad aliquid aut agendum aut credendum impellat. — Rectius ut perspiciamus, quo iure Sal. per omnes terras aes alienum ingens fuisse dixerit, in memoriam nobis revocemus oportet, quam cupide magistratus Romani omnes provincias expilaverint (cfr. Cic. pr. leg. Man. 22, 65 sqq.), quamque iniqua fenora a publicanis et a negotiatoribus exercita sint. Aere alieno oppressos Allobroges ipse Sal. infra commemorat. Confidere igi-

num per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes; senatus nihil sane intentus; tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae.

---

tur potuit Catilina, omnes undique, quibus avaritia Romanorum nihil reliqui fecisset, quique propterea acerbissimo in eos odio flagrarent, ad se conventuros esse. — De Sullanis militibus ea iuvat adscribere, quae Cic. in Cat. II, 9, 20 dixit: *Hi sunt homines ex coloniis, quas Sulla constituit* (vid. ad 28, 4), *hi sunt coloni, qui se in insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius, insolentiusque iactarunt. Hi dum aedificant tamquam beati, dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus.* — *suo usi*] Saepissime Sal. neutris adiectivorum singulari numero pro substantivis utitur; cfr. 5, 4 *alieni appetens*, *sui profusus*, cum quo recte comparatus est locus Cic. d. Off. II, 24, §84: *ut locupletes suum perdant*, *debitores lucrentur alienum.* Cum *largius suo uti*, i. e. maiores quam pro opibus sumptus et impensa facere, conveniunt locutiones illae *large bibere*, *large convivari.*

5. *in extremis terris*] Pompeius tum temporis inde ab anno a. Chr. n. 66 cum Mithridate bellum gerens, Pontum, Armeniam, a. 65 Albaniam et Iberiam, regiones ad Caucasi montes sitas, postea Syriam et Palaestinam cum victore exercitu peragravit. Extremas autem illas terras propterea dici manifestum est, quod quae ultra essent, prorsus incognitae essent Romanis. In sequentibus multo plurimi libri exhibent *petendi.* At Catilina spem non tam in eo habebat, ut sibi consulatum petere liceret (quamquam id non cuique licebat), sed ut adipisceretur; cfr. 20, 17. De *nihil* adeas Z. § 677. — *Sane* cum sit adverbium adiectivi *sanus*, plane ut nostrum *wohl* usurpatur, ubi aliquid omnibus numeris verum esse aut cum eo, quod dictum est, prorsus convenire affirmatur; vid. 52, 12; Iug. 7, 5; 24, 6; 31, 8; 42, 2; 100, 4; saepe negationibus additur maxime *haut* particulae ut 37, 9; 53, 5. — *Senatus* tunc omnem curam abiecerat, devictisque popularibus partibus nihil prorsus sibi timendum existimabat. — *sed ea prorsus opportuna Catilinae*] Haec non solum ad ultima verba, sed ad cuncta, quae praecedunt, spectare apertum est.

XVII. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos appellare; hortari alios, alios temptare; opes suas, imparatam rem publicam, magna
2 praemia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessi-

---

XVII. 1. Annus fuit u. c. 690; a. Chr. 64. Tironum in gratiam haec moneo. Nomina gentilia, ubi accedit cognomen, saepe, in quibusdam familiis fere semper omittuntur. L. Caesar fuit Iuliae gentis, C. Figulus per adoptationem Marciae, Lentulus, Cethegus, Sullae Corneliae, L. Bestia Calpurniae, Lucius Tullus (18, 1) Volcatiae, M' Lepidus (ibid.) Aemiliae. Interdum etiam cognomen omittitur, ubi adest nomen gentile, ut infr. *P. Autronius*, cuius cognomen erat Paetus. Tenendum vero est, veteres Romanos ante Augusti tempora neque nomine gentili, nec cognomine umquam usos esse, nisi addito praenomine. Galliae igitur ille Pompeiique victor nominabatur aut C. Caesar aut C. Iulius, nec vero Iulius Caesar (vid. Göttling Gesch. d. Röm. Staatsverf. p. 75). — *Appellare* ea significatione, qua h. l. est: oratione aliquem adire, haud infrequens est ap. Sal. Cfr. 20, 1: *tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari;* 59, 5; Iug. 22, 5; 96, 2; 106, 1; 112, 1; 113, 1 (*benigne*). Quare Cat. 52, 5: *vos ego appello — expergiscimini aliquando* cet. cohortandi significationem habet et Iug. 14, 17 de eo dictum est, qui precibus aliquem adit. — *temptare*] De eo dicit, qui tecte et callide, num quis ad suam voluntatem propenso animo et opportunus sit, exquirit eumque permovere studet; cfr. Iug. 38, 3: *Interea per homines callidos die noctuque exercitum temptabat;* 46, 4: *itaque legatos alium ab alio divorsos aggreditur ac paulatim temptando postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet;* 47, 2; 48, 1; 66, 1 (vid. ad Iug. 29, 1). —

2. *quae voluit*] Interdum Romani perfecto utuntur, ubi exspectatur plusquamperfectum, cum rem fuisse significant, neglecta prorsus temporis ratione, quae inter illam et eam, quacum coniuncta est, intercedat; vid. Rh. § 164, 5, c. p. 601.; Iug. 70, 1: *Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu d e s e r u i t, inceperat;* ubi verba illa explicatio sunt, a scriptore adiecta. — *in unum*] Cfr. Iug. 11, 2; 31, 14; 50, 5; 51, 3; 80, 2; 98, 4. Neutrum *unum* substantivi loco esse pariter atque *praesens* in simili locutione (16, 3) neque ad ellipsin confugiendum esse, nunc, credo, inter omnes convenit. — *necessitudo*] Cum a *necesse* duo nomina facta essent, *necessitudo* et

tudo et plurumum audaciae inerat. Eo convenere senatorii 3
ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus,
C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servi filii, L. Vargunteius,
Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; prae- 4

---

necessitas, is usus paulatim in consuetudinem abiit, ut illud diceretur de iure et vinculo religiosae coniunctionis, maxime de affinitate (Iug. 80, 6), *necessitas* de vi quapiam gravissime premente ac cogente; antiquiores tamen scriptores id discrimen non norunt, et etiam posteriores saepe quidem *necessitudo* pro *necessitas*, rarissime hoc pro illo usi sunt (cfr. Gell. N. A. XIII, 3). Salustium saepe *necessitudo* scripsisse pro *necessitas* testatur Charis. instit. Gramm. p. 76 ed. Lindem. Et in Catilina et Iugurtha semper légitur *necessitudo* infr. 5; 21, 3; 33, 5; 58, 11; 19; Iug. 19, 8; 48, 1; 102, 5. Duobus tantum locis pauci neque ii boni libri *necessitas* tuentur. At in or. ctr. Sull. 15 et in Ep. Pomp. 8 *necessitas* scriptum est. Credibile igitur est, Salustii temporibus consuetudinem illam nondum apud omnes valuisse et ipsum numerosiorem formam alteri praeoptasse. — *inerat*] *Inesse* saepissime dicitur de animi ingeniique aut virtutibus aut vitiis; cfr. 20, 11: *cui virile ingenium inest.* 23, 2: *huic homini non minor vanitas inerat, quam audacia.* 25, 5: *prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.* 58, 2: *quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest.* Iug. 64, 1: *cui — tamen inerat contemptor animus et superbia;* et de aliis rebus, quae alicuius propriae sunt Cat. 15, 5: *prorsus in facie voltuque vecordia inerat.* 40, 6: *quo maior auctoritas sermoni inesset.* Vides a Sal. h. verb. praeter locos 15, 5 et 25, 5, ubi tamen nihil adiunctum est, semper dativo coniunctum esse, cum Ciceronem docti affirment maluisse praepositionem *in* ponere (Klotz. ad Sinten. p. 100). Animadvertas praeterea h. l. zeugma; *inerat* enim cum de iis tantum dicatur, quae in aliquo sunt, non poterat referri ad necessitudinem, quae extra hominem est.

3. *Servius Sulla*] P. Cornelii Sullae Felicis frater fuit. P. Sullam non dubitavit scriptor inter coniurationis socios nominare, quamquam, cum a L. Torquato eius criminis reus factus esset, a Cicerone oratione, quae nobis servata est, defensus iudicumque sententiis absolutus est. Societatem eum cum coniuratis habuisse recte iudicat Drum. l. l. T. II, p. 517 sqq.; quamquam, ut erat homo ignavus atque animi demissi, periculosa negotia non suscepit, itaque crimen ac suspicionem evitavit. — *L. Calpurnius Bestia* eo anno tribunus plebis fuit, cfr. c. 43; ex Sullae legibus autem nemini licebat tribunatum petere, nisi senatorii ordinis esset.

terea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius,
P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis
5 et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures
paulo occultius consili huiusce participes nobiles, quos ma-
gis dominationis spes hortabatur quam inopia aut aliqua
6 necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobi-
lium, Catilinae inceptis favebat; quibus in otio vel magni-
fice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bel-

---

4. *Municipiorum* tria genera erant, primum earum civitatium, quarum cives, cum Romam commigrassent, post aliquot annos cives Romani effecti sunt (*ἰσοπολῖται* tales a Graecis vocabantur), alterum eorum, quibus civitas Romana cum suffragio, tertium quibus sine suffragio data erat (Paul. Diac. p. 105). Illo tempore post bellum sociale omnes Italiae incolae in civitatem Romanam accepti erant. *Coloniarum* alia necessitudo erat (Gell. XVI, 13, 8); non enim extrinsecus veniebant in civitatem, nec suis radicibus nitebantur, sed ex civitate quasi propagatae erant et iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habebant. Erant aut Romanae, quae ius Quiritium habebant, aut Latinae, quae iure Latii utebantur. — *domi nobiles*] i. e. inter suos municipes et colonos; cfr. Nep. Eum. 1, 3: *Etsi ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indigne ferebant.*

5. *complures — nobiles*] Moris est Romanorum ea vocabula, ad quae potissimum attendi velint, in extremis enuntiatorum locis collocare; Z. § 789 extr.; Grys. Theor. d. L. St. p. 630. — De *dominatio* cfr. ad 6, 7. — *inopia aut aliqua necessitudo*] Sic scripsi cum plurimis optimisque libris pro *alia aliqua.* Illud alii editores propterea videntur sprevisse, quia inopia ipsa necessitudinis genus esset; sed *aliquis* interdum ibi usurpatur a Romanis, ubi iam commemoratis eiusdem rei generibus aliud opponitur, ut idem sit atque *alius quis*, quibus pronominibus coniunctis plerumque in tali re usi sunt, atque ex quibus per contractionem quandam pron. *aliquis* ortum putatur. Sic Cic. d. Or. II, 52, 178: *Plura enim homines iudicant odio aut amore, aut cupiditate aut iracundia, aut dolore aut laetitia, aut spe aut timore, aut errore aut aliqua permotione mentis, quam veritate aut praescripto aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus;* cfr. Rh. § 159, N. 5 *) p. 572; Grysar. l. c. p. 105, N. 1; Freund. in Lex. s. v. aliquis II.

6. *quibus — vivere copia erat*] De constructione vid. ad 4, 1. *Quibus* non ad *iuventutem pleramque* referendum est, quasi maxima Romanae iuventutis pars vel magnifice vel molliter vivendi copiam habuisset, sed ad illud quod adiunctum est: *sed maxume nobilium.*

lum quam pacem malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consili fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore. 7

Ante relativum simili modo demonstrativum omissum est supr. 13, 2. Plerumque id ita fit, ut ii, qui designantur, in praecedentibus non commemorati sint, sed relativum enuntiatum genus quoddam hominum vel rerum in universum significet, quemadmodum 37, 3: *in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident;* ibid. 9: *quorum parentes proscripti — erant, — exspectabant.* Ceterum *magnifice* significat victus cultusque splendorem, coram aliis iactatum, *molliter* ad delicias spectat, quibus sese quisque curat et colit.

7. *quia Cn. Pompeius*] Sententiae, inter quas causalis quidam nexus est, saepe sine ulla coniunctione iuxta ponuntur; cfr. Cat. 7, 5: *igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus; virtus omnia domuerat.* 46, 2: *porro autem anxius erat, dubitans in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae rei publicae fore credebat;* cfr. 39, 4; 51, 2; 13. Iug. 8, 1: *si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperi Numidiae potiretur; in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse;* ibid. 2: *uti potius publice quam privatim amicitiam populi Romani coleret, neu quibus largiri consuesceret; periculose a paucis emi, quod multorum esset.* 18, 5: *quia neque materia in agris neque ab Hispanis emundi aut mutandi copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant.* Etiam multo minus particula causalis desideratur, ubi demonstrativo pronomine aut adverbio sequentia ad praecedentia referri significatur; cfr. 2, 1; Iug. 63, 6 (*etiamtum*); Cat. 6, 7: *eo modo;* Iug. 38, 2: *ita delicta.* — Crassus Pompeio inimicissimus erat, et quod confecti servilis belli gloriam ab eo sibi decerptam esse dolebat, et per illum sese obscurari sentiebat. — *si coniuratio valuisset*] *Coniuratio* ut vel ex *illos* per synesin ad hoc subst. relato apparet, non consilium in quod coniuravere, sed per metonymiam satis frequentem ipsos homines coniuratos significat; cfr. 23, 1. *Valere* est satis virium habere ad perficienda consilia, i. e. coepta perficere; ex qua significatione illud quoque apparet, cur scriptor plsqpfo usus sit. Haud dissimilis locus est 51, 40: *Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere*, i. e. tantam vim nactae sunt, ut, quae vellent,

XVIII. Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit; de qua, quam verissume

---

perficere possent. — Ceterum animadvertas, quam circumspecte ac sobrie Salustius scriptoris rerum munere fungatur. Cum enim veri amantis sit, nil pro certo narrare, nisi quod prorsus compertum atque exploratum habeat, de Crasso ea tantum profert, quae alii crediderint, quid ipse iudicet, prorsus in incerto relinquens. Inde et multo magis ex iis, quae c. 49 scripsit (ad quem locum vide quae adnotavimus), satis luculenter apparet, eum supra cum scriberet complures nobiles consilii participes fuisse, de C. Caesare cogitari noluisse; nec dubito, quin in mente habuerit M. et C. Marcellos, reliquos, quos commemoravit Drum. l. c. T. V, p. 416.

XVIII. 1. *De qua*] Femininum recte scribi cum plerique libri testantur, tum Diom. Gramm. p. 440 ed. Putsch. At talis synesis, per quam relativum ad substantivum ex praegresso verbo intelligendum refertur (h. l. coniuratio), quantum equidem sciam, omnino sine exemplo est. Diversa sunt, quae Fabrius commemoravit exempla, in quibus relativum ad pronomen possessivum vel adiectivum refertur, quod cum instar sit genitivi, in constructione nulla difficultas inest; Cat. 33, 1: *uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes — experti sumus;* Iug. 85, 28: *Sed quoniam vostra consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium imposuistis, etiam atque etiam reputate;* quamquam eo loco etiam sic construi posset: Vos, qui mihi — imposuistis, reputate; Caes. B. G. I, 40: *servili tumultu, quos — sublevarent* (servos); Liv. XLII, 47: *Haec Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Graecae, apud quos fallere hostem, quam vi superare gloriosius fuerit.* Prorsus quadraret, quod Cortius attulit, Cic. ad Fam. II, 3, 2: *Equidem, quid sentiam, aut scribam ad te postea pluribus aut ne ad eam meditere, imparatum te offendam coramque contra istam rationem meam dicam, ut aut te in meam sententiam adducam, aut certe testatum apud animum tuum relinquam quid senserim.* Sed lectio h. l. valde dubia est; et eam iis debetur fortasse, qui in libro suo pro *quid sentiam* scriptum invenerunt *meam quidem sententiam*, quod cum in optimo libro Mediceo librarius correxisset (secunda manu), alterum vitium ex eo natum tollere neglexit; at ne necessarium quidem videtur; quid enim impedit, quominus *eam* ad id quod sequitur *meam rationem* referamus? Et si hoc nolis, talis insolentia facilius sane ferri potest in negligentiore scribendi genere, quale est epistolarum. Nec plus efficitur Graeco exemplo, quod omnium simillimum esse praedicavit Gerlachius, Eur. Iph. Aul. 1418: τὸ θεομαχεῖν γὰρ ἀπολιποῦσ᾽ ὅ σου κρατεῖ, ἐξελογίσω τὰ χρη-

potero, dicam. L. Tullo, M' Lepido consulibus, P. Autro- 2
nius et P. Sulla, designati consules, legibus ambitus interrogati poenas dederant. Post paulo Catilina, pecuniarum repe- 3
tundarum reus, prohibitus erat consulatum petere [quod intra legitumos dies profiteri nequiverit]. Erat eodem tem- 4

στὰ τἀναγκαῖά τε, quo loco *ὅ* referri ad *τὸ θεῖον*, quod lateat in *θεομαχεῖν* interpretibus placuit; recte enim id nimis insolens iudicavit Hermannus, nec minus recte vidit, coniungenda esse *ὅ σου κρατεῖ ἐξελογίσω*, ad quae explicandi causa addantur *τὰ χρηστὰ τἀναγκαῖά τε*. In altera scriptura *de quo* hoc offensioni est, quod cum *quo* etiam ad Catilinam referri possit, ambiguitas nascitur; quae tamen non tanti est, ut propterea *quo* reiiciendum videatur; at gravius est, quod femininum et codicum tantum non omnium et Diomedis auctoritas tuetur. An igitur excidit substantivum *re* vel *coniuratione?* —

2. M' (sic scripsi Fastos cum Orellio secutus) Aemilius Lepidus, L. Volcatius Tullus coss. fuerunt a. u. c. 688, a. Chr. n. 66. — *interrogari*, ubi significaret in ius vocare, accusare, ab antiquioribus scriptoribus omnibus semper cum ablativo *lege* vel *legibus* coniunctum esse, Tacitum demum sine illo ablativo posuisse, commode iam ab aliis monitum est; cfr. 31, 4. — *Ambitus* in crimen incurrerant, qui inhonestis ac turpibus artibus, largitionibus cuiusvis generis, gladiatoribus, loco in theatro tributim dato, aliis eiusmodi rebus, ut populi suffragiis crearentur, effecissent. De eo crimine severissima erat lex Calpurnia, lata a. u. 687 (67 a. Chr.; Cic. pr. Mur. 23, 46), qua qui condemnati essent, senatu movebantur, ius honorum amittebant, pecunia praeterea multabantur. Hac igitur lege accusati erant P. Autronius et P. Sulla, neque offensioni est, quod plurali *legibus* usus est Sal.; nam dubitari non potest, quin L. Calpurnius Piso lege sua priores non antiquaverit, poenam tantum, quae iis constituta esset, auxerit; si quidem a. 690 (64) L. Caecilius tribun. pleb. legem tulit, qua poenam ambitus crimini eam constituit, quae ante proximam legem fuisset; cfr. Cic. pr. Sull. 22. —

3. In fine sententiae *nequiverit*, quod plerique et ii optimi libri exhibent, ita tueri studuerunt interpretes, ut dictum esset ex sententia eorum, qui Catilinam consulatum petere prohibuissent. At id nullo modo fieri potest. Illi enim cum Catilinam pecuniarum repetundarum reum fecissent, eo effecerant, ut intra legitimos dies profiteri consulatum, igitur petere non posset; utique igitur hoc pro re certa narrandum erat. Accedit, quod tum necessario dici debebat *nequiret*, quae sententia minime refellitur iis locis, quos

pore Cn. Piso, adulescens nobilis, summae audaciae, egens,

---

congessit Rh. p. 794. Etiam multo minus ratio ferri potest eorum, qui sententiam talem esse affirmant: quod profiteri nequivisse dicebatur; aut enim professus erat Catilina, aut non professus, aut lege profiteri non licebat; intra legitimos dies eum profiteri nequivisse praetextu uti non poterant adversarii. At maior difficultas ex rebus ipsis nascitur, quas optime illustravit Drum. l. c. T. V, p. 393. Catilina post praeturam, a. 68 cum M. Tullio Cicerone gestam, a. 67 pro praetore in Africam provinciam missus, aestate a. 66 inde Romam reverterat. Iam antequam Romam venisset, legati ex provincia in senatu questi erant, quod Catilina contra ius et fas pecunias ab provincialibus cepisset (dicebatur autem id crimen repetundarum (pecuniarum), quoniam quae quis in provinciae administratione contra ius ac fas conquisiverat, ex litis aestimatione debebat iis, a quibus ceperat, rependere poena praeterea addita ignis et aquae interdictione); cum simul audiretur, Catilinam consulatum petere velle, senatus a L. Volcatio Tullo cos. rogatus, decreverat, ne id illi liceret; eam ob causam Catilina a petitione destiterat. At tum certe consulatum a. 65 petere ne potuit quidem in animum inducere. Etenim cum P. Sulla et P. Autronius poenas dedissent, non nova petitio facta est, sed suffragiis populi ex illorum competitoribus suffecti sunt L. Manlius Torquatus et L. Aurelius Cotta; necessario igitur statuendum erit, Catilinam voluisse consulatum anni 64 petere, vel, ut rectius Drum. contendere videtur, anni 63, cum solerent candidati iam duobus annis ante circumire. Igitur Catilina a. 66 senatus decreto, ne ei consulatum petere liceret, nisi pecuniarum repetundarum iudicio absolutus esset, quo decreto reus factus erat, prohibitus erat consulatum petere, nec tamen eo, quod intra legitimos dies illo anno profiteri non potuit. Debebant candidati trinundino ante comitia consularia nomina profiteri apud rogatorem i. e. eum magistratum, qui comitiis praefuturus erat. Comitia autem, quibus consules in annum 63 designarentur, habenda erant aestate a. 64; igitur adversarii, si voluissent senatus consultum illud Catilinae professioni intra legitimos dies officere, accusationem debebant in a. 64 reiicere; nec vero id fecerunt; Catilina enim iam a. 65 a P. Clodio accusatus et absolutus est. Et quid eo, quod intra legitimos dies profiteri nequivisset, ei nocere poterant? Si absolutus esset, in sequentem annum poterat petere; sin condemnatus esset, ius honorum prorsus amissurus erat. Utra igitur in re eos spem posuisse credibile est? Ex his omnibus certum videtur anno 66 nihil aliud Catilinae iram incendere potuisse nisi senatus illud decretum. Et id ipsum quidem tanti erat momenti, ut homo sceleris conscius, contumelia tam turpi accensus speque

factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque
mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius cir- 5
citer Nonas Decembris consilio communicato parabant in
Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exer-
citu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, 6
rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant.

---

destitutus, rei publicae evertendae consilium caperet. Vides igitur verba illa turpem errorem continere. Iam vero an credibile est, Sal. qui et eo tempore scripserit, quo vera facile comperire posset, et ea diligentia in scribendo versaretur, ut omnia circumspiceret, itaque rerum Romanarum gnarus esset, ut nemo magis, tam turpiter lapsum esse? Ut breviter dicam, verba illa mihi ab interprete quodam indocto adscripta, ab imperitis librariis ipsi scriptori tributa esse iudico; ad quam sententiam confirmandam illud accedit, quod futurum exactum sive coniunctivus perfecti: *nequiverit*, in quo libri plerique consentiant, legibus grammaticis repugnat, sed optime explicatur, si credimus continere opinionem hominis indocti, qui haec legens verique inscius, causam, cur reus factus consulatum Cat. petere prohibitus esset, cum dubitatione quadam adscripserit.

4. Praeter Cn. Pisonem eius coniurationis participem fuisse L. Vargunteium, qui etiam postea in coniuratis fuit, apparet ex Cic. or. pr. Sulla 24, 67; item ex iis, quae Sal. Catonem 52, 23 dicentem fecit, comperimus, Cethegum iam priori coniurationi interfuisse. Caesarem et Crassum consilii eius conscios fuisse ex rumore tradidit Sueton. Caes. c. 9; sed vera esse, quae narravit Sal., confirmat Ascon. Ped. ad Cic. or. in tog. cand. — De adiectivo *factiosus* dicetur ad Iug. 31, 15.

5. *Kalendis Ianuariis* consules, magistratum ineuntes, in Capitolio pro salute universae civitatis vota suscipiebant sacraque sollemnia faciebant. — *ipsi*] Sueton. l. s. l. consilium fuisse narrat, ut Crassus dictator, Caesar magister equitum diceretur, re publica deinde constituta consulatus Autronio et Sullae restitueretur; at Sal. Sullam huius coniurationis participem fuisse non commemorat, et illud ipsum, quod Catilina se consulem fieri cupiebat, argumento est, eum consilii socium non fuisse, cum Catilinae de consulatu vix cessurus fuisset. — *duas Hispanias*] i. e. citeriorem sive Tarraconensem et ulteriorem, i. e. Baeticam. —

6. *Rursus* cum *cognita* coniungi non posse, manifestum est, cum neque antea res iam cognita esset, nec *rursus cognosci*, id quod quidam voluerunt, idem significare possit, atque patefieri, detegi;

7 Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus
8 perniciem machinabantur. Quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

---

sed recte *transfero* verbo additur ex pleonasmi genere eo, de quo dixit Z. § 747; cfr. Iug. 62, 8. — Consules, cum cognovissent (qua ratione traditum non est), Catilinam cum sociis sibi insidiaturos esse, cum praesidio armatorum Kalendis Ianuariis in Capitolium se contulerant, proptereaque coniurati in eos impetum facere non ausi erant; cfr. Drum. l. c. p. 396. In Nonas autem Februarias consilium caedis coniuratos transtulisse credibile est, quod eo die coss. senatum habituri essent; lege enim Pupia (Cic. ad Q. fratr. II, 12) sanctum erat, ne senatus diebus comitialibus haberetur, Nonis autem comitia habere non licebat more ex ultima antiquitate tradito. Februarias autem Nonas non dubito quin coniurati ad caedem faciendam delegerint, non quod senatus eo demum die consules convocaturi essent, sed quo longiore temporis spatio interiecto, animi sedarentur nihilque amplius extimescerent. Plsqpfo, pro quo exspectaveris pf., usus est Sal., quo significaret, quaenam ratio inter hanc rem et eam, quae consecuta est, intercederet. Igitur, quod tempus poni solet, cum res praegressa secundario enuntiato expressa est, idem h. l. in primario positum est. Eadem ratio est locorum 24, 1; 36, 5; 50, 4 (ubi vide ann.); 56, 2; Iug. 42, 1; 72, 1.

7. *Iam tum*] Haec adverbia semper innuunt comparationem temporis praegressi cum secuto; cfr. 19, 2. Dicit igitur Sal., idem consilium iam illo tempore habuisse coniuratos, quod postea in altera coniuratione. — *non modo* — *sed*] Vid. Rh. § 190, B. 2, p. 832 sqq.; Z. § 724 a) extr.; Cat. 37, 1; 39, 6. Vere observavit Fabrius, Salustium nunquam usum esse particulis *non tantum*, quae etiam apud Ciceronem minus frequentes sunt, sed semper *non modo* aut *non solum*.

8. *Maturare* cum infinitivo coniunctum eadem construendi ratione atque *festinare*, *properare*, similia, significat: maxima cum celeritate, primo quoque tempore aliquid perficere; *maturo venire* igitur idem fere est, ac *maturans venio* (Iug. 22, 1); cfr. infr. 36, 3; Iug. 36, 1; 79, 5. H. l. temerariam festinationem notat. — Diversa narrat Sueton. l. s. c. Crassum poenitentia vel metu diem caedi destinatum non obiisse et idcirco ne Caesarem quidem signum, quod ab eo dari convenisset, dedisse; convenisse autem, ut togam de humero deiiceret. Cum Sal. facit Ascon. Ped. in comment. ad

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, annitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen sena- 2
tus provinciam invitus dederat; quippe foedum hominem a re publica procul esse volebat; simul quia boni complures prae-

---

Cic. orat. in tog. cand. — *diremit*] „*Dirimere* [factum ex *dis* — et *emo*] significavit proprie, quod nos dicimus *auseinandernehmen*, i. e. rem in diversas partes solvere vel seiungere. Iam vero cum si rem in partes solvas, etiam vim, quippe quae plerumque in partium coniunctione potissimum consistat, necessario tollas, evenit ut *dirimere* omnino tollere quid, irritum facere, disturbare, interrumpere significaret, ut *societatem, litem, controversiam, comitia dirimere*, alia.“ Ed. Wunder. in praef. ad Varr. Lectt. e cod. Erf. enot. p. CLV. Cfr. Iug. 60, 8: *Denique utrimque proelium nox diremit.*

XIX. 1. Senatus, quamquam de coniuratione certior factus, tamen cum et ignave sibi timeret, et satis certa testimonia deessent, ne caussam quidem cognosci iusserat, Cn. Calpurnio Pisoni vero eam ipsam provinciam, quam coniurati ei destinaverant, ultro extra ordinem (auctore Suetonio l. s. c.) dedit, quo hominem audacem, quippe qui nullam aliam ob caussam coniuratis sese adiunxisse videretur, nisi quod aere alieno oppressus esset, data locupletandi potestate ab illis abstraheret; cfr. Drum. l. c. T. II, p. 89. Extra ordinem autem fuit, quod, cum quaestor esset, pro praetore in provinciam missus est. — *annitente*] i. e. summo studio omnique ope ad id efficiendum nitente; cfr. Iug. 43, 4: *ad ea patranda senati auctoritate socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio annitebatur*; 85, 6: *quo mihi acrius annitendum est, ut neque vos capiamini et illi frustra sint;* ibid. 47: *quamobrem vos, quibus militaris est aetas, annitimini mecum et capessite rem publicam.* — De *infestus* vid. ad 15, 4. *Inimicum* cum sit substantivi loco, tamen cum dativo coniunctum esse non mirabitur, qui notionem verbi non mutatam esse et etiam *hostis* saepius cum dativo iungi, secum reputaverit. Cum *infestus* quominus coniungatur, ordo verborum videtur obstare. —

2. *neque invitus*] Vid. ad 3, 1. Plusqpf. eadem ratio est, ac supra 18, 8. Quoniam res omnes publicae Romae agebantur, qui ab ea urbe aberat, cum actionibus publicis non interesset, a re publica procul erat. — *simul*] Crebro Sal. hoc adverbio utitur in connectendis sententiis, ubi ad id, quod in aliqua re gravissimum est, adiicitur, quod in eadem re non minimi momenti est; cfr. 16, 4; 17, 7; 20, 3; 56, 5; 58, 4; Iug. 4, 1; 20, 1; 102, 5. —

sidium in eo putabant, et iam tum potentia Pompei formi-
3 dolosa erat. Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis,
4 quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui

---

Pompeius in Hispania, ex quo bellum Sertorianum confecerat, plurimos sibi fidos atque amicos habebat. Hos a Pisone, qui esset eius in Pompeium animus, aut ab eius amicitia abstractum aut omnibus modis vexatum et debilitatum iri, sperabant, qui magni illius hominis in re publica adversarii atque aemuli exstiterant (cfr. Drum. l. m. coll.); igitur contra Pompeii potentiam, quae tum optimatibus (ii enim ex consuetudine illius aetatis *boni* dicuntur) formidolosa erat, in eo aliquid praesidii, ne nimis augeretur, esse putabant. Eandem ob caussam, propter quam illi Pisonem in Hispanias miserant, Caesar, cum Pompeio bellum gerens, etsi multis necessariisque rebus in Italiam revocabatur, tamen constituerat, nullam partem belli in Hispania relinquere, quod magna esse Pompeii beneficia et magnas clientelas in citeriore provincia sciebat (d. B. C. II, 18, 6). Iam ex iis, quae ad 2, 1 de *etiamtum* dicta sunt, quivis intelliget scribendum fuisse *et iam tum;* non enim potentia iam antea magna tum quoque magna manserat, sed postea maior facta, tamen iam tum formidolosa erat. Paulo neglgentius haec sententia cum praecedente coniuncta est, quippe quam potius per secundarium enuntiatum expressam exspectes (cum iam tum potentia Cn. Pompeii formidolosa esset). Similiter Iug. 43, 5: *in Numidiam proficiscitur magna spe civium, cum propter bonas artis, tum maxume, quod advorsum divitias invictum animum gerebat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae hostiumque auctae erant;* spes civium in eo consistebat, quod corrumpi se non passurus videbatur, quod cum priores duces commisissent, res publica maximum detrimentum fecerat.

3. *is Piso*] Pronomen *is* adiectum est, quo magis lectores eorum recordarentur, quae supra dicta erant de illo homine. Sententia fere talis est: Piso cum talia ab eo sperarentur. — In sequentibus scribendum fuit *in provincia*, cum *in provinciam* cum *iter faciens* coniungi et verborum ordo et reliquorum scriptorum magnus consensus vetet, ea vero, de quibus ad Iug. 112, 3 dicturi sumus, nullo modo huc trahi possint. *Iter faciens* per se positum est = in itinere.

4. *sunt, qui ita dicant*] Indicativum codices tantum non omnes tuentur. Multum vero diuque a Grammaticis dubitatum est, num indicativus in tali locutione admitti possit. Quorum qui inter indicativum et coniunctivum id discriminis intercedere dicunt, ut ille scribatur, ubi certi homines sive res cogitentur, hic ubi scriptor

ita dicant, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros

---

aut ignoret, qui sint aut ignorare se simulet, verum senserunt, nec tamen ab omni parte satis illustrarunt; cfr. Z. § 561—563; Rh. § 177, N. 2, p. 738 sqq. Etenim quicunque dicit *sunt qui*, necesse est sciat fuisse (nemo enim sanus aliquid esse dicet, quod utrum sit necne, nesciat), at qui fuerint aut ipse ignorat, aut lectores sive auditores docere non vult. Igitur etiam ubi certos homines sive res cogitat scriptor, tamen quoniam in incerto relinquitur qui fuerint, coniunctivus ponendus est. At alia res est, ubi relativo enuntiato id ipsum continetur, quod rem definiat, ut apud Caes. B. G. VI, 27: *sunt, quae alces nominantur* ceterisque in exemplis, quae commemoravit Rh. l. c. Ibi enim non in incerto relinquitur qui sint, sed relativo genus circumscribitur. Eadem ratio valet, ubi ad *sunt* subiectum additum est, cfr. Z. l. c.; ubi in incerto relinquitur, qui fuerint, coniunctivus ponendus est, ubi relativo genus definitur, indicativus. Sic Cic. d. Off. I, 2: *sed sunt nonnullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne pervertunt;* non nominantur quidem, quae fuerint illae disciplinae, sed sententia eadem est ac si dictum esset: disciplinae, quae pervertunt, sunt nonnullae. Eodem modo in illo loco, quem commemoravit Zumptius, cum dicitur: *sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis caussa in haec loca veniant,* sententia est: *Es gibt sehr ausgezeichnete Männer, welche der Gesundheit wegen hierher kommen, und ihre Zahl ist sehr gross;* sed ubi scribitur: *s. e. p. o. v., qui val. c. in his locis conveniunt: Die Zahl der ausgezeichneten Männer, welche — hierher kommen, ist sehr gross.* Huc referendi sunt loci Salustiani: Cat. 39, 5: *Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt;* ubi apparet sententiam esse: complures eorum, qui — profecti sunt, fuere extra coniurationem; nec alia ratio est loci 52, 21: *Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt.* Contra hanc regulam multi repugnant loci apud posteriores scriptores maximeque poëtas, apud quos *sunt qui* saepissime cum indicativo iunctum legitur, ut id librariis vix videatur iure tribui posse. Et poëtae quidem munere suo, quod ut omnia quam maxime quasi viva proponantur poscit, id fecisse videntur, omnino vero in omnibus linguis id accidit, ut cum quid vulgo maxime frequentetur, paulatim homines, quae vera eius vis sit, obliviscantur; quare *sunt qui* posteriores ita usurparunt, quasi haec verba adiectivi locum tenerent, quemadmodum *nescio an* et similia ita orationi interseruerunt, ut eorum nulla prorsus vis esset in reliquorum constructionem. Quod ut facerent, moti fortasse sunt exemplo Graecorum, qui εἰσὶν οἳ ita orationi interserere consueverant,

5 nequivisse pati; alii autem equites illos, Cn. Pompeii veteres fidosque clientis, voluntate eius Pisonem aggressos; numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia
6 saeva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum.

XX. Catilina, ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit, atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit.

---

ut nullam in eam vim haberet, sed ad hanc explicandi viam confugiamus minime necesse est. Antiquiores num unquam hanc sibi licentiam sumserint, haud iniuria dubitatur. Apud Ciceronem certe tam multa inveniuntur exempla, in quibus coniunctivus certus est, ut in paucis illis locis, in quibus indicativus scriptus est, librariis eum tribuendum esse non temere coniiciatur. Eodem modo apud Sal. quum nullum aliud exemplum indicativi inveniatur, non dubitavi coniunctivum scribere.

5. *Cnei Pompeii veteres fidosque clientis*] „Haec hexametrum efficere animadvertit iam Muretus ad Cic. Cat. I, 1. Multos eiusmodi versus, qui optimo cuique inscienti exciderunt [versum enim orationis vitium esse vere monuit Cic. Or. 20, 67], viri docti ambitiosi collegerunt. Sufficiat nobis laudasse F. A. Wolfium ad Tac. Ann. I, 1 in., prudenter monentem, errare eos qui in his versibus casu natis altius quoddam et reconditius quaerendum censeant.“ Kritz. In provinciis homines solebant potenti alicui homini patrono se addicere, qui res suas tueretur cuique ipsi fidem omniaque pietatis officia praestarent. Cfr. Caes. l., quem supra ad 2 protulimus. — *voluntate eius*] i. e. illo volente, qua quidem significatione saepius dicitur *ex* sive *de* voluntate. Pompeium, cum illis temporibus in extremis terris bellum gereret, vix tam brevi spatio quid vellet fieri, Hispanos clientes suos certiores facere potuisse recte monuit Drum. l. s. c., neque in verbis Salustii id inest, ab eo iussos illos homines caedem perpetrasse, sed placuisse ei facinus. — *Imperia* in fine cap. paulo alia significatione est, quam supra; significat enim imperia in provincia gesta, ut idem fere sit, ac si scriptum esset: multos qui saeve imperium gessissent.

XX. 1. *in rem*] Cfr. Ter. Andr. III, 3, 14: *Si in rem est utrique ut fiant accersi iube* (Hec. II, 2, 17; Phorm. I, 3, 9); Liv. XXII, 3: *quae cognosse in rem erat;* cfr. XXX, 4 et *ob rem* Sal. Iug. 31, 5. — De *appellare* vid. ad 17, 1. — *secedit* — *habuit*] Exempla, in quibus a praesente historico ad perfectum

„*Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, nequicquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent. Neque ego per ignaviam* 2

---

transit oratio, iam ab aliis collata sunt haec: Tac. Ann. II, 7: *Caesar Silium irruptionem in Cattos facere iubet; ipse legiones eo duxit.* Iustin. VII, 6, 9: *Thessaliam expugnat, unumque corpus equitum pedestriumque copiarum invicti exercitus fecit.* Inversa res est Sal. Iug. 12, 4: *Numida mandata brevi confecit, atque, ut doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit*, quamquam ibi de scriptura non satis constat; Liv. V, 50, 1: *Omnium primum, quae ad deos pertinebant, retulit atque senatus consultum facit.* — *arbitros*] Id nomen h. l. propria sua vi significat eos, qui aliquam rem praesentes audiunt vel vident. Praeter h. l. ap. Sal. nusquam invenitur. Ceterum attendas ad vim verborum. Etenim *amotis* praecipue apposito *procul* multo gravius est, quam quod in ea re frequentius, *remotis;* significat: *weit wegschaffen.*

2. *opportuna res cecidisset*] Imago a tesserarum ludo sumpta. Etenim, ut ait Ter. Ad. IV, 7, 21: *ita vita 'st hominum quasi si ludas tesseras; si illud, quod maxume opus est iactu, non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* Ceterum Romani adiectivum cum verbis, quae eventum significant, coniungunt, ubi qualis res sit, adverbium, ubi qualis rei eventus sit, efferre volunt. Igitur *res opportuna cecidit* est: quae res cecidit, opportuna est; sive: ita cecidit res, ut opportuna sit; *res opportune occidit:* res ita cecidit, ut eam cecidisse opportunum sit; sive: quod res cecidit, opportunum est; cfr. Cic. pr. Mil. 30, 8: *si factum vobis non probaretur — sed tamen si minus fortissumi viri virtus civibus grata cecidisset;* ad Q. fr. I, 3, 1: *Sed certe a te mihi omnia semper honesta et iucunda ceciderant;* vid. Z. § 682 et adn. nostram ad 26, 5. At cum h. l. *opportuna* ante *res* collocatum, non cum verbo arctius copulatum sit, quemadmodum in illis quos modo commemoravi locis, apparet *opportuna res* coniungenda et *cecidisset* absolute dictum esse pro: incidisset, evenisset. — *spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent*] Pluralis *fuissent*, quem plerique libri tenent, satis declarat veram esse eam, quam nos exhibuimus, scripturam. Asyndeton est primi generis, de quo diximus ad 11, 2. *Spes magna* omnia ea complectitur, quae fore ut sibi contingerent sperabat Catilina sociique eius, tabulas novas, proscriptiones, cetera. Maius est *dominatio*, ex libitu rei publicae administrandae potestas. *In manibus fuissent* (vid. ad 10) paulo diverso modo ad utrumque relatum est; dominatio enim res est, spes rei exspectatio. Ceterum asyndeton saepius in hac oratione admissum ferventi paeneque furenti

3 *aut vana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia*

Catilinae animo aptissimum est ac convenientissimum. — *per ignaviam aut vana ingenia*] Apparet ex sequentibus, sententiam hanc esse: ni virtus fidesque vostra mihi spectatae forent, frustra maxima omnium rerum opportunitas contigisset; neque ego, si ignavi perfidique essetis, tanti tamque periculosi facinoris socios vos mihi vellem adiungere; manifestum igitur est *per ignaviam aut vana ingenia* idem debere esse ac: per ignavos aut vanos homines. At *per* praepositio cum substantivo abstracto coniuncta, semper significat, qua ratione is, de quo dicitur, rem suam agat, ita ut fere instar adverbii sit; vid. exempla ad 6, 7 collata; neque exempla, quae ab interpretibus prolata sunt, ut *per* etiam de eo, cuius ope aliquid peragatur, dici demonstretur (Cic. in Verr. A. II. IV, 66, 147: *illum noluisse sua laudatione iuvare L. Lucullum, sororis virum, quicum optume convenisset; hunc homini alienissumo a civitatibus per vim et metum comparare;* et ad Q. fratr. I, 1, 7: *cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant, reddere*) id, quod illi volunt, probant, cum apertum sit, *per vim et metum aliquid facere* non esse: aliorum vi et metu ad aliquid perpetrandum uti, sed vim afferre et metum iniicere; igitur recte hi loci proferrentur, si *per ignaviam* posset esse: mea ignavia utens. Nec tamen his efficitur, falsum esse *per ignaviam;* sententia enim est: neque mihi per ignaviam vestram liceret tantum facinus suscipere, in quo incerta pro certis captaturus essem; quod brevius et gravius ita expressit scriptor, ut id, quod consecuturum esset, pro re ipsa poneret. Quemadmodum igitur recte diceretur: tantum facinus per virtutem fidemque vestram aggredi mihi licet, sic non minus recte: per ignaviam vanitatemque vestram tantum facinus aggredi non licet, a qua re non differt: tantum facinus non aggrederer sive: incerta pro certis non captarem. Praeterea iam ab aliis vere monitum est haec verba opponi et praegressis *virtus fidesque* et sequentibus *fortis fidosque;* recte autem vanum ingenium fidei oppositum esse intelliges, ubi reputaveris vana esse ea, in quibus nihil sit solidi, bene igitur transferri ad ingenia in quibus nihil sit, quo tamquam solido fundamento fidere possis. Eleganter autem Sal. variavit orationem, cum pro abstracto, *vanitatem*, quod exspectaveris concretum, *vana ingenia* poneret; ignavia enim in omnibus eadem est, vanitas in singulis diversa. Nec minus recte haec separavit; nam cum virtus sine fide nihil iuvaret, coniungenda erant *virtus fidesque* et *fortis fidosque;* sed quoniam qui ignavi non essent, tamen vani poterant esse, haec disiungenda fuisse apparet. Vides in *aut* hanc vim inesse: si ignavi aut si non ignavi, tamen vani essetis.

multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere. simul quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, 4
ea demum firma amicitia est. Sed ego quae mente agi- 5

---

3. *multis et magnis tempestatibus*] Notum est, Romanos ubi praeter *multus* aliud adi. substantivo adiungitur, id per *et* solere cum illo coniungere, cum nos soleamus coniunctionem omittere; cfr. Cat. 51, 35; Iug. 5, 4; 28, 5; 32, 2; 62, 9; 78, 5; 102, 10; Z. § 756. At recte omittitur coniunctio, ubi alterum adi. cum substantivo quasi in unum coaluit, ut in: *multi gregarii milites* et *multa nefanda stupra* supra 15, 1. Nimium deinde quaesivisse videntur, qui *tempestates* h. l. aut tempora periculosa aut imagine e rerum natura sumpta quasi procellas significare dictitarunt; tempestates sunt temporis varia momenta et quod illi in ipso verbo inesse voluerunt, continetur adiectivo *magnis*, cum aperte magna sint omnia, quae ad animi aut laetitiam aut curam ac sollicitudinem grave aliquod momentum habeant. — *eo*] Ut h. l., pro *propterea* dictum est etiam 22, 2; 52, 11; propriam vim cognosces ex 52, 23 et 53, 4; sed ubi cum comparativo coniunctum est, ut *quo* (vid. ad 1, 3), semper inservit comparationi, neque eo decipi nos patiamur necesse est, quod saepissime causalis enuntiatio adiecta est. — *ausus est* — *incipere*] *Incipere* verissime Döderl. Synon. III, 158 monuit contrarium esse verbis *desinere*, *desistere*, *cessare*. Non abundat igitur *incipere*, ut quibusdam visum erat; sed necessario addendum fuit, cum aperte sententia sit: animus meus ausus est pulcherrumum facinus iam aggredi. In sequentibus hic est nexus sententiarum: fortes vos et fidos mihi cognovi; quare spem concepi maximi facinoris feliciter perpetrandi; ad quam spem augendam illud accedit, quod vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi, quo firmissima sit nostra societas necesse est; nam cum eadem bona cupiamus, eadem mala fugiamus, nulla discordia ac simultas inter nos intercedet. Ceterum parum recte sententiam intellexerit, qui hoc dici putaverit: iisdem nos bonis frui eademque mala perpeti. Quae enim sunt bona in vita, quam intolerabilem dicimus? Sequentia verba aperte demonstrant, hoc dici: intellexi eadem a nobis bona eademque mala iudicari, proptereaque nos idem velle atque idem nolle; nam homines, quae in bonis habent, cupiunt, quae in malis, fugiunt ac depellunt.

4. Attendas ad repetitum *idem*, in quo maxima vis est; cfr. Iug. 31, 14: *quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit.* — De *ea demum* vid. ad 12, 5 et ad 7, 6.

6 *tavi, omnes iam antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quae condicio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus*
7 *in libertatem. Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pen-*

---

5. *ego quae mente agitavi*] Apposito pronomine personali et quidem ante relativum collocato Catilina sua consilia opponit iis, quae iam a sociis facienda sint. Cogitatur igitur tale fere oppositum: Mea consilia iam nostis, non necesse est igitur pluribus ea exponere; sed a vobis quid flagitem, dicam. Quoniam perfectum non solum id significat, quod factum est, sed etiam ea complectitur, quae ex re facta consecuta sunt, *quae mente agitavi* sunt: consilia, quae cepi et etiam nunc teneo. Ceterum cur indicativo, non coniunctivo usus sit scriptor, facile apparet. — *Divorsi* cum proprie sint, qui in contrarias partes versi sunt, h. adi. saepissime dicitur de iis, qui non coniuncti, non uno in loco, separati, singuli sunt; cfr. Iug. 50, 5: *non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio, quam maxume divorsi;* Iug. 12, 5; 55, 7; 87, 4; 101, 2; Cat. 61, 3.

6. Sententia cum praecedentibus sic cohaeret: Nolite putare, me iam minus ea velle, immo multo magis in dies animus mihi accenditur. — *nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem*] Accusativum *ipsos*, quem praeter Vatic. omnes libri exhibent, cum nominativo *ipsi* commutandum esse recte iudicarunt viri docti; postulatur enim sententia talis: quaenam v. c. f. s., si ignavi vel turpissima quaeque passuri sumus, aut ab aliis auxilia exspectamus, neque in nobis ipsis malorum remedia quaerimus; *nosmet ipsos* ubi scribatur, quibusnam obiectum ex adverso ponatur, equidem non intelligo; cfr. Z. § 696; Rh. § 157, I, e. p. 523 sq. —

7. *Ius ac dicio* (sit mihi venia, quod huius substantivi nominativo usus sum, qui apud veteres nusquam legitur) coniuncta summam omnium rerum potestatem significant; illud magis ad imperandi iubendique legitimam potestatem, hoc ad subditorum obedientiam pertinet; cfr. loci a Fabrio laudati Liv. XXI, 6; XXIII, 15; XXXII, 33; XXXVI, 14; XL, 35. Compositum autem *concedere* gravius est simplici *cedere*, cum obedientiam plenam omnibusque partibus absolutam ac perfectam indicet. Similiter Livius dixit *in dicionem concedere* XXIX, 31; XXXVIII, 16. — *Tetrarchae* proprie nominabantur, qui terrae in quattuor partes divisae partem tenebant; tum vero abolita propria significatione, omnino ii, qui in aliqua terra regiam potestatem habebant, nec tamen a populo

dere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, iis obnoxii, quibus, si res publica valeret, formidini essemus. Ita- 8
que omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi illi volunt; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quae quousque tandem patie- 9
mini, fortissumi viri? nonne emori per virtutem prae-

Romani reges appellati erant; cfr. Hirt. B. Al. c. 67: *Deiotarus tetrarches Gallograeciae tunc quidem paene totius, quod ei neque legibus, neque moribus concessum esse ceteri tetrarchae contendebant, sine dubio autem rex Armeniae minoris ab senatu appellatus, depositis regiis insignibus* cet. — *nobiles atque ignobiles*] Monendi sunt tirones haec adiectiva appositionis loco praecedentibus adiuncta esse, ut sententia sit: ceteri omnes, boni, strenui, non minus qui nobiles quam qui ignobiles. *Volgus* contemptam significat multitudinem, in qua nihili sunt singuli, capita tantum numerantur. — Qui in *gratia* sunt, amantur ac diliguntur, qui *auctoritatem* habent, gravitate sua ac potentia alios ad obsequia cogunt. — In sequentibus cum libris Vaticano ac Basileensi primo scripsi *iis* pro *his.* Quamvis enim *his*, ad optimates, de quibus antea dictum est, relatum, ferri posset (vid. ad 2, 4), manifestum tamen est, inter demonstrativum et relativum arctiorem quandam intercedere necessitudinem atque sententiam esse talem: ita contempti abiectique sumus, ut obnoxii simus tam paucis, tam ignavis, tam malis, quibus si res publica valeret, formidini potius essemus. De *obnoxius* dicetur ad 48, 5.

8. De *ubi* vid. ad 3, 3. Opponuntur *pericula gratiae*, quod qui animos hominum sibi conciliaverint, semper patronos ac defensores invenire solent omninoque qui quam plurimis gratus est, tutissimus est ab aliorum invidia et insidiis; contra qui gratiae expers est, nihil omnino sine periculo suscipit, cum neque quisquam eius inceptis faveat, et plerique omnes ei officere parati sint. Non minus recte exadversus *potentiam* positae sunt *repulsae.* Potentiam enim Romae nemo nanciscebatur, nisi honoribus gestis provinciisque administratis. *Honori* denique opponuntur *iudicia,* quoniam nemo in ius vocatur, nisi ob crimen commissum aut certe criminis suspicionem, semper igitur honoris periculum facit, qui accusatur. Ceterum facile intelligitur, iudicia ex Catilinae sententia idem esse ac condemnationes. Vides igitur hoc quoque loco magna arte singula singulis opposita esse.

9. Cum primis verbis conferas initium Ciceronis orationis Catilinariae primae: *Quo usque tandem abutere* cet. — De prae-

stat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero pro deum atque hominum fidem! victoria in manu nobis est, viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantummodo

---

pos. *per* vid. ad 6, 7 et 20, 2. Sententiam apertum est talem esse: nonne praestat mors honorifica vitae longiori miserae et inhonestae? At vult Catilina simul hoc monere auditores, talem vitam miseram longiorem tandem finitum iri indecora morte. Quare sententiam ita expressit, ut mortem honorificam compararet cum indecoro vitae miserae fine, adiectoque secundario enuntiato *ubi alienae superbiae ludibrio fueris*, quae talem mortem praegressura essent significaret. Plenius igitur haec sic dicerentur: Nonne statim emori per virtutem praestat, quam alienae superbiae ludibrio esse et tandem vitam miseram atque inhonestam per dedecus amittere? Illud *statim* quodammodo inest in verbo *emori*, quod notionem: totum interire, plane exstingui, continere bene monuit Döderl. Syn. Lat. III, p. 184. Huius verbi ut ap. Cic. (vid. Gernhard ad d. sen. c. 19) et Sal. (vid. Iug. 14, 24) infinitivus praesentis solus inveniatur, casu factum esse, vel inde apparet, quod alii scriptores reliquis formis non abstinuerunt. — *inhonestam*] „Non intelligit vitam turpem et flagitiis contaminatam, sed non honestatam honore, ut dixit c. 35, 3. Haud dissimiliter Prop. II, 20, 58: *exitus hic nobis non inhonestus erit.* Pariter Sal. vocabulo *honestus* utitur pro honorificus Iug. 14, 24; 65, 5; 3, 1, ubi Cortius comparavit Cic. Epp. ad Fam. II, 15, a. m. et XI, 3 extr.; cfr. Heind. ad Horat. Sat. I, 6, 96.“ Kritz.

10. Sententiarum nexus est: At minime metuendum est, ne interituri simus, immo victoria nobis certissima est. *In manu* sive *in manibus esse* ea dicuntur, quae tam propinqua sunt, ut manibus comprehendi possint; cfr. Caes. B. G. II, 19: *incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt, ut paene uno tempore et ad silvas et in flumine et iam in manibus nostris hostes viderentur;* vid. ibi interpr. Quare transfertur locutio ad ea, quibus primo quoque tempore potiri posse videamur, ut h. l. et supr. 2 (contrarium est *procul esse* Iug. 85, 49), et dicitur etiam de iis quae tam propinqua sunt, ut bene nosci possint, quemadmodum Iug. 14, 4: *neque mihi in manu fuit* (i. e. manifestum fuit), *Iugurtha qualis foret* (quamquam ibi etiam alia explicandi ratio poterit iniri). Haud dissimile est *in manus venire* Iug. 89, 2; 101, 4; diversa tamen sunt *in manu vostra est* Iug. 14, 3 et *in manu vostra situm est* Iug. 31, 5; vid. quae ad eos locos adnotabimus. — Metaphora, per quam *senescere* pro debilitari, frangi, minui dicitur, cum apud

incepto opus est; cetera res expediet. Etenim quis mor- 11
talium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis di-
vitias superare, quas profundant in exstruendo mari et
montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad
necessaria deesse? illos binas aut amplius domos con-

---

omnes scriptores, tum apud Sal. haud infrequens; cfr. Iug. 2, 3; 35, 3. Sententia paulo obscurior est; haeremus, quid sit *divitiis consenescere*, quo non dubito quin exprimere voluerit Sal., optimates, cum divitiis abundarent, inertiae et luxuriae sese dedisse eoque infirmos ignavosque factos esse; praeterea quaeritur, utrum ipsi optimates senes dicantur, an sententia sit: nobilitatis opes fractae ac minutae sunt, quorum illud verum esse apparet ex opposito *viget aetas*. Observent denique tirones Chiasmum: *viget aetas, animus valet.*

11. Haec verba non cum ultimis *cetera res expediet* arcte cohaerent, sed ut tota oratio est concitata atque abrupta, ad talem sententiam mente supplendam referuntur: quam multa vero et quam gravia sunt, quae nos ad suscipiendum facinus hortentur! quae sententia eo facilius omitti potuit, quod etiam in praecedentibus cohortatio quaedam ad suscipiendum inest. Praeterea illud quoque concitatioris orationis generis est, quod a sententia generali *quis mortalium tolerare potest* transitur ad singularia *illis — nobis*. Certe exspectaveris orationem sic conformatam: quis mortalium tolerare potest paucis aliis divitias superare, sibi rem familiarem etiam ad necessaria deesse. — *Superare alicui* = abunde alicui esse (Iug. 64, 1; 70, 2) apud omnes omnium generum scriptores frequentissimum est. — De *exstruendo mari* iam ad 13, 1 dictum est. — *Continuare* i. e. coniungere (Cic. pr. dom. 44, 155: *habitare laxe et magnifice voluit duasque et magnas et nobiles domos coniungere*), nullo spatio interiecto contiguas domos aedificare sive contiguas habere; cfr, Liv. I, 44 extr.: *ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur* (i. e. cum moenibus contigua aedificarentur), *quae nunc vulgo etiam coniungunt.* XXXIV, 4, 9: *ingens cupido agros continuandi.* Cic. d. leg. agrar. III, 4, 14: *Denique eos fundos, quos in agro Casinati optumos et fructuosissumos continuavit, quom usque eo vicinos proscriberet, quoad oculis collineando* (sic scripsi ex Orellii coniectura pro vulgato *continuando*) *ex multis praediis unam fundi regionem formamque perficeret, quos nunc cum aliquo metu tenet, sine ulla cura possidebit.* Horat. Od. III, 16, 41: *quam si Mygdoniis regnum Alyattei campis continuem.* — *amplius*] quod Ramsh. § 206, A. 1, b. p. 991 per antimeriam pro *plures* dictum esse voluit,

tinuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse?
12 *Quom tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias suas vincere*
13 *nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior; denique, quid reliqui ha-*

---

rectius Fabrius ita explicavit, ut ex praecedentibus *binas* suppleatur. — *Lar* saepissime dictum esse de eo loco, in quo Lares colerentur, foco, domo, satis constat; sed perperam vertit Herzogius *einen traulichen Heerd. Lar familiaris* enim dicebatur is, qui a familia ex patrio more coleretur, ut ap. Plaut. Aul. prol. 2: *Ego sum Lar familiaris ex hac familia, unde exeuntem me aspexistis*, idem est Lar familiaris, qui *familiai Lar pater* Merc. V, 1, 5. Vertendum igitur erat: *einen Familienheerd*, sive *einen heimischen, eigenen Heerd.* Homines enim illi non in domibus habitabant, quas a patribus hereditate accepissent, sed alienos Lares habebant. —

12. *Toreumata* eadem videntur esse, quae supra 11, 6 *vasa caelata.* Ex eo loco simul intelligitur, *tabulas* esse tabulas pictas. — Acerbissime perstringit Catilina temerariam quorundam aedificandi libidinem, quippe qui non satis habeant, vetustate collapsa reficere sordibusque obtecta purgare, aut nova aedificia construere, sed ne novis quidem aedificiis contenti, haec diruant aliaque aedificent. De *postremo* vid. ad 14, 6. In sequentibus nemo facile infitias ibit, verba *trahere, vexare, vincere* a re bellica sumpta esse, pecuniamque cogitari tamquam hostem, quem delere illi cupiant. Et *trahere* quidem h. l. alio significatu est, quam supra 11, 4 et Iug. 41, 5, ubi est: suum in usum conquirere. De *vexare* iam ad 15, 4 dictum. Post *divitias* pronomen *suas*, quanquam in plerisque libris omissum est, tamen cum optimis codicibus retinendum putavimus. Augetur enim eo addito sententiae vis, cum magis efferatur illos non in alienas, sed in suas divitias caeco furore quasi saevire.

13. *res — spes*] Valde delectati sunt veteres hac paronomasia; cfr. locos iam ab aliis collectos: c. 21, 1; Cic. pr. Coel. 32, 78: *hominem sine re, sine fide, sine spe;* ad Fam. XII, 25, 1: *Non solum spe, sed certa re iam et possessione deturbatus est;* Orat. 30, 107: *sunt enim omnia sicut adolescentis non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudata.* Commemorat Quint. IX, 3, 75: *in primo genere similium, cum verbum verbo simile aut non dissimile valde quaeritur, hoc: Non enim tam spes laudanda, quam res est.* Ceterum vix est,

bemus praeter miseram animam? Quin igitur expergi- 14
scimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas,
praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt!
fortuna omnia ea victoribus praemia posuit. Res, tem- 15
pus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam
oratio mea vos hortentur. Vel imperatore vel milite me 16
utimini; neque animus, neque corpus a vobis aberit.
Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi 17

---

quod moneamus *rem* significare omnem condicionem, in qua quis in praesenti est, *spem* autem esse non futuri boni sed omnino rei futurae exspectationem, quam primariam esse huius verbi significationem inde apparet, quod saepius *bona* adiungitur, ut 21, 1; Iug. 44, 2; 113, 3. Eodem modo, quo h. l. dictum est in locutionibus illis satis frequentibus *contra spem* et *praeter spem:* „*gegen Erwartung.*" Iug. 28, 1; 88, 1; et Iug. 75, 8: *commeatus spe amplior.* — *Denique* pariter ac *postremo* ibi a Romanis saepe usurpatum est, ubi breviter et quasi per summam praegressa omnia comprehenduntur; cfr. Iug. 15, 2; 39, 2; 43, 3; 79, 7; 110, 4.

14. De *quin* adeas Z. § 542; Rh. § 174, 1, p. 700 sqq. Cfr. Iug. 85, 41: *Quin ergo, quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant!* — *Quae in oculis sunt*, i. e. oculis bene cerni possunt, non possunt nimis remota esse; igitur haec locutio idem fere significat, quod *in manu est*, ut haec tamen etiam maiorem nanciscendi facilitatem exprimat. — *omnia ea*] Quamquam verum est, quod Fabrius observavit, pronomen demonstrativum a Sal. ante *omnia* poni solere, quando ad praecedentia spectet, postponi, ubi ad sequens aliquod referatur, et in multis libris *ea* ante *omnia* collocatum est; tamen cum iis libris, quibus potissimum fidem habendam esse cognovi, retinui *omnia ea*, cum neque quidquam impediat, quominus *ea* etiam postpositum ad praecedentia referatur, et scriptor a consuetudine sua recessisse videatur, quo graviore numero *omnia* efferret. —

17. Adverbii *una* praepositioni *cum* adiecti iam alii exempla commemorarunt Cat. 52, 10; Iug. 14, 8; recteque compararunt *simul* cum eadem praepositione coniunctum, quo uno eodemque tempore res duas factas esse magis prematur; cfr. Cat. 33, 4; Iug. 14, 23; 91, 2. *Agam* autem hoc loco non esse: de iis rebus vobiscum iterum consultabo (*verhandeln*), sed eas res vobiscum perficere studebo, et adiectum *una* et quae sequuntur, satis demonstrant. De *nisi forte* adeas Z. § 526 et annot. nostr. ad Iug. 14, 10. — Hanc orationem non revera a Catilina habitam, sed a

forte me animus fallit, et vos servire magis quam imperare parati estis."

XXI. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, tametsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulavere plerique, uti proponeret quae condicio belli

---

se compositam esse ipse scriptor indicavit § 1. Quanta arte eam fecerit, iam veteres perspexerunt, ut Quintil., qui III, 8, 45 haec scribit: *Neque enim est quisquam tam malus, ut videri velit. Sic Catilina apud Salustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione videatur audere.* Eodem modo iudicat Drum. l. c. T. V, p. 442, cuius verba integra adscribere iuvabit: „*Seine Rede hat Salust nicht mitgetheilt, wie er es vielleicht vermochte (?); nach der Sitte der Alten leiht er ihm die Worte; die Gedanken dringen sich auf, wenn man den Charakter und den Zustand des Redners kennt, und sich daran erinnert, dass das Verbrechen im Bewusstsein seiner abschreckenden Gestalt selbst vor Verworfenen nicht ohne den Schleier der Tugend erscheinen mag.*"

XXI. 1. *mala abunde omnia*] Similiter Iug. 63, 2: *ad quem capiundum praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant.* Ceterum animadvertant tirones, scriptorem videri propterea *mala* et *omnia* interposito adverbio *abunde* separasse, quoniam utrique in sequentibus aliquid opponitur. — *quieta movere*] Quam saepe Sal. neutr. adi. plur. pro substantivis utatur, dici vix potest; et videtur saepius, quam reliqui, eam consuetudinem secutum esse, in quo brevitas eius orationis haud minime cernitur. „*Movere* pro *turbare* dictum apud Tacitum aliosque historicos passim invenitur; cfr. Ann. III, 32: *motam rursum Africam incursu Tacfarinatis*; Liv. XXXV, 13 med.: *Antiocho filio misso in Syriam ad custodiam ultimarum partium regni, ne quid absente se ab tergo moveretur.*" Gerl. Sal. nihil aliud dicit nisi, rerum quietarum perturbationem per se ipsam illis magnam mercedem visam esse; quippe cum iis aeque ac Catilinae bella intestina, caedes, discordia civilis grata essent, gavisos esse occasione oblata res quietas perturbandi. Quod quidam dici voluerunt: a perturbatione magna sibi commoda redundatura esse sperabant, in verbis certe non inest. — *postulavere*] pro *postulare* scripsi optimos libros secutus. Cum infinitivi ea natura sit, ut res factas tantum, nulla temporis sive personae ratione habita significet, *infinitivo historico* scriptores utuntur, ubi satis est, rem commemorasse; plerumque ubi res enarrant, quae alia aliam celeriter exceperunt, aut uno eodemque

foret, quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, pro- 2
scriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas,

---

temporis momento factae sunt, haud raro etiam ubi unam rem commemorant, quae a pluribus facta est, aut quam factam esse cum gravitate quadam efferre volunt. Igitur per se infinitivus historicus h. l. recte scriptus esset. (Accuratius qui rem cognoscere cupiunt, adeant Mohr, über den hist. Inf., Meining. 1822; M. Schmidt, über den Inf., Ratib. 1826, § 33 p. 64 sq.; H. C. F. Prahm, Versuch über d. Wesen d. hist. Inf., Alton. 1827.) — *condicio belli*] Illos non quaesivisse de ratione ac consilio belli gerendi, inde apparet, quod ad eam quaestionem non respondit Catilina. Condicionem autem qui proponit, pro eo, quod fieri vult, alteri a sua parte aliquid pollicetur; illi igitur bellum suscepturi, quaerunt, quid pro laboribus a se sustinendis quasi promittatur, quae sibi pro suscepto bello darentur. Simili modo eo verbo usus est Cic. pr. M. Marc. 4, 12: *Nam cum ipsius victoriae condicione iure omnes victi occidissemus, clementiae tuae iudicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus est, a quo etiam ipsius victoriae condicio visque devicta est;* ubi *condicio victoriae* ea significat, quaecunque ex victoria reportata consequuntur. — *ubique*] Vix est, cur eorum errorem coarguamus, qui *ubique* hoc loco *irgendwo* significare dicunt. Particulae *que* enim, ubi cum pronominibus aut adverbiis indefinitis (*quis*, *unde*, *ubi* cet.) coniungitur, semper ea vis est, ut illorum vim extendat adque omnia ea, in quae cadere possit sententia, transferri significet (cfr. Schmidt, d. pron. Gr. et Lat., Hal. 1834, p. 100). Iam quid hoc est: quid opis aut spei haberent omnibus locis, quae hac in re cogitari possint? quaenam sunt illa loca? Consentaneum est, illos sciscitari potius, quibusnam in locis quid auxilii sint habituri. *Que* igitur apparet, h. l. esse particulam copulativam et duas interrogationes (quid opis haberent et ubi id haberent), ut saepissime fit, in unam esse commixtas. Cfr. 47, 1: *quid aut qua de caussa consili habuisset.* Nec tamen recte Fabrius contendit, *ubique* semper apud Sal. esse *et ubi;* quamquam semper cum relativo vel interrogativo coniunctum invenitur; cfr. ad 27, 1; 37, 5; 51, 38. —

2. Tironum gratia moneo, *tabulas novas* a Romanis dictas esse aeris alieni remissiones (Graece *χρεῶν ἀποκοπαί* s. *σεισάχθεια*). Quando enim aut debitae pecuniae aut fenora nondum soluta minuebantur, tabulae, in quibus illa perscripta erant, mutandae erant; usurpabantur vero haec verba etiam de aere alieno prorsus sublato. —

3 alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consili sui participes; petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo se consulem initium agundi facturum.
4 Ad hoc maledictis increpat omnis bonos, suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, compluris periculi aut ignominiae, multos
5 victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam

---

fert] Quoniam ea, quae feruntur, ab eo, qui fert, pendent aut in eo posita sunt, *ferre* saepissime de iis rebus dictum est, quae aliam secum coniunctam habent, aut ut accidat efficiunt; cfr. Iug. 78, 2: *cetera, uti fors tulit, alta alia, alia in tempestate vadosa.*

3. P. Sittius Nucerinus vix dubium est, quin cognomen acceperit ab Nuceria, oppido Campaniae, unde originem generis videtur duxisse. Is paulo ante Catilinae coniurationem, quod aere alieno oppressus praedia sua divendiderat, iudicii timore Roma profugerat manuque collecta in Mauretania regulis inter se bellum gerentibus, modo huic, modo illi auxilium praestabat, semperque, quo se adiunxisset, victoriam secum trahebat. Suspicione, qua urgebatur, eum cum Catilina ad opprimendam rem publicam conspirasse, purgare eum studet Cic. pr. Sull. 20, 56. Vix dubitari potest, quin idem sit, qui bello Africano in Caesaris exercitu summa cum laude stipendia meruit (d. B. Afr. 36 et 95). C. Antonius Hybrida, filius M. Antonii oratoris, eius Antonii, qui postea triumvir fuit rei publicae constituendae, patruus ac socer, adoleverat in exercitu Sullano, et post eius mortem a. 70 a censoribus Cn. Lentulo et L. Gellio, quod socios diripuisset, in iudicium ad dicendam caussam non venisset, propter aes alienum bona vendidisset, senatu motus, mox tamen restitutus erat. Cum Cicerone praetor factus; sed rursus gravissimum aes alienum conflaverat. Omnes consentiunt, eum moribus Catilinae parem, ingenii vi inferiorem fuisse (cfr. Drum. l. c. I, p. 540). — De verbis *necessitudinibus circumventus* vid. ad 17, 2 et 16, 3. —

4. De temporum commutatione vid. ad 12, 5; de pronomine reflex. *suus* ad obiectum relato Ramsh. § 157, 4, b. p. 539. — *periculi aut ignominiae*] *Periculum* videtur illis fuisse, ne propter scelera accusarentur; in *ignominia* autem erant, qui iam antea condemnati erant. — *praedae fuerat*] Cfr. 48, 2: *namque alia belli facinora praedae magis, quam detrimento fore;* Iug. 31, 10:

omnium animos alacris videt, cohortatus ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, quom ad iusiurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde quom post exsecrationem omnes 2
degustavissent, sicut in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo dictitare fecisse, quo

---

perinde quasi ea honori, non praedae habeant; 90, 2: *pecus omne, quod superioribus diebus praedae fuerat.*

5. *alacris*] Hoc adi. omnino de iis dicitur, qui cupiditate incensi sunt; *petitionem* autem *curae habere*, i. e. curare ut quod peteret, nancisceretur, ita poterant socii, cum et ipsi sua suffragia illi darent et alios ad idem commoverent.

XXII. 1. *popularis*] „Paulo rariore significatione valet socium, cfr. infr. 24, 1 [add. 52, 14]; Ter. Phorm. I, 1, 1: *amicus summus et popularis meus Geta.* Apposite Donatus ad Ter. Adelph. II, 1, 1 haec annotat: *popularitas in omnis rei consortium sumitur.*" CORT. — *pateris*] Eo poculorum genere Romanos in sacris usos esse testatur Varro d. L. L. IV, 26: *Hisce etiamnunc in publico convivio, cum magistri fiunt, potio circumfertur et in sacrificando Deis hoc poculo magistratus dat Deo vinum.* Item *circumferre* in usu fuisse de cibis vel potionibus, quae convivae aut solemnium sacrorum sodales singuli gustarent, iam ab aliis monitum est.

2. *Inde*] Sunt, qui pro *deinde, postea* dictum putent. Cuius usus apud reliquos historicos frequentissimi cum apud Sal. nullum exemplum invenerim, *inde* dictum arbitror pro *ex ea potione* ex illo adverbii usu, de quo ad 3, 3 dictum est. Quid ad *degustassent* supplendum sit, intelligitur ex Cic. pr. Cluent. 26, 72: *qui aliquid ex eius sermone speculae degustarat;* ad Att. XIII, 40: *vellem aliquid degustasse de fabulis.* — *post exsecrationem*] „i. e. postquam se ipsos omnesque, qui coniurationem proditari essent, exsecraverant, diras imprecati." KRITZ. — *consuevit*] Impersonaliter usurpatum, quamquam rationi conveniens, tamen rarius est. Exemplum Fabrius protulit Hirt. B. Al. 62: *Namque ut in civilibus dissensionibus accidere consuevit, ita temporibus illis in Hispania nonnullae civitates rebus Cassii studebant, plures Marcellum fovebant.* Minus rarum est eodem modo usurpatum verbum *solere;* vid. ad 29, 2. — Difficillima sunt, quae sequuntur, *atque eo dictitare fecisse.* Consideremus primo eam scripturam, quam plurimi editores veram esse arbitrati sunt, *dictitare.* Infini-

inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii.

---

tivum cum ad Catilinam referri et tempus praesens vetaret, et verbum frequentativum, quod repetitionem indicat, praeterea res ipsa videretur obstare, cum vix credibile sit Catilinam aperto suo consilio, cur illam diram rem fecisset, sociis exposuisse, plerique interpretes ad eos pertinere contenderunt, de quibus supra dictum est: *fuere, qui dicerent* (nam perfecti formam ex *dictitavere* contractam quominus putemus, eo impedimur, quod nullum aliud eius contractionis exemplum invenitur, et profecto maxima inde ambiguitas nata esset). Ac primum quidem verbum dicendi a Sal. propterea repetitum esse dixerunt, quod cavere vellet, ne quis haec sui iudicii esse putaret, quod certe non necessarium fuit; rectius fortasse contenderetur, propterea id fecisse scriptorem, quod iam ea referret, quae illi, quo tam atrox facinus facilius crederetur, adiungere solerent. Deinde infinitivum historicum tutati sunt allatis exemplis, ut Iug. 32, 3: *fuere, qui elephantos traderent; alii perfugas vendere, pars praedas agebant;* qui locus eo minus debebat comparari, quod singula verba ad diversos homines spectant; et quamvis saepius infinitivum histor. et verbum finitum sese excipere, supra iam ad 16, 2 observavimus, tamen in eo aliquid inconcinni inesse quivis sentiet. Sed id non tanti videtur esse, ut propterea ab ea scriptura recedendum sit. Maior difficultas est, quod verbum *fecisse* et subiecto et obiecto caret, quod quamquam excusari potest, tamen habet aliquid duri et ambigui; praeterea quicumque haec leget, *dictitare* cum *Catilinam* coniunget, cui difficultati tamen graviori interpunctione ante *atque* posita aliquo modo subvenies. Deinde non intelligitur, cur verbo frequentativo usus sit scriptor; certe id, quod quidam monuerunt, etiam in *fuere, qui dicerent* repetitionis significationem inesse, propterea accipi non potest, quod illa verba idem a compluribus hominibus diversis temporibus factum esse indicant, hoc idem ab iisdem hominibus saepius iactatum; cfr. Iug. 84, 1; recte scriptum esset frequentativum hac vi: *cum vi asseverarunt*, quod nescio an usui conveniat. Ad haec accedit, quod in libris maxima varietas est, quorum alii *dictam rem*, alii *dictas res*, alii *dictante*, alii *dictare* vel *dictitavere* exhibent, in duobus vocabulum erasum est, nullo alio suppleto; quas scripturae discrepantias omnes ex *dictitare* natas esse, quamquam cum quadam veri specie contenditur, tamen neutiquam omni dubitatione exemtum est; certe non minus veri similis Sellingii sententia est, *dictitare* ex *dictam rem* corruptum idque glossema esse suspicati. Mihi satis certum videtur, veterem corruptelam huic loco insedisse; nec veri dissimile, scriptum fuisse a Sal. obiectum verbi *fecisse*. Quid scripserit, nemo facile coniectura assequatur; sed ne ignavia periculum

Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis, 3
qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri crede-
bant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis 4
ea res pro magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haut obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus,

---

effugisse videar, commemoro, me in eam suspicionem incidisse, fortasse scriptum fuisse: *diram illam rem.* — *alius alii conscii*] Non video cur Dativus, socium conscientiae indicans (cuius exempla allata sunt Curt. VI, 10, 20: *si conscius Dymno tanti sceleris fuissem;* Terent. Heaut. I, 1, 69: *ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii;* Tacit. Ann. I, 43 init.: *cecidissem nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius*), ad Graecae constructionis exemplum revocandus sit. Certe eius constructionis non alia ratio est, quam ubi dativus reflexivi adiungitur (Cat. 34, 2; Iug. 40, 2). De plur. vid. ad 6, 2 et 1, 7.

3. *et — et*] „Huius particulae geminatae ea potestas est, ut duo vocabula non tam copulet aut eadem cogitatione comprehendat, quam seiungat et seorsim collocet, quo fit, ut utrumque paulo maiori vi efferatur, quam si simplici copula contineretur; cfr. 21, 3.“ Kritz. In sequentibus cur *his* ferri non possit, satis apparet ex iis, quae ad 2, 4 disputavimus. De *invidia* vid. ad 6, 3.

4. Sententiam patet hanc esse: res tam magna i. e. tam atrox, tam dira est, ut eam, nisi certis testimoniis, credere non possimus; at parum certa sunt testimonia; quare eam vere factam esse affirmare levitatis esset. Ceterum eam rem, quam posteri scriptores, Dio Cassius et Plutarchus, sine ulla dubitatione pro vera narrarunt, confictam esse, recte Drumannus l. c. V p. 423 inde colligit, quod Cicero, qui de omnibus, quae Catilina egerat, certior factus erat, nusquam illud facinus commemoravit, et ne tum quidem, cum propter mortem coniuratorum ab adversariis vehementissime oppugnatus, nihil praetermitteret, quod ad levandam suam invidiam et augendum illorum scelus pertineret. Nam quae quidam verba ad eam rem spectare voluerunt, or. in Cat. I, 6, 16: *quae* (sica) *quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas consulis in corpore defigere*, iis illam rem significari non posse, nemini credo, qui totum locum accuratius consideraverit, dubium videbitur.

XXIII. 1. Post interposita ea, quae capite praecedente enarrata erant, scriptor iam ad rem redit, quam c. 21 persecutus erat, id quod significatur particula *sed.* — Quoniam apud Nonium IV, 202 et in libro Einsiedelensi *conventione* pro *coniuratione* scriptum est,

2 quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas inerat, quam audacia; neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare,

---

teneant tirones, hoc vocabulum, concionem, concilium significans, apud nullum Latinum scriptorem legi praeter Varronem d. Ling. Lat. IV, 9, 75; significationem pactionis ap. Liv., Senec., alios saepius habere, ceterum facile apparet, *coniurationem* h. l. esse coniuratorum manum; cfr. ad 17, 7. — Quoniam Gell. N. A. IV, 17 Salustium Catonis exemplo *fenoribus coopertus* dixisse auctor est, id vero nusquam apud eum legitur, fuerunt, qui h. l. pro *facinoribus fenoribus* scribendum putarent; quantula cum veri specie, quisque videbit. De verbis *flagitium* et *facinus* vid. ad 14, 1; intelligitur discrimen, quod ibi statuimus, etiam ex Cic. in Cat. I, 6, 13: *quae lubido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Coopertus* a simplici *opertus* ita differt, ut magis *totus opertus* significet. Saepius apud omnium generum scriptores translata significatione legitur de iis, quibus praeter modum ignominiae ac turpitudinis notae inustae sunt, aut qui praeter modum aliqua re vexantur (cfr. Iug. 14, 11: *miseriis coopertus*). — Qui in sequentibus scripturae *senatu amoverant* vel *a senatu moverant* defensores exstiterunt, non satis reputasse videntur, in quot quantasque vituperationes merito Salustius incursurus fuisset, si in ea re sine ulla idonea causa legitima solemnique formula uti noluisset. — Verba *probri gratia* non significare: ut illum ignominia notarent, sed propter turpem ignominiosamque vitam (cfr. 37, 5: *qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant*), quivis intelliget, qui reputaverit, quam supervacaneum fuisset, illud adiicere, cum censoria nota omnino sine ignominia esse non posset; *gratiā* igitur h. l. propriam suam vim, qua est *in alicuius favorem*, prorsus amisit.

2. *Vanus* et *vanitas* de eo homine dicuntur, qui neque recto neque constanti consilio utitur, neglectisque bonis, magnis, honestis levia, futilia, inania sectatur; cfr. Cat. 20, 2; Iug. 38, 1. — Recte deinde *suamet ipse* scribitur, non *suamet ipsa.* Cum enim pronominis *ipse* ea vis sit, ut id, de quo dicitur, separet ac disiungat ab omnibus reliquis, apertum est h. l. non illud premendum fuisse, ipsa sua scelera fuisse, quae non occultaret; sed ipsum eum fuisse, qui non occultaret. Opponuntur quidem inter se *quae audierat* et *sua scelera*, sed vis inest etiam in eo, quod ipse ea non reticuit. Vide Hoffmann in Iahn. Ann. vol. VII, p. 34 sq.; Matth. ad Cic. pr. leg. Man. 13, 38. „*Met*, pronominibus possessivis additum," rectissime Kritzius ait, „eorum vim intendit, planeque respondet vernaculo *eigen*, quod eodem consilio posses-

prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; 3
cui quom minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montisque polliceri coepit et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret, postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curi 4

---

sivis adiungere solemus. Rarius quidem apud probatos auctores reperitur, Salustius tamen aliquoties ita locutus est, velut Iug. 8, 2 extr.; 31, 6 [quorum locorum prorsus eadem ratio est, atque huius]; 85, 24; Fragm. Histor. I, 15, 25; II, 42." — De *prorsus* dictum est ad 15, 5; de *quidquam pensi habere* ad 5, 6. —

3. *inopia*] Vid. Zumpt § 454. — *maria montisque*] Significantur promissa omnem modum et finem egressa; metaphora inde sumpta, quod ut montes maximam vim humi saxique continent, sic maria aquae. Iam ab aliis comparata sunt haec exempla: Ter. Phorm. I, 2, 18: *is senem per epistolas pellexit, modo non montis auri pollicens.* Plaut. Mil. Glor. IV, 2, 75: *Plus mihi mille aeri est modiorum Philippei.* Pa. *Praeter thesaurum; tum ingentis hic montis, non massas habet. Aetna non aeque altus.* Pers. Sat. III, 65: *et quid opus Cratero magnos promittere montes.* — *Et* ante *minari* positum non solum optimorum librorum fide; sed etiam ab sententia commendatur. Cum enim particulae *et* ea vis sit, ut, quae, natura sua separata, fortuita quadam coniunctione continentur, copulet, apparet per eam singulas res magis disiungi, quam per asyndeton. Atqui contraria sunt minae et promissa; melius igitur disiungentur. Vertes: „*und auch*". In sequentibus, pauciores quidem, sed meliores libros secutus, praeeuntibus Gerlachio et Orellio scribendum curavi *ni sibi obnoxia foret* pro *nisi obnoxia foret.* Dativum enim reflexivi, quamvis minime necessario requiratur, tamen non sine vi addi quivis sentiet; deinde *ni* h. l. aptissimum videbatur. Quam particulam, quia propter syllabae productae gravitatem, si cum molliori *nisi* comparatur, aliquid concisi habet et abrupti, a Latinis scriptoribus ibi potissimum usurpatam esse constat, ubi aut minae iactantur (ut h. l.; Iug. 25, 7 (ubi vid.); 33, 3), aut sententia cum maiore vi aliis opponitur (quod cadit in locos Cat. 7, 7; 20, 2; Iug. 31, 1), aut res vel praeter opinionem alii impedimento obiecta est (ut Iug. 21, 2, 27, 2; 53, 7; 56, 5; 59, 3) vel celeriter obiicienda (Iug. 77, 1). Cfr. Gernhard. Epist. ad Herzog. de Tacit. Agr. 2, Vimar, 1838, p. 15; Iahn. Ann. Nov. philol. et paed. vol. XXIII, p. 241; et ad Virg. Aen. V, 49, p. 481 (ed. sec.). —

caussa cognita, tale periculum rei publicae haut occultum
habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione, quae
5 quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in
primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum
6 M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invi-
dia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum
7 quamvis egregius homo novus adeptus foret. Sed ubi peri-
culum advenit, invidia atque superbia post fuere.

---

4. *haut occultum habuit*] Vid. ad 1, 4. — *Tollere* quoniam est auferre, removere, removentur vero a ceteris etiam ea, quae cum illis una non moventur, *sublato auctore* est non nominato, non divulgato. Comparatur Cic. ad Att. II, 24, 3: *Hic ille omnia, quae voluit, de re publica dixit, ut qui illuc factus institutusque venisset. Primum Caepionem de oratione sua sustulit, quem in senatu nominarat.* — *quae quoque modo*] Recte iam inter viros doctos convenit hanc solam veram esse scripturam locumque ita interpretandum: quae audierat et quo modo ea audierat (vid. ad 21, 1); cui interpretationi minime illud obstat, quod auctorem non nominavit, cum sufficeret dicere, sibi, cum iuvenis nobilis ferocius quam antea agitaret, primo suspicionem motam esse, magnum aliquod facinus contra rem publicam parari, deinde instando et rogitando haec se comperisse.

5. *Accendere* de animo vehementer cupiditate permoto aut libidinibus flagrante ap. Sal. frequentissimum est; cfr. 20, 6; 25, 3; 51, 10; 59, 6; Iug. 4, 5; 6, 3; 8, 1; 15, 5; 20, 1; 30, 3; 31, 16; 34, 1; 64, 4; 73, 6; 81, 1; 82, 3 (invidiam); 89, 5; 102, 3.

6. Singularis adiectivi *plerusque* cum substantivis, maxime collectivis coniunctus, ap. Sal. haud rarus est. Locos congessit iam Fabrius: Cat. 17, 6; 38, 2; Iug. 18, 2; 54, 9; 79, 2; 85, 21 (*pleraque oratione*). De *aestuabat* dicetur ad Iug. 93, 2. — Pluralis *credebant* ad praecedens collectivum relatum est, ut 7, 4; cfr. etiam ea, quae ad 16, 2 dicta sunt. — *Quamvis* praeter hunc locum in Cat. et Iug. nusquam legitur. Id eo factum videtur esse, quod scriptori historico, quippe qui res factas narraret, occasio sese non obtulit hac particula utendi; qua qui modus rei cogitandus sit, lectoris iudicio relinquitur. — *Homines novos* tirones teneant appellatos esse eos, qui primi suae gentis nulla maiorum commendatione (Cic. in Cat. I, 11, 28) maximos honores adepti essent. Ceterum compares cum hoc loco Iug. 63, 7.

7. *Post* adverbium est, translata tamen significatione, ut Iug. 19, 3: *secundo mari primo Cyrene est, deinde Philaenon arae* —

XXIV. Igitur comitiis habitis consules declarantur M. Tullius et C. Antonius. Quod factum primo popularis coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinae furor mi- 2
nuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quendam portare, qui

---

post aliae Punicae urbes; de tempore pro adverbio dictum ap. Sal. vicies et bis invenitur.

XXIV. 1. *comitiis habitis*] Bene Kritzius monuit, haec verba simpliciter significare: cum comitia habita essent; nondum enim absolutis et confectis comitiis non potuisse declarari creatos consules. *Declarare* idem est ac *renuntiare*. Diribitis suffragiis, qui creati erant, ab rogatore, qui comitia habebat, cuique aut reiiciendi aut accipiendi ius erat, per praeconem renuntiabantur. Eodem verbo usus est Cic. pr. Mur. 2, 3: *is potissimum consul, qui consulem declaravit.* — *concusserat*] Plusquamperfecti eadem ratio est, ac supra 18, 6. Potuisset Sal. scribere: Quod factum cum primo — concussisset, tamen Catilinae furor non minuebatur; sed quoniam utrumque magis efferre voluit, etiam illud primario enuntiato expressit. Id ipsum vero nobis in caussa fuit, quare cum Fabrio ante *quod* maiorem interpunctionem poneremus. *Concutio* metaphorice de subita ac vehementi animi perturbatione dictum est, ut ap. Cic. Tusc. IV, 8, 19: *definiunt — terrorem metum concutientem, ex quo fit, ut — terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur.* — Ceterum Cicero consul omnium consensu factus est, Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinae (verba sunt Asconii ad Cic. or. in tog. cand. p. 526 ed. Orell.). Vide de his rebus Drum. l. c. p. 425, qui recte Antonium non tam propter patris gloriam, quam propter Catilinae timorem praelatum esse affirmat.

2. *arma — parare*] Recte Gerlachius de armis coemptis et locis tutis asservatis intelligendum monuit, cum alii *bellum comparare* interpretati essent; id quod poetae melius conveniret, quam Salustio, proprietatis verborum retinentissimo. — *sumptam mutuam*] Hanc scripturam ut alteri *mutuo*, quae non minus recte se haberet, praeferrem, meliorum librorum consensu motus sum. — *Faesulas*] Oppidum erat in Etruriae parte ad septentriones vergente haud ita longe a Florentia situm. Hodie Fiesole vocatur. — *C. Manlius*] Graeci scriptores hominem *Μάλλιον* nominarunt, cui convenit id, quod h. l. in nonnullis nec tamen optimis codicibus scriptum est: *Mallius*, quam nominis formam Orellius in Ciceronis

3 postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurumos cuiusque generis homines ascivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumptus stupro corporis toleraverant, post ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant.
4 Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana solli-

---

orationibus Catilinariis ubique restituit, quamquam ipse ad I, 3, 7 *Manlius* verius iudicat. Nomen *Mallius* autem cum apud Romanos prorsus sine exemplo sit, tum Graecos ex consuetudine sua *n* litteram sequenti *l* assimilasse, non mirum videtur (cfr. Drum. l. c. p. 417 ann. 29). Ceterum is C. Manlius (cogn. Acidinus) sub Sullae auspiciis stipendia meruerat, coloniaeque veteranorum ab eo Faesulas deductae adscriptus fuerat. Constat, hominem fuisse audacem ac manu promptum. *Princeps belli faciundi* fuisse cum dicitur, eum primum arma contra rem publicam sumpsisse significatur. Comparavit Fabrius fragm. inc. 66: *Curetes principes intelligendi divina fuerunt;* Cic. d. Off. II, 4, 14: *qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus.* Phil. V, 16, 44: *Caesar princeps exercitus faciendi et praesidii comparandi fuit.*

3. Quod Sal. ex aliorum narratione h. l. refert, tum demum, cum in petitione consulatus repulsam tulisset, cuiusque generis plurimos homines a Catilina ad coniurationem ascitos esse, veri simillimum est. Ipse certe supra c. 17 nobiles tantum aut honesto loco natos commemoraverat. De loco, quem particula *etiam* ex usu scriptorum obtineat, vide, quae praecepit Z. § 335; unde cognosces, vim eius particulae h. l. non tam ad singulare verbum *mulieres*, quam ad omnem sententiam pertinere. Eadem ratio est locorum Iug. 75, 2 et 85, 18. — *tolerare sumptus*] Significant haec, quae verbi *tolerare* propria vis est, tantos fuisse sumptus, ut iis vix opes pares essent. Cfr. Terent. Heaut. III, 2, 33: *cum tolerare illius sumptus non queat;* nec dissimilis est locus Hecyr. II, 1, 28: *Sumptus vostros otiumque ut nostra res posset pati, meo labori haut parcens praeter aequom atque aetatem meam.* — *modum fecerat*] Commode iam a Cortio comparatus est locus Cic. Verr. A. II. L. II, 48, 118: *modum aliquem et finem orationi nostrae faciamus.*

4. *Per eas se*] Commemoranda est Latinorum consuetudo, qua pronomina iuxta collocare solent. Vid. 1, 1: *qui sese student;* et 52, 27. — *servitia*] Semper Sal., ubi universum genus servorum aliis generibus hominum oppositum cogitatur, plurali *servitia* usus est (singularem numerum ea concreti significatione apud eum nusquam legi); cfr. 44, 6; 46, 3; 50, 1; 56, 5; Iug. 66, 1.

citare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi vel interficere.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere 2 atque forma, praeterea viro, liberis satis fortunata fuit; literis Graecis et Latinis docta, psallere, saltare elegantius,

---

De singulis dixit *servi:* 56, 5; Iug. 31, 11; 71, 5; 102, 6. — *Vir* pro *maritus* num a Cicerone umquam dictum sit, adhuc dubitatur; apud reliquos scriptores haud rarum est.

XXV. 1. *Sempronia* uxor erat D. Iunii Bruti, qui a a. Chr. 77 cos. fuerat, materque eius D. Bruti, qui ad Caesarem interficiendum cum M. Bruto, C. Cassio, aliis coniuraverat. Maritum nec coniurationis conscium et Roma tum abfuisse cognoscitur ex c. 40. Vid. Drum. l. c. IV, p. 8; et V, p. 416 sq.

2. *viro liberis*] *Atque* quamvis recte se haberet, tamen, motus Frontonis satis gravi auctoritate, ad quam accessit optimi libri Bas. I. fides (quamquam in eo supra lineam adscriptum est), cum Orellio omittendum putavi, cum asyndeton et legibus, de quibus ad 11, 2 explicavi, et totius loci naturae conveniat, neque eo quod 52, 20 sine ulla controversia legitur: *sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia*, efficiatur, h. l. Salustium asyndeton admittere non potuisse. In sequentibus pro *literis Graecis atque Latinis* scripsi *et Latinis*, quod non solum meliores libri, sed etiam usus Romanorum flagitare videbantur. Cum enim particulae *atque* ea vis sit, ut aliquid, quod insuper accedat, praegresso ita adiungat, ut interiorem quandam inter utrumque intercedere coniunctionem significet (quare verti potest: *und auch*, *und ebenfalls*, *und dazu*; cfr. Hand. Turs. I, p. 458; Z. § 333); *et* contra res per se diversas, at fortuito vinculo connexas copulet (vid. ad 23, 3), apparet, rectius haec per *et*, quam per *atque* coniungi. — Eiusdem Frontonis auctoritate, ad quam accesserunt Macrobius et libri manu scripti complures, delevi *et*, quod verbis *psallere* et *saltare* interpositum legebatur. Praeterea vix quisquam dubitabit, quin primo ablativus *literis*, tum qui sequuntur infinitivi, denique accusativus *multa alia*, omnia ab uno verbo *docta* pendeant, cum nisi ita statuas et infinitivos pro historicis habeas, certe *multa alia*, sic nude positum, omnibus constructionis legibus repugnaret. Triplici igitur modo constructio variata est, in quo minus illud mirum est, quod accusativus cum infinitivis, quam quod cum ablativo sociatus est. Sed necessario ablativus ponendus fuit, cum *litteras doctus* diceretur is, qui Graecas et Latinas litteras legere et pingere didi-

quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxu-
3 riae sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque

---

cisset. *Literae* autem hoc loco intelliguntur libri a doctissimis hominibus, Graecis et Latinis, compositi (cuius usus exempla Lexica abunde suppeditant); eos vero nemo potest doceri, sed iis legendis erudiri. Quare etiam Cicero Brut. 45, 168 scripsit: *doctus autem Graecis literis; litteras doctus* qui ita dixerit, ut litterae essent *die Litteratur*, neminem equidem novi, praeter A. Gell. N. A. XIX, 9: *Graeci homines, nostras literas docti.* Tum etsi participii *doctus* cum infinitivo iuncti nullum apud probos pedestris orationis scriptores novi (verbum pass. c. inf. ap. Corn. Nep. Ep. 2, 1 legitur), tamen ea constructio nihil offensionis habet, cum et verbum activum cum infinitivo iungatur (Cic. Tusc. V, 20, 58: *Quin etiam ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit*), et certe ratio non obstet, quominus idem verbum, quod cum accusativo coniungi soleat, cum infinitivo, qui natura sua substantivi locum tenet, societur. Ceterum *psallere* non solum de fides pulsandi arte; sed etiam de fidibus canendo dictum esse, satis constat, unde apparet, rectius scribi *saltare*, quam quod nonnulli codices tuentur, *cantare.* — *elegantius*] *Elegans*, factum ab *eligendo*, proprie eum significat, qui venustatis et amoenitatis studiosus est; deinde eam rem, in qua inest venustas aut certe venustatis studium cernitur. *Probae* deinde est pudicae, modestae, non petulanti mulieri. Narratur a Suetonio Grammat., Pompeium a Salustio *oris probi*, *animi inverecundi* dictum esse, quod illustrat Senec. Ep. 11: *Nihil erat mollius ore Pompeii; nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus.* Vides igitur *probus* de pudore et verecundia dictum esse. Constat illis temporibus Romae musicen abfuisse a principis persona, saltationem etiam in vitiis positam esse (Corn. Nep. Ep. 1, 2; Cic. pr. Mur. c. 6); quare etiam mulieribus vitio dabatur, si elegantius cantare et saltare scirent; quippe talis elegantia, in qua nimium placendi studium cerneretur, lasciviae tribuebatur. — *instrumenta*] dicuntur omnia ea, quae in aliqua re perficienda usui sunt; *luxuriae instrumenta* igitur sunt eae artes, quae ad luxuriam pertinent, quibus luxuriosi homines cupiditates suas explent voluptatemque capiunt. Simili modo Liv. VII, 38 (quem locum comparavit Herzogius) scripsit: *Iam tum minime salubris militari disciplinae Capua instrumento omnium voluptatium delenitos militum animos avertit a memoria patriae*, ubi *instrumentum omnium voluptatium* complectitur omnes luxuriosas res, quae voluptatem suppeditant; et Plin. H. N. XIII, 16, 30, 100 de arbore thya: *inter pauca nitidioris vitae instrumenta haec arbor est.*

pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haut facile discerneres; lubidine sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, 4
creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque

---

3. *fuit*] Plures et meliores libri singularem tuentur; pluralis quin indoctis librariis constructionem non perspicientibus debeatur, non dubium est. Nec tamen recte cum h. l. comparata sunt talia exempla, ut Iug. 18, 11: *possedere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia appellatur;* in quibus verbum non ad subiectum, sed ad praedicatum relatum est. Etenim huius enuntiati ratio ea est, ut ex duobus contractum sit. Plene dicendum erat: sed ei semper omnia cariora fuerunt, quam decus atque pudicitia ei cara fuerunt. Vides igitur, verbum in primo enuntiato omissum, in altero tantum positum esse. Nam quoniam decus atque pudicitia unam efficiunt notionem, singularis poni potuit, nisi etiam in hoc enuntiato praedicatum, cum ad duo subiecta referri deberet, ad ultimum tantum relatum esse mavis, quemadmodum est infr. 5: *prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.* Exempla illius usus ab Herzogio ad h. l. et ab Ramsh. § 208, 5, p. 1024 suppeditata sunt. Pauca adscribam. Cic. Phil. IV, 4, 9: *quis igitur illum consulem, nisi latrones putant?* d. Off. I, 23, 80: *Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quaesita videatur.* Liv. IX, 8 med.: *nec quicquam ex ea [sponsione] praeterquam corpora nostra debentur Samnitibus.* Ex Graecis affero Dem. Phil. I, 4, 3, p. 43: (*τῆς τύχης*) *ἥ περ αἰεὶ βέλτιον η ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπεμελούμεθα.* — De coni. impf. *discerneres* cfr. Z. § 528.

4. *Sed ea*] Animadvertas hoc enuntiatum prorsus iisdem verbis inceptum esse, atque praecedens, in quo, quamquam utrobique *sed* recte positum est, cum transitui ad aliquid novi parando inserviat, — transgreditur oratio ab eruditione ad mores, ab moribus ad facinora — tamen negligentia quaedam aut incuria scriptoris cernitur. Eodem modo 26, 2 scriptor duo enuntiata ab *neque* orsus est; et 52, 16 et 17 *quare* bis in principio sententiae positum est; cfr. 56, 3 et 4: *sed — sed.* — *Prodere* cum proprie significet: *aufgeben, preisgeben*, tum de omnibus iis dicitur, quae contra ius fasque abiiciuntur vel deseruntur. Ita dictum est *fidem prodere* pro: fidem, qua tenemur, non servare, promissis non stare. Prorsus eodem modo Cic. Acad. II, 8, 23 scripsit: *Vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre potius, quam ut officium prodat aut fidem.* — *luxuria atque inopia praeceps abierat*] *Praeceps* cum proprie de iis dicatur, quae in caput deorsum feruntur, transfertur ad omnia, quae ex felici rerum condicione in deteriorem repente detruduntur.

inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haut absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

Cfr. Iug. 14, 23: *in tanta mala praecipitatus ex patrio regno;* 41, 9: *ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, quoad semet ipsa praecipitavit;* ubi sequentia verba satis ostendunt, *praecipitare* de clade, quam avaritia sibi ipsa inflixerit, dictum esse; 8, 2: *suamet ipsum pecunia praecipitem casurum;* 31, 6: *Nihil vi, nihil secessione opus est; necesse est, suomet ipsi more praecipites eant;* Cat. 31, 9: *quoniam circumventus ab inimicis praeceps agor.* Interdum etiam de iis dicitur, qui aliqua mala cupiditate ita moventur, ut resistere non possint; cfr. Iug. 6, 3: *natura mortalium, avida imperi et praeceps ad explendam animi cupiditatem;* 63, 6: *tamen is ad id locorum talis vir — nam postea ambitione praeceps datus est, — consulatum appetere non audebat*, i. e. ambitione caeco impetu ad pessima quaeque facinora abreptus est. Iam h. l. interpretes dubitavere, utrum *praeceps abierat* de ruina fortunarum, an de caeca cupiditate ad mala facinora raptante dictum sit. At primum illud ne recte quidem dictum esset: inopia in inopiam et egestatem deiecta est; deinde quid magis consentaneum est, quam commemoratis Semproniae facinoribus causas addi, quibus mulier illa, satis fortunata satisque erudita, ad tanta perpetranda mota sit? —

5. *Haut absurdum*] Quid *absurdus* significet ad 3, 1 explicavimus; unde facile intelligitur, qua ratione de ingeniis ad nullam rem idoneis, incultis, ineruditis dici possit. — *iocum movere*] est: ad risum iocumque alios incitare, facere ut quis iocetur, quod fit iocose dictis; cfr. Horat. Ep. 1, 19, 19: *O imitatores, servum pecus at mihi saepe bilem, saepe iocum vestri movere tumultus,* qui locus aperte ostendit, *iocum movere* non alia ratione dictum esse, ac *stomachum, fletum alicui movere*, i. e. facere, ut quis stomachetur, fleat. — *mollis sermo*] Ubi memineris, *mollia* opposita esse *duris, rigidis*, intelliges, sermonem mollem esse eum, in quo nihil offendat, omnia ad oblectationem apta atque idonea sint. De *prorsus* vid. ad 15, 5; de *inerat* ad 17, 2; de numero verbi ad 10, 2. Ceterum cum hoc loco conferre iuvat, quae Tacitus, Salustio non minus gravis malorum morum aestimator, de Poppaea Sabina Annal. XIII, 45 scripsit: *huic mulieri cuncta alia fuerunt praeter honestum animum; quippe mater eius, aetatis suae feminas pulcritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat, opes claritudini generis sufficiebant; sermo comis nec absurdum ingenium; modestiam praeferre et lascivia uti; rarus in publicum*

XXVI. His rebus comparatis Catilina nihilo minus in proxumum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque 2
interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant. Namque a principio consulatus sui multa pollicendo 3
per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante me-

---

egressus idque velata oris parte, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat; famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens, neque affectui suo aut alieno obnoxia; unde utilitas ostenderetur, illuc lubidinem transferebat. —

XXVI. 1. Revertitur Sal. iam ad ea, quae c. 24 inchoaverat. Offendimus igitur paululum in pronomine *hic*, quod cum ad proxima referri soleat, h. l. ad remotiora spectat. — *nihilo minus*] Cur potius ad omissum enuntiatum, quam ad id, quod adiectum est: *his rebus comparatis*, referendum esse quidam interpretes dixerint, equidem non perspicio. Certe eum, qui vi summa rerum potiri paratus esset, haud exspectaveris, ad legitimam potestatem aspirasse.

2. *dolus aut astutiae*] *Dolus* vox media est et distinguitur *dolus malus* a *bono*, quamquam plerumque in malam partem dicitur. Omnino eam in agendo sollertiam significat, qua alius fallitur, cum aut fraus ei fit, aut fraus quam ille parat, depellitur. *Astutia* et *astutus* vulgo opinati sunt ab *astu* i. e. *ἄστυ* facta esse et significare urbanitatem, calliditatem, qualis urbanorum hominum esse soleat. At cum haec derivatio sine exemplo sit, rectius alii illa vocabula originem duxisse statuerunt ab obsoleto quodam verbo *asco*, quod idem sit atque Graecum *ἀσκέω*; ab eius verbi participio pass. eodem modo *astutum* factum esse, quo *versutus* a *verto.* Vid. Freund. in Lex. s. v. Quae si vera sunt, apparet *dolum* magis ex ingenita sollertia nasci, *astutiam* multiplici rerum usu atque exercitatione parari. Vides igitur haec verba diversa quidem esse, nec tamen ita ut alterum altero tollatur; quare *aut* particula h. l. id adiungit, quod in alterius locum substituendum est, ut scriptor se quodammodo corrigat. Sententia est fere talis: Ciceroni non deerat dolus, aut, ut dicam quod rectius videtur, astutiae. Cfr. Hand. Turs. I, p. 540. Cic. d. Fin. V, 11, 33: *De hominum genere aut omnino de animalium loquor*; d. Off. III, 13, 3: *quaero, num id iniuste aut improbe fecerit*; i. e. si illud nolis, improbe. Ceterum pluralis *astutiae* singulas res significat, in quibus exercetur astutia. Eodem modo Cic. d. Off. III, 16, 68: *non placuisse maioribus nostris astutias* (alii: *astutos*) et 17, 71: *quocirca astutiae tollendae.*

4 moravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rem publicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque
5 clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consuli in Campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere

---

4. Ex lege Sempronia (C. Gracchi) senatus ante comitia consularia provincias constituebat, quas qui consules designati forent, cum magistratu se abdicassent, administrarent; consules de iis aut inter se paciscebantur, aut sortiebantur. Iam sorte Antonio Gallia cisalpina, Ciceroni Macedonia contigerat. Haec provincia cum et ditior esset, et a barbaris nationibus paene semper bello vexata, maioris praedae ac laudis spem praeberet, Antonio, non minus praedae, quam triumphi avido, Cicero eam provinciam concessit hoc pacto, ne ille sibi in opprimenda Catilinae coniuratione, rei publicae peste, adversaretur; nec tamen suspicio abfuit, eum pro concessa illa provincia pecuniam numerandam pepigisse; cfr. Drum. l. c. V, p. 427—29. Ceterum Cicero postea etiam Galliae provinciae administratione in concione publice se abdicavit.

5. Senatus comitia consularia in a. d. XII Kal. Novembres distulerat, sperans fore, ut interea Catilinae perdita consilia patefierent; praeterea Cicero legem tulerat, qua poenae lege Calpurnia de ambitu constitutae etiam auctae sunt. At Catilina, haec omnia contra se instituta et parata esse intelligens maximamque spem in designatione sua ponens, nihil apertius fecerat, sed Manlium cum Sullanis colonis ex Etruria Romam evocaverat, ut in comitiis sibi suffragarentur, simulque Ciceronem occiderent (Cic. pr. Mur. 24, 49). Cum illis ceterisque sociis armatis die comitiorum in Campum Martium venit, ubi ex antiquo more centuriata comitia habebantur; sed Cicero de insidiis sibi structis certior factus per Fulviam et Q. Curium, thorace indutus magnaque armatorum manu stipatus (eos equites plerosque fuisse, haud dubium est) in Campum descendit, quam ob caussam Catilina facinus perpetrare non est ausus. Sed optimatibus omnibus contra nitentibus populique maxima parte illum timente, repulsam tulit, et consules creati sunt D. Iunius Silanus, L. Licinius Murena. Cfr. Drum. l. c. p. 445—451. — Pro *consuli* in plerisque libris scriptum est *consulibus;* at cum Antonio quoque insidias factas esse veritati repugnet (quo modo enim Catilina si interfecisset, eo ad voluntatem suam se usurum esse sperare potuisset?) et Cicero etiam 27, 2; 32, 1 *consul* appelletur, vix dubium est, quin illud verum sit. Verba *in Campo*, quoniam in optimis libris omissa sunt, Gerlachius uncis inclusit. Quamquam

et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte temptaverat, aspera foedaque evenerant.

XXVII. Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. Interea Ro- 2
mae multa simul moliri, consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari, uti semper in-

---

vero ex praecedentibus intelligi potest, in ipsis comitiis insidias Ciceroni a Catilina structas esse, igitur illis verbis carere posse videmur, tamen Salustius rem nimis obscure tetigisset. Quam ob caussam verba illa intacta reliqui. — In sequentibus si Sal. scripsisset: *aspere foedeque evenerant*, qualis eventus fuerit, significasset; cum scripsit *aspera foedaque*, quales res illae eventu factae sint, declaravit. Sic Iug. 7, 3 scriptum est: *sed ea res longe aliter ac ratus erat, evenit* (cll. 10, 7: *ne aliter quid eveniat;* 92, 3: *ubi ea res bene evenit*); sed 63, 1: *cuncta prospera eventura*, uti Cat. 52, 29: *Vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt.* Vid. ad 20, 2. Ceterum *aspera* illa evenisse dicuntur, quoniam multa inde detrimenta et pericula in Catilinam redundarunt (vid. ad 10, 2); *foeda*, quoniam illis in hominum odia, infamiam, turpitudinem incurrit (vid. ad 15, 5).

XXVII. 1. *in eam partem*] Vid. ad 8, 5. — De Septimio Camerte nihil novimus. Oriundus erat Camerino, oppido Umbriae, ideoque eum in agrum Picenum missum esse verisimile est, quod in ea regione, patriae finitima, plurimos homines nosset. Non minus C. Iulius obscurus est. — *quem ubique opportunum sibi fore credebat*] Plerique interpretes sic haec verba putarunt explicanda esse, ut *ubique* esset *et ubi*. Potest vero etiam alia ratio iniri, non ut *ubique irgendwo* esse statuamus, quod perversum est, sed ut propriam suam vim retineat, de qua diximus ad 21, 2. Quemadmodum enim recte diceretur: dimisit alium alio, ubi quemque opportunum sibi fore credebat, i. e. quemque eo, ubi — sic inversa re recte dicitur *quem ubique*, i. e. in quemque locum eum, quem ibi —. Quae ratio mihi quidem magis probatur.

2. *insidias tendere*] Constat, hanc locutionem sumptam esse e re venatoria, a retibus tendendis, quibus ferae capiantur. — *armatis hominibus obsidere*] De ablat. cfr. Rsh. § 141, III, N. 1, p. 424; Z. § 455. Iug. 94, 3: *hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere.* Vid. ad Iug. 55, 4. — *cum telo esse*] Cfr. Cic. pr. Mil. 4, 11: *Etsi persapienter et quodammodo*

tenti paratique essent, dies noctisque festinare, vigilare,
3 neque insomniis neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis

---

tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non hominem occidi sed esse cum telo hominis occidendi caussa vetat. Fuit igitur haec solemnis formula ex legibus tabb. XII petita. De praepositione *cum* Z. § 307; infr. 49, 5. *Tela* quodque armorum genus esse, quo alius laedatur, sagittas, pila, hastas, gladios satis notum est. — *item alios iubere*] Adverbium *item*, aliquid ad alia pari modo accessisse significans, ap. Sal. frequentissimum est (= ad hoc, praeterea, eodem modo); cfr. 17, 7; 18, 1; 27, 4; 30, 7; 37, 5; 42, 1, 3; 44, 1; 46, 3; 47, 3; 51, 6, 22; 53, 1; 54, 1; 61, 8; Iug. 9, 4; 17, 2; 19, 7; 40, 1; 45, 2; 46, 7; 60, 2; 65, 2; 79, 4; 80, 2; 81, 1; 91, 1; 94, 4; 99, 1; 103, 7; 104, 1; quorum locorum tantus numerus documento est, quantopere scriptor simplicitatem in coniungendis sententiis et verbis secutus sit. Magis mirus eius adverbii usus est h. l. et Iug. 100, 4: *ipse armatus intentusque, item milites cogebat.* Utroque enim loco ex praecedentibus repeti non potest, quod eadem constructionis ratione cum sequenti coniungatur; sed ex praecedentis enuntiati praedicato alterius obiectum repetendum est; et per se intelligitur *item* coniungi non posse cum *iubere* et *cogebat*, sed ad illud pertinere, quod supplendum est. Hoc igitur loco sententia est: ut eodem modo, quo ipse, cum telo essent, aliis imperabat, et altero loco: cogebat milites, ut quemadmodum ipse, sic omnes armati intentique essent.

3. Omisit Sal. h. l., Catilinam illo tempore consilium cepisse, Praeneste occupandi (qui locus, quam opportunus fuerit bello gerendo, inde intelligitur, quod et a Mario minore bello civili et a Fulvia bello Perusino sedes copiarum factus est); quod consilium Cicero, per Fulviam certior factus, impedivit (vid. or. in Cat. I, 3, 8). Hoc et alia eius generis nec negligentia, neque ignoratione omisit Sal., sed cum quam brevissime omnia absolvendi consilium haberet, omnia, quae minus gravia aut satis in vulgus nota videbantur, non tetigit. — *intempesta nocte*] Ex Macrob. Saturn. I, 3 et Serv. ad Virg. Aen. III, 587 compertum habemus, *intempestam noctem* fuisse mediam noctis partem ideo sic dictam, quod ea nihil agi tempestivum esset. — Conventum illum habitum esse *nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium*, auctor est Cic. pr. Sull. 18, 52 (fuit igitur ea nox, quae intercessit inter diem VI et VII mensis Nov.; cfr. Drum. V, p. 456, n. 32), habitum autem esse in domo M. Porcii Laecae inter falcarios idem testatur et l. l. et Cat. I, 4, 8. Id etiam a Salustio dicitur. Nam cum M. Porcio Laeca, senatorii ordinis homine, Catilinam pro apparitore non usu-

principes convocat per M. Porcium Laecam, ibique multa 4 de ignavia eorum questus, docet, se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat,

---

rum fuisse quivis intelligat, facile apparet hoc dici: M. Porcii Laecae opera usus est, ut cum principibus coniurationis convenire posset; eum vero, qui efficere velit, ut quis cum aliis convenire possit, utrosque domum suam invitare consentaneum est. In sequentibus *ibique* dictum est pro *in eo conventu*. Vid. ad 3, 6. Aliorum ratio: „in domo M. Porcii Laecae" nobis nimis inconcinna videtur, cum in verbis *convocat per M. Porcium Laecam* non nisi obscure significatum sit, in eius domum illos convenisse.

4. *multa questus*] Quoniam in *queri* verbo inest notio dicendi, cum accusativo coniungitur, hac sententia: postquam multa, de ignavia eorum querens, dixit. Prorsus eodem modo Cic. ad Fam. III, 3, 1: *Id cum Sulpicius cos. passurum se negaret, multa nos quidem questi sumus;* Iug. 24, 9: *Nam ego quidem vellem et haec, quae scribo et quae antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret,* quo loco ultima verba satis ostendunt, *questus sum* per *cum querelis commemoravi* explicandum esse. Non diversa sunt illa ap. Corn Nep. Ep. 6, 1: *cum in oratione sua multa invectus esset in Thebanos;* et Timol. 5, 3: *cum nonnulla inveheretur in Timoleonta;* at alia ratio est eorum locorum, in quibus *queri* cum accusativo rei coniunctum est, de qua quis queritur, quales sunt reliqui a Fabrio congesti: or. Phil. 16: *praemia turbarum queror;* Caes. B. C. III, 20: *calamitatem aut propriam suam aut temporum queri;* Liv. IV, 16: *queri indignam necem Maelii non destiterat.* Vid. ad 45, 4. — *ignavia*] Non iniuria Drumannus l. l. p. 456 mirum esse dicit, quod Catilina, quae res potissimum consiliis suis officeret, ne sensisse quidem videatur. At, per proditores omnia ad Ciceronem deferri si non suspicatus esset, profecto caecus fuisset. Certe hoc sciebat, sed quoniam, qui essent illi, ignorabat, simulque si talem suspicionem commemoraret, ne socios terreret, verebatur, denique Cicerone oppresso etiam proditionem sublatam fore confidebat, maluit illorum ignaviae, quod consilia non procederent, tribuere, quo etiam illud consequebatur, ut illi magis strenue et diligentius, in quae coniuraverant, agerent. — *paraverat*] Exempla indicativi in orationem obliquam illati iam supra ad 14, 7 congessimus. Hoc loco indicativus etiam magis mirus est propterea, quod relativum enuntiatum, cum praecedat *eam*, arctius cum reliquis coniunctum est. Si igitur scripsit Sal. *paraverat* — et e libris nihil varietatis enotatum est — illa quoque verba *ad eam multitudinem* a scriptore explicandi caussa

item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suis consiliis multum officere.

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de improviso domi suae imparatum confodere.

---

interserta putanda sunt. Ceterum non solum ea, quae h. l. commemorata sunt, illa nocte apud M. Porcium Laecam a Catilina transacta esse, sed etiam partes Italiae distributas, delectos, quos secum educeret, descriptas ad incendia urbis partes, comperimus ex Cic. in Cat. I, 4, 9.

XXVIII. 1. *operam suam pollicitus*] C. Cornelius, quia Ciceroni notus erat (cfr. Cic. pr. Sull. 18, 52) et, id quod vix dubium videtur, eius domum, servos, domesticam consuetudinem noverat, maxime idoneus ad caedem perpetrandam fuit; haud parvi igitur faciendum erat, quod is operam suam pollicebatur. — *L. Vargunteius*] Cic. in Cat. I, 4, 9 duos equites ad se interficiendum venisse commemorat; aut igitur non satis recte, qui illi fuerint, edoctus erat, aut id quod coniecit Drum. l. c. p. 457 n. 42, Vargunteium, quia equitis filius fuit, equitem appellavit. Ceterum Plutarchum, qui Cethegum et Marcium nominat, et Appianum, qui Cethegum et Lentulum illud facinus suscepisse scribit, idem vir doctissimus erroris convicit. — *ea nocte paulo post*] Cic. in Cat. l. l.: *et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.* Eo tempore, qui homines nobiles vel patronos suos salutare vellent, ad eorum ianuas venire solitos esse, iam Cortius et Gerlachius demonstrarunt. — *sicuti salutatum*] *Sicuti* cum plerumque inserviat comparationi inter duas res vere factas institutae, tamen interdum etiam ad id adhibetur, quod quis simulavit aut dissimulavit, qua in re usitatius est *quasi*. Vid. infr. 31, 5; 38, 3; Iug. 60, 4. — *domi suae*] Vid. Z. § 400; Rsb. § 147, N. 1, p. 450. — *de improviso*] Haec verba rationem et modum significant, qua illi caedem perpetrare volebant; eo autem fore sperabant, ut Cicero imparatus esset. Vides igitur neutrum superfluum esse. Exempla Müllerus attulit haec: Liv. XLIV, 35: *si nocte improviso aggressus necopinantes esset;* Cic. in Verr. II. II, 74: *Sane homini praeter opinionem improviso incidi* (i. e. praeter opinionem incidi, quare nihil providerat). — *Confodere* est multis ac gravibus vulneribus enecare. Eodem modo dicitur *concido*.

Curius ubi intellegit, quantum periculi consuli impendeat, 2
propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra susce- 3
perant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, ege- 4
state simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat, praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea quom Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio

---

2. Cicero, cum in Cat. I, 4, 10: *quos ego*, inquiat, *iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram*, inde suspicari licet, praeter Fulviam et Curium etiam alios eum, ut caveret, monuisse. Magna cum veri specie Drum. l. c. p. 458 coniecit, *summos* illos *viros* fuisse M. Crassum, M. Marcellum, Metellum Scipionem, quos epistolas ad eum attulisse, sublatis nominibus auctorum scriptas, quibus caedem optimatium parari nuntiaretur, ipsique ut urbe exirent, monerentur, auctores sunt Plutarchus, Appianus, Dio Cassius.

4. *Sollicitare* semper Sal. de hominibus ad aliquam rem perpetrandam excitandis dixit (nos: *aufwiegeln*); cfr. 24, 4; 36, 1; 39, 6; 50, 1; Iug. 19, 1. — *egestate simul ac dolore*] Uterque ablativus causam significat, qua plebs novarum rerum cupida facta erat; sed egestas est caussa externa; dolor interna (vid. ad 6, 6). De *iniuria* vid. ad 51, 11. — Sulla victoria civili reportata, comitiis centuriatis legem pertulerat, qua municipiis, quae ab adversariorum partibus stetissent, non solum civitas Romana, sed etiam agri, domus, lacus adempta sunt. Ea occupanda dedit militibus suis (centum viginti millia fuisse, qui minimum, tradunt) summaque crudelitate miseri incolae omnibus bonis suis expulsi sunt. Praeter ceteras Italiae regiones maxime Lucania, Samnium, Etruria illo tempore vexata ac prope deleta sunt. Drum. II, p. 480; V, p. 384. — *Sullae dominatione*] Verissime Kritzius: „non tam tempus quam caussam egestatis significari iam Cortius vidit, qui verissime explicat: *per tyrannidem Sullae.*“ De colonis Sullanis vide, quae ad 16, 4 comparavimus. — *Lubidinem* h. l. esse effrenatam cupidinem ac voluptatem, luce clarius doceri addito *luxuria* recte monuit Kritzius.

XXIX. 1. Cum ex Ciceronis verbis (in Cat. I, 4, 9: *Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem*; et: *Dico te priore*

longius tueri poterat, neque exercitus Manli quantus aut

---

nocte venisse inter falcarios — in M. Laecae domum, convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios) certum sit orationem eam, quam Salustius commemorat c. 31, 6, eo ipso die, qui illam noctem secutus est, habitam esse, cumque in eadem oratione (2, 4: *At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis*) idem Cicero senatus consultum, de quo h. c. Sal. scripsit, viginti fere diebus ante factum esse testetur (vid. Drum. l. c. p. 450, qui id factum esse coniecit die comitiorum consularium Ciceronemque minus accurate tempus notasse; cfr. ad 26, 3), Salustium tempora confudisse nemo erit, qui infitietur. Cicero enim illa dixit, cum res ipsa gereretur, a Salustio librum post a. u. 708 (46 a. Chr.) scriptum esse certum est, cum ipse c. 4 testetur, sese tum demum ad scribendum se contulisse, cum se a re publica removisset, illo vero anno provinciam Africam administraverit; cfr. Gerl. comm. T. II, p. 14 et quae ad c. 54 dicemus. Quem errorem Salustio eo facilius condonabimus, et quod raro eo modo peccavit (Drum. l. c. p. 444) et quod cum meminisset senatum illa decrevisse, cum insidias consuli factas esse comperisset, proclivis fuit error. Nam ne quis putet, Sal. interponere iam, quae Manlius ad eumque coercendum Cicero fecerit, quoniam praecedat 4 *interea*, obstat cum c. 31, 4 — etenim si illud esset, longe alia ratione transitum sive reditum sibi parare debuisset — tum initium c. 30. — *Anceps malum*] apparet esse, quod a duabus partibus immineat; imminebat autem periculum et in urbe a Catilina reliquisque coniuratis et foris a Manlio eiusque exercitu. Eodem modo Iug. 38, 5 *periculum anceps* dicitur, quod Auli castra Numidarum multitudine de improviso circumventa erant, igitur milites et a fronte et a tergo hostes habebant; et 67, 2 Cortius *anceps malum* recte explicavit, quod et a Numidis principibus plebeque et a mulieribus atque pueris imminebat. — *privato consilio*] Privatum consilium oppositum est publico; consilium, quod Cicero sine senatus auctoritate populique iniussu cepit. Cfr. Cic. in Cat. I, 5, 11: *Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me consilio, sed privata diligentia defendi. Cum comitiis consularibus me cos. in Campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum praesidio et copiis, nullo publice tumultu concitato; denique quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti, quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam.* — *longius*] *Longe, longius*, de tempore dictum, praeter h. l. ap. Salustium non invenitur, passim alii scriptores usi sunt. Cfr. Held. ad Caes. B. G.

quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad sena-

IV, 1, 4. — *quantus aut quo consilio foret*] *Forem* cum ex *fueram* contractum, proprieque impf. coniunctivi verbi *fuo*, cognati cum Graeco φύω esse omnes consentiant, apparet, ibi tantum scribi potuisse, ubi de re futura a condicione quadam suspensa diceretur aut certe de ea, cuius accuratior notitia exspectaretur. Cfr. Z. § 156 not. extr.; Ramsh. § 71, VIII, p. 157. Hanc legem diligentissime observavit Sal., paucis locis exceptis. Saepius usurpavit in enuntiatis condicionalibus, semper ita, ut sit: *ich würde sein;* Cat. 18, 8: *quodni Catilina maturasset — eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret;* Iug. 21, 2: *ni multitudo — fuisset, uno die — coeptum atque patratum bellum foret;* 27, 2: *Ac ni C. Memmius — edocuisset — profecto omnis invidia — dilapsa foret;* 31, 16: *quodsi vos libertatis curam haberetis, — profecto neque res publica, sicuti nunc vastaretur et beneficia vostra penes optumos, non audacissumos forent;* 65, 2: *negaverat — praesidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur;* in protasi uno loco vim habet nostri *ich wäre;* Cat. 20, 2: *Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset;* reliquis omnibus: *ich würde;* 23, 3: *interdum minari ferro, ni obnoxia foret;* 23, 6: *et quasi pollui consulatum, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret;* 26, 1: *sperans si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum;* 37, 6: *sibi quisque si in armis foret, ex victoria talia sperabat;* 50, 4: *praeterea de L. Cassio — si deprensi forent, supplicium sumundum;* Iug. 35, 9: *veritus ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret;* 65, 3: *si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum;* 75, 2: *tamen spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret;* 97, 2: *pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi aut integris suis finibus bellum compositum foret.* Transeo ad relativa. Saepissime Salustius usurpavit, *quae usui forent* Cat. 32, 1; 39, 6; Iug. 27, 5; 36, 1; 37, 4; 47, 2; 54, 6; 91, 1; quibus omnibus locis *forent* futurum tempus significare et eamdem sententiam esse, atque Iug. 93, 5: *quae mox usui fore ducebat*, facile intelligetur (*usui esse* multo rarius est; Iug. 4, 1; 14, 1, 4; 43, 3). Eiusdem generis est Iug. 64, 5: *neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret* (i. e. quod modo ambitiosum fore ducebat). Condicio inest Cat. 39, 4: *neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset.* Porro 47, 2: *se tertium esse, cui fatum foret, urbis potiri* non pro simplici *esset* positum est, sed sententia aperte haec: cui ex fatis futurum esset, ut urbis potiretur. Eadem

2 tum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque,

---

ratio est loci Iug. 46, 4: *ceterum palam, quae ex voluntate forent regi nuntiari iubet* (quae —, futura essent). Nec diverso modo usurpatum est in enuntiatis finalibus, in quibus interdum illud ipsum, quod condicionem continet, additum est. Cat. 22, 2: *atque — eo fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii* (*damit sie, indem sie — bewusst wären, dann um so treuer sein würden*); 33, 1: *sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent;* 34, 2: *non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret, neve ex sua contentione seditio oriretur;* 38, 3: *pars quo senati auctoritas maxuma foret;* Iug. 11, 3: *dextra Adherbalem assedit, ne medius ex tribus — Iugurtha foret* (si ad huius sinistram assedisset, Iugurtha medius futurus erat); 50, 3: *montem occupat, — ne forte cedentibus* (i. e. si cederent) *advorsariis receptui ac post munimento foret;* 52, 6: *veritus, ne legatus cognita re laborantibus suis auxilio foret;* 75, 7: *tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret* (i. e. etiamsi Numidae non affuissent); 94, 1: *ubi prospectus nisusque per saxa facilius foret* (de quibus verbis etiam alio loco dicetur); 85, 49: *neque quisquam parens liberis, ut aeterni forent, optavit* (i. e. futuri essent); 93, 8: *et cum his, praesidio qui forent, quatuor centuriones* (relativum enim consilium significat); 33, 2: *C. Baebium — magna mercede parat, cuius impudentia contra ius et iniurias omnis munitus foret* (i. e. tutus futurus esset). Eadem vi est in optione: Iug. 24, 9: *ego vellem et haec, quae scribo, et quae antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret* (i. e. vana a vobis cognoscerentur). Condicio est etiam in comparatione Cat. 31, 5: *sicuti iurgio lacessitus foret;* sed ibi *forem* simplicis *essem* vim habet, neque ad futurum refertur. Pariter post *quod* Cat. 14, 7: *sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat*, ad praeteritum tempus refertur; sed magis propriam suam vim retinet Iug. 65, 2: *negaverat honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges appellavisset;* posuit enim scriptor sententiam communem pro singulari: *quod eius foret, si eum regem p. R. appellavisset.* In enuntiatis interrogativis indirectis plerumque quidem de re futura dictum est, Cat. 21, 1: *ut proponeret, quae condicio belli foret* (futura esset, sive: quam condicionem propositurus esset); 51, 6: *magis quid se dignum foret, quam quid in illis iure fieri posset, quaerebant* („*was ihnen geziemen würde*"); 14, 4: *neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret* (sententia est: neque ipse efficere potui, ut Iugurtha talis futurus esset, qualem esse par est); 38, 5: *postremo fugere*

quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit,

---

an manere tutius foret, in incerto erat; 62, 9: *interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret;* 109, 2: *se — venisse quaesitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret* (qui locus notandus est propter duplicem futuri significationem; comparari poterit Graecum μέλλω cum inf. fut. iunctum); sed duobus locis non differt ab *essem* et eo loco, qui nobis ansam praebuit haec disputandi, et Iug. 30, 1: *postquam res in Africa gestas, quoque modo actae forent, fama divolgavit.* — *exagitatam*] Haec scriptura, quae in omnibus libris manu scriptis, si quidem accurate excussi sunt, praeterquam in Haverkampii cod. M., inventa est, primum propterea vituperatur, quod verbum *exagitare* non significet *pertractare, celebrare*, sed *vehementer commovere, vexare, irritare*, quo significatu et de hominibus et de rebus dicatur, aut facinore aut verbo male tractatis et sollicitatis (cfr. 14, 3; 38, 1; 48, 5; 51, 32; Iug. 34, 2; 63, 2; 72, 2; 73, 5; 84, 5); deinde quod cum *senatui* opponatur *volgus*, appareat Salustium hoc dicere voluisse, Ciceronis demum relatione factum esse, ut senatus decretum fieret, cum singulis senatoribus volgi rumoribus iam de Catilinae inceptis constaret. Quibus causis moti complures homines docti coniecturam Cortii *exagitatum* comprobarunt. At ut a prima eaque gravissima caussa incipiam, quamquam nullum simile exemplum novi, tamen cum *agitare* eodem modo etiam a Salustio dictum sit (cfr. ad 2, 1), cur *exagitare* de re sermonibus celebrata, modo huc modo illuc perlata, penitus igitur pertractata (id enim in praepositione *ex* inest) dici non possit, non video. Deinde non intelligo, quid aliud dicendum fuerit, nisi hoc de illa re iam antequam Cicero eam ad senatum referret, multum vulgo homines locutos esse; igitur ab eo rem ad senatum relatam esse, non novam, sed plerisque omnibus iam cognitam. Docet autem id quod sequitur, *itaque*, haec verba a Salustio adiecta esse non solum, quo rem non novam fuisse declararet, sed quo significaret, quae res senatum ad illa decernenda non minime moverit. Dicat iam quispiam, id maxime significari, si scribatur *exagitatum;* metum enim et anxietatem idoneas caussas fuisse, cur consuli maxima potestas summumque imperium permitteretur. At si quae res volgi rumoribus non solum nuntiata, sed exagitata est, profecto cuique non levis et futilis, sed magna atque atrox videbitur; igitur eo, quod omnes iam qualis res esset edocti erant, factum est, ut statim tanta potestas consuli decreto senatus permitteretur. Quare nisi graviora argumenta prolata fuerint, scripturam paene omnium librorum mutandam esse, non concedam.

2. De vocabuli *negotium* significatione vid. ad 2, 2. — *solet*] *Solet* interdum impersonale est, et significat: *fieri solet.*

darent operam consules, ne quid res publica detrimenti
3 caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.

Maxime id intelligitur ex Iug. 59, 3: *Quibus illi freti, non ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere;* et Cat. 30, 2: *simul id quod in tali negotio solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant;* utroque enim loco, si Salustius infinitivum ex sequentibus suppleri voluisset, *solent* scribere debebat. Eadem igitur explicandi ratio iniri poterit Iug. 15, 5: *veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet;* 25, 3: *Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum.* At 66, 2; 71, 2; 96, 3 nemo non videt infinitivum esse supplendum. Ille verbi usus etiam apud alios scriptores invenitur, apud Ciceronem, ni fallor, minus frequens est.

3. *Ea potestas maxuma*] Verba haec eodem modo ad praecedentia relata sunt, quem ad 8, 5 illustravimus. Sententia est: Potestas maxuma, quae tali decreto tribuitur. Qui sequuntur infinitivi appositionis loco cum substantivo *potestas* coniuncti sunt; vid. quae ad 4, 1 annotavimus. — *Coercere* est: quominus peccet, aliquem prohibere; cfr. Iug. 101, 5: *Et sane Marius illoque aliisque temporibus belli Iugurthini pudore magis quam malo exercitum coërcebat.* — *Summum* ad utrumque et *imperium* et *iudicium* refertur. Haec habere is dicebatur, contra cuius imperia et iudicia nec tribunos appellare liceret, nec ad populi iudicium provocare. *Summum imperium* legitur ap. Cic. d. Fin. II, 20, 66; ad Q. fr. I, 1, 10, 31. Pleniorem illam formulam tradidit Caes. B. C. I, 5: *dent operam consules, praetores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad urbem, ne quid res publica detrimenti capiat.* Quibus in rebus ea potestas data sit, idem docet ibid. c. 7, 4: *quotiescunque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid res publica detrimenti caperet* (*qua voce et quo senatus consulto populus Romanus ad arma sit vocatus*), *factum in perniciosis legibus, in vi tribunicia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis.* — *aliter*] *Aliter*, cum sit proprie: alia ratione, ita interdum usurpatur, ut nisi ea, quae antea commemorata sunt, facta sint, aliquid fieri non posse significet; quae vis propria est adverbii *alioquin.* Cfr. 44, 1: *ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant; aliter* (i. e. nisi id fiat) *haut facile eos ad tan-*

XXX. Post paucos dies L. Saenius senator in senatu literas recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI. Kalendas Novembris. Simul, id 2

---

tum negotium impelli posse. Hoc loco additis verbis *sine populi iussu* eam condicionem contineri, quae in *aliter* involuta latet, facile intelligitur. — In sequentibus libri manu scripti variant inter *nulli* et *nullius.* Ut primo de illa scriptura dicamus, eorum opinionem, qui *nulli* genitivum putarunt esse, non est cur refutemus, cum iamdudum a grammaticis demonstratum sit, duas tantum genitivi feminini formas esse, *nullius* et antiquiorem *nullae* (cfr. Zumpt. § 140; Rsb. § 38, p. 73); nec magis probandum est eorum iudicium, qui *nulli* pro *ad nullam* dictum esse voluerunt, cum id a Latino sermone alienum sit. Quodsi *nulli* cum *consuli* coniungatur, non intelligitur, cur eo vocabulo usus sit Salustius, quod esset caventis, ne quis alii consuli id ius fuisse, alii non fuisse crederet; id quod Gerlachius videtur sensisse, cum *nulli* pro *non* dictum esse censeret, ex eo usu loquendi, quem illustravit Zumpt. § 688. Quam explicationem verissime Fabrius monuit, propterea probari non posse, quod, si vellet Salustius negationem eo modo efferre, dicendum potius fuisset: *consuli nullum ius est.* Censeat vero quispiam *nulli* hoc loco substantivi vim habere et *consuli* appositionis loco esse, ut sententia sit *nulli, cum sit consul;* at cum Cicero dativo adiectivi numeralis *nullus* nusquam pro substantivo usus sit, apud Salustium vero nullum eiusmodi exemplum exstet, quo eum a suae aetatis consuetudine recessisse probetur (quamquam reliqui scriptores modo *nemini*, modo *nulli* videntur dixisse; cfr. Stürenb. comment. ad Cic. d. Off. II, p. 181 et 187), fortasse non satis cautum tale iudicium videbitur; sententia certe bona est. Opponitur consul dictatori, cui illarum rerum ius erat; quod pluribus verbis exponere scriptor non necesse habuit, cum suis aequalibus dictatura per Sullam et Caesarem renovata, satis cognita esset. Altera scriptura *nullius* si vera iudicetur, hoc dixisse Salustius videbitur: consulibus non solum universarum illarum rerum ius non esse, sed ne unius quidem ex illis; cui sententiae non obstat id, quod Kritzius monuit, tum potius dicendum fuisse *consulibus*, cum Fabrius singularem satis defenderit prolatis exemplis Cic. in Pis. 11, 24; 26, 5, 10; ad Fam. I, 9, 13; Tac. Ann. IV, 19; Liv. XXX, 17. Equidem iudicium contineo.

XXX. 1. L. Saenium illas litteras auctore Cicerone in senatu recitasse, suspicatur Drum. l. c. p. 452. — *ante diem VI. Kalendas Novembris*] De hoc die convenit inter Salustium et Ciceronem (in Cat. I, 3, 6). De constructione adeas Z. § 868.

quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in
3 Apulia servile bellum moveri. Igitur senati decreto Q. Mar-

2. *solet*] Vid. ad 29, 2. — *Portenta* ex Cic. d. divin. II, 28, 61 apparet, ea dicta esse, quae raro fierent, quippe iis, quae futura essent, portendi credebatur; cfr. Fest. p. 168 et 211 Lindem.; Paul. Diac. p. 129 eiusd. edit. in iis numerat cometas, turbines, barathra, sereno coelo facta tonitrua. Quid discriminis intercedat inter ea et *prodigia* haud facile quisquam divinet. De illis portentis Cic. in Cat. III, 8, 18 haec dixit: *Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque coeli, ut fulminum iactus* (cfr. Plin. H. Nat. II, 51, 137), *ut terrae motus ceteraque quae tam multa nobis consulibus facta sunt, ut haec quae nunc fiunt, canere Dii immortales viderentur.* Ea portenta ipse Cicero versibus celebravit in carmine, quod de consulatu suo composuit, quos versus interseruit libr. de Divin. I, 11 sq. — *arma portari*] i. e. homines cum armis esse; cfr. 56, 3: *Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa, ceteri uti quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant;* Iug. 45, 2: *miles cibum et arma portaret.*

3. *senati decreto*] Genitivum *senati* in usu fuisse docet Quinctil. I, 6, 27; ap. Sal. inventum esse testantur Nonius VIII, 10 et 50; Donat. ad Ter. Hec. 3, 2, 21; Andr. 2, 2, 28; Prisc. VI, 14, 73, p. 268 ed. Krehl.; Charis. p. 10 (11 Lindem.) et 116 (82 Lindem.); ubi ea forma usus sit quando quaeritur, valde dolendum est, libros manu scriptos nondum satis diligenter collatos esse; illud constat, nullo fere loco genitivum illius verbi inveniri, in quo libri non varient. Sed cum satis constare videatur, Salustii temporibus formam in *us* in usu, alteram in *i* obsoletam fuisse (certe apud comicos genitivus quartae declinationis in *i* formatus multo saepius, quam apud alios scriptores legitur), apparet, Salustium ea in iis tantum formulis uti potuisse, quae essent usu ex antiquitate traditae. Tales sunt *senati decretum* (sic ab eo scriptum esse testatur Charis. ll. ll.), praeter h. l. 36, 5; 51, 36; 53, 1; Iug. 28, 3; 40, 1; deinde *senati auctoritas* 38, 3; Iug. 22, 2; 31, 25; 43, 4; *senati consultum* Cat. 42, 3 (etiam ap. Cic. ad Fam. VIII, 8, 16 in optimo libro sic scriptum exstat); *senati verbis* Iug. 25, 11; *iussu senati aut populi Romani* Iug. 112, 3 (Cic. in Caecil. divin. 5, 19: *beneficio senati populique Romani*). At valde dubito, utrum 37, 10: *senati partium;* 38, 2: *senati specie;* 53, 1: *senati magna pars;* Iug. 25, 7: *iram senati;* 30, 3: *inter dubitationem et moras senati;* 41, 1: *popularium et*

cius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circum-
que ea loca missi; hi utrique ad urbem imperatores erant, 4
impediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia

---

senati factionum scripserit, an *senatus;* hoc certe magis placet; contra Cat. 59, 5 non dubitavi *tumulti causa* scribere, cum id quoque ex antiquitate acceptum videretur. — *Q. Marcius Rex*, a. 68 cum L. Metello cos., postea provinciam Ciliciam administraverat; in qua cum Menemachus, Tigranis praefectus, ad eum transiisset, triumphum suo iure sibi petere visus est, quamquam L. Lucullo, uxoris fratri, legiones suas adducere non potuerat, quoniam milites, a P. Clodio sollicitati, arma detrectaverant; cfr. Drum. l. c. IV, p. 158; V, p. 453, qui tamen paulo iniquius de eo videtur iudicasse. De *Q. Metello Cretico* cfr. Drum. II, p. 50—55; a. 69 cum Q. Hortensio cos. per triennium Cretam insulam subegerat. — *circumque ea loca*] Kritzius cum Cortio *ea* expungendum censuit, quod absurdum esset, per *ea loca* Apuliam significari, cum Apulus ager universe comprehenderetur, nec singulae eius partes, vel oppida vel regiones, nominatae essent. At cum *Apulia* terrae nomen sit, qua compluria loca comprehensa esse quivis sciat, nonne eodem modo, quo ad collectiva pluralis refertur, ad illud nomen referri potuit *ea loca?* Sed recte Fabrius et Gerlachius monuerunt, *ea loca* non solum ad *Apuliam*, sed etiam ad *Faesulas* pertinere.

4. De plurali *utrique* vid. ad 5, 7. — *ad urbem*] Imperatores (vid. ad 2, 2), qui magnis rebus gestis triumphum suo iure sibi petere videbantur, cum exercitu reduces ante portas urbis manere, neque ingredi urbem debebant, donec senatus iis triumphum decerneret. Ii igitur dicebantur *ad urbem esse*, et lege Cornelia Sullae de provinciis ordinandis constitutum erat, ut, qui provinciam administrassent, imperium retinerent, quoad in urbem introissent (Cic. ad Fam. I, 9, 25). Item *ad urbem esse* dicebantur ii, qui cum magistratu se abdicassent, antequam in provinciam proficiscerentur, in urbis vicinia commorabantur; cfr. Caes. B. C. I, 5. Ceterum commode Fabrius monuit, *imperatores* non cum *hi utrique* coniungendum, sed appositionis loco adiectum esse: „*als Imperatoren.*" — *impediti ne triumpharent calumnia paucorum*] Quoniam lege Gabinia (a. 67) Pompeio ad bellum adversus piratas gerendum imperium totius maris interni eiusque littorum, a mari minus quadraginta stadia recedentium, mandatum erat (Plut. Pomp. c. 25), ille Q. Metellum Creticum suis auspiciis bellum gessisse, igitur neque imperatorem appellari, nec triumphum petere posse contendit. Eandem caussam proponens, cum lege Manilia (a. 66) ei totius Asiae imperium datum et praeter

5 honesta atque inhonesta vendere mos erat; sed praetores
Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum
Picenum, hisque permissum, uti pro tempore atque periculo
6 exercitum compararent. Ad hoc, si quis indicavisset de
coniuratione, quae contra rem publicam facta erat, prae-
mium [decrevere] servo libertatem et sestertia centum,

---

alios Q. Marcii exercitus traditus esset (Plut. Pomp. c. 30), huius triumphum impedivit. In sequentibus *honesta atque inhonesta* apparet ad illustrandum *omnia* apposita esse. Cfr. Iug. 31, 12: *homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi iidemque superbissumi, quibus fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta, omnia quaestui sunt;* et 80, 5: *quis omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat.* Sententia est: qui omnia, pariter honesta atque inhonesta, pecunia accepta aut gratiae ineundae caussa facere parati erant. Simili modo C. Manilium, tribunum plebis, legis de imperio Cn. Pompeii auctorem, notat Vellei. II, 38, 1: *semper venalem et alienae ministrum potentiae.* De constructione vid. ad 4, 1. —

5. *Q. Pompeii Rufi* qui pater fuerit, ignoratur. Post praeturam a. 61 Africam provinciam administravit; consulatum non est adeptus. Cfr. Drum. l. c. IV, p. 316. De *Q. Metello Celere* cfr. eund. II, p. 24—28. Cicero cum ad eum (Epp. ad Fam. V, 2, 1) scribat, sese in senatu dixisse, sibi ita cum illo dispertitum fuisse officium in retinenda rei publicae salute, ut ipse urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, ille Italiam et ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defenderet, auctas esse ab eo partes, quas ille in tuenda re publica suscepisset, in eundemque errorem inductum esse Plutarchum (Cic. c. 16) suspicatus est Drum. V, p. 453 a. 9; sed cum ex orat. in Cat. II, 3, 5 et 12, 26 recte colligatur, eum confisum esse, per illum maxime Catilinam eiusque manum nefariam oppressum iri (de reliquis enim, qui in alias Italiae regiones missi erant, tacet), haud mentitus esse videbitur. —

6. *ad hoc*] Vid. ad 14, 3. — *facta erat*] Quoniam verba *si quis indicavisset* ex mentibus senatorum dicta sunt, exspectaveris, *quae — facta esset;* igitur hic quoque locus iis annumerandus est, quos ad 14, 7 collegimus. — [*decrevere*]] Hoc verbum cum in compluribus iisque probatissimis libris omissum aut supra lineam scriptum sit, in aliis alio loco collocatum, in uno cum glossemate commutatum; non sine idonea caussa plerique editores eiiciendum putarunt. Haud raro ita locuti sunt Romani, ut

libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta; itemque 7
decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus, Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent.

---

ex sequentibus ad praecedentia aliquid supplendum esset; cfr. Cat. 35, 6: *Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado;* 36, 5: *neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex Catilinae castris quisquam omnium discesserat;* et quae ad eum locum Fabrius exempla comparavit, Iug. 14, 1: *vos mihi cognatorum vos in affinium locum ducerem;* Iug. 63, 3: *sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus;* Tacit. Histor. I, 83: *Neque ut affectus vestros in amorem mei accenderem, neque ut animum ad virtutem cohortarer, sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis.* Sed, cum in tali brevitate dicendi semper sit aliquid duri atque inconcinni, maxime, ubi id quod supplendum est, post longius demum intervallum sequitur, nec vero eiusdem vocabuli repetitio semper a Latinis scriptoribus vitata sit, minimeque ibi, ubi repetitione tali admissa oratio magis perspicua futura esset (cfr. Drakenb. ad Liv. I, 3, 9), uncis appositis dubitari num id verbum a Salustio ipse scriptum sit, significandum putavi, cum expungere nimis temerarium esse videretur. — De *sestertiis* vid. quae docte exposuit Zumptius Gr. § 872 sq. — *impunitatem eius rei*] Tirones monendi videntur, *eius rei* esse *coniurationis.* Etenim *indicare* h. l., ut saepissime (48, 4, 6, 7; 46, 4 coll. 36, 5; 47, 1) de iis dictum est, qui de scelere deferunt, cuius ipsi sunt conscii ac participes.

7. De his rebus Cic. in Cat. II, 12, 26: „*gladiatores*, inquit, *quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen nostra continebantur.*“ In verbis *Capuam et in cetera municipia distribuerentur* nihil offensionis est, cum *distribui* sit *distributos mitti.* Sola Capua si nominata esset, profecto sic dici non potuisset. — *pro cuiusque opibus*] i. e. in quodque municipium tantum numerum gladiatorum mitti voluerunt, quantum tectis recipere, alere, custodire posse videretur, ita quidem ut opulentiora maiorem numerum reciperent, minus opulenta minorem. — *minores magistratus*] *Maiores magistratus* appellabantur, qui auspicia habebant (Gell. N. A. XIII, 15), consules, praetores, censores; reliqui, aediles et curules et plebeii, tribuni plebis, quaestores, alii *minores.*

XXXI. Quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies erat; ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit;
2 festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere neque pacem habere, suo
3 quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, affli-

---

XXXI. 1. *facies erat*] Vid. ad 15, 5. *Permota* — *immutata erant* non pro plusquamperfectis habenda sunt, sed condicionem significant diuturnam. Ne quis igitur ex his verbis aliquid accedere putet ad confirmandam eam opinionem, quam ad 29, 1 commemoravi, haec omnia a Salustio, quamvis tempore priora essent, tamen post illa, quae de Catilina narraverat, interposita esse, iamque ad illa reverti orationem. De praepos. *ex* vid. ad 5, 1; de accus. *omnis* iam ad 2, 5 monuimus. — *Laetitiam* Cic. Tusc. IV, 7, 14 dicit esse opinionem recentem boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur; Gell. N. A. II, 27, 3 exsultationem quandam animi gaudio efferventiorem eventu rerum expetitarum. *Lascivia* est quaedam, ex laetitia orta, agendi petulantia; cfr. Iug. 39, 5: *milites, quos — licentia atque lascivia corruperat;* 41, 3: *scilicet ea, quae secundae res amant, lascivia atque superbia incessere;* 66, 2: *is* (dies) *festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis quam formidinem ostentabat.*

2. *neque homini*] *Neque* pro *nec* scripsi, plerisque et optimis libris obsecutus. Quas leges Salustius sibi in harum particularum usu praescripserit, diiudicari vix potest, praesertim cum qui libros inspexerunt, nondum satis ad has minutias attenderint.

3. *quibus — incesserat*] De constructione verbi vid. ad 7, 3. De ablativo ad 6, 6 dictum est. Manifestum autem est *rei publicae magnitudine* cum *insolitus* esse coniungendum. *Magna* dicitur res publica, cui magnae opes suppetunt, quamque propterea alii populi verentur ac metuunt. Sic Iug. 5, 4 de Syphace scriptum est: *cuius in Africa magnum atque late imperium valuit,* ubi apertum est ex apposito *late*, magnum imperium dici propter magnas opes, non propter finium latum ambitum. Eiusdem libri 14, 16: *quibus pro magnitudine imperi ius et iniurias omnis curae esse decet*, apparet hanc sententiam esse: quibus, quo maior est potentia, quoque maior facultas ius tuendi, iniurias ulciscendi, eo magis decet — curae esse; et 26, 1: cum transfugae confisi esse dicuntur, *propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore*, non dubium est, quin intelligantur magnae opes, propter

ctare sese, manus supplices ad coelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis 4

---

quas ab Iugurtha pop. Rom. timeretur. 103, 7: *copias, fidem, magnitudinem regis sui*, propter praecedens *copias* manifestum est, magnitudinem intelligi auctoritatem et dignitatem, qua rex Bocchus apud omnes polleat, quemadmodum 5, 4: *magnitudo nominis Romani* est gloria Romanorum, apud cunctas nationes ac populos clara. Cat. 53, 5 denique, cum *res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentasse* dicitur, significatur, rem publicam tantas opes habuisse, ut vitiis i. et m. collabefactari non posset. Hoc igitur loco sententia est: quoniam res publica tantas opes habebat, ut nullus populus auderet arma contra eam sumere, insolitus Romae belli timor erat. Et sane post Sullae tempora et M. Aemilii Lepidi seditio (a. 77) urbi nihil nocuerat, et Spartacicus tumultus feliciter repressus erat (a. 73—71); peregrinus vero hostis ex Hannibalis temporibus nullus in viciniam urbis penetraverat; ultimus terror fuerat, cum Cimbri et Teutones Italiae imminerent. — *afflictare sese*] Duplici modo poterit intelligi, aut ut sit: corpus manibus unguibus lacerare, ut fere facere solent, qui gravissimo dolore permoventur (ut ap. Tac. Ann. II, 81: *Piso — pro muris modo semet afflictando, modo singulos nomine ciens seditionem coeptabat*), aut, ut sit: animo angi, lugere (cfr. Cic. Tusc. III, 32, 77: *cum se Alcibiades afflictaret lacrimansque Socrati supplex esset*; III, 27, 26: *posteaquam Tyrum venissent, tum afflictari lamentarique coepisse*). Utrum Sal. intelligi voluerit, haud facile quisquam certo dicat; illud non dubium est, quin semper significetur gravis et vehemens animi moeror, qui ex corporis habitu cognoscatur. — *omnia pavere*] De constr. cfr. Z. § 383; Ramsh. § 132, 2, p. 390. *Pavere* semper metum significat, qui pallorem et tremorem efficit; cfr. Iug. 106, 2: *incerto voltu pavens*; Döderl. Synon. II, p. 203. Ceterum ex praecedente *rogitare* intelligitur, *omnia* esse: quodcunque audiebant, comperiebant. — *deliciae*] Ut zeugma evitaret, Salustius potuisset scribere: *superbia atque lascivia omissis* (quae eadem coniuncta leguntur Iug. 41, 3). *Deliciae* enim (proprie omnia complectitur hoc nomen, quibus delectamur) res sunt, quas lascivia agit. — *diffidere*] Hoc verbum non solum de iis rebus usurpatur, in quibus spem ponere dubitamus (Iug. 43, 3: *diffidens veteri exercitui*; 50, 1: *armis*; 52, 6: *virtuti militum*); sed etiam de iis, quas nos consecuturos aut conservaturos esse desperamus; sic praeter h. l. dictum est 45, 4: *timidus ac vitae diffidens*; *rebus suis diffidere* Iug. 32, 5; 46, 1; 75, 1; et absolute Iug. 36, 2: *ne sui*

animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur, et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo dissimulandi caussa aut sui expurgandi, sicuti iurgio laces-

---

diffiderent. Apparet ex his locis, Salustium hoc verbum semper cum Dativo coniunxisse; eandem regulam Ciceronem secutum esse alii observarunt; de Caesare adhuc dubitatur; cfr. Held. ad Caes. B. C. I, 12.

4. *eadem illa*] Agnosces brevitatis studium; *eadem illa* sunt ea, quae antea scriptor a Catilina incepta esse exposuerat. De *interrogatus* vid. ad 18, 2. Lex Plautia lata est a M. Plautio Silvano, trib. pl. a. u. 665 (a. C. 89), ut de eorum capite quaestiones haberentur, qui vim armatis hominibus fecissent; cfr. Ernest. Ind. legg. p. 32. Antiqua vocalium commutatione eadem lex dicitur Plotia. — L. Aemilius Paulus filius fuit M. Aemilii Lepidi, qui cos. cum Q. Luctatio Catulo a. 78 a. C., Sullanas leges tollere conatus, a. 77 in Sardinia aegritudine confectus est, frater M. Aemilii Lepidi triumviri. A. 55 curulis aedilis exstructa Basilica Aemilia maximam apud posteritatem famam sibi peperit; cos. a. 50 Caesaris partes secutus est; a. 43 ab ipso fratre in proscriptorum numerum relatus, necem effugit. Cfr. Drum. l. c. I, p. 4—10. Catilinam nulla alia de caussa videtur accusasse, nisi ut ea re sibi aditum ad honores atque potentiam patefaceret ac muniret (cfr. Drum. V, p. 454).

5. *aut sui expurgandi*] Libri multi exhibent: *aut sui*, alii: *ac sui*, pauci: *vel sui* et *quasi sui*, aliquot: *et ut sui*, nonnulli denique: *ut sui*. Quae Kritzius ad defendendum *et ut sui* protulit, Catilinae non eam mentem fuisse, ut revera se expurgare vellet aut se crederet expurgare posse, quippe qui simularet tantummodo animum expurgandi cupidum, iure igitur ab diligenti scriptore exspectari id significari, speciosius quam verius disputata mihi quidem videntur. Quid enim Catilinae profuisset, si expurgandi sui cupidus haberetur? cum tanti criminis arcesseretur, profecto neminem Romae fuisse crediderim, qui eum expurgandi sui cupidum esse dubitaret. Id potius Catilinae agendum erat, ut culpae expers hominum opinionibus haberetur; quod duplici modo consequi poterat, aut cum ita se gereret, ut sceleris sibi non conscius esse videretur, dissimulando, aut cum persuaderet hominibus, sese innoxium in suspicionem atque invidiam vocari, expurgando. Iam cum in senatum veniret, dissimulandi gratia id fecit. Quis enim crederet, eum, si tanti sceleris convictum iri sese sciret, in id concilium venturum esse, cui rei publicae salus maxime curae esset. At adversarii eius num taciti id passuri erant? Nonne verendum ei erat, ne scelus ab illis sibi in senatu

situs foret, in senatum venit. Tum M. Tullius consul, sive 6
praesentiam eius timens, sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scri-

---

obiectaretur? Debebat igitur ad expurgandum paratus esse. Quod ut posset, fore confidebat, cum quamvis adversarios de consiliis suis certiores factos esse non ignoraret, tamen neque omnia ab iis comperta esse crederet, et ea, quae scirent, ea ratione comperta esse, ut certa indicia atque testimonia proferre non possent (cfr. Drum. l. c. p. 463). Ex quibus mihi satis certum videtur, Salustium neque *ut sui*, neque *quasi sui expurgandi* scripsisse. Quaeritur igitur, utrum haec coniungenda fuerint an disiungenda. Facile vero intelligitur, Catilinae, si ut rem dissimularet, contigisset, expurgatione non opus fuisse. Quare debebat haec Salustius sic narrare: illum in senatum venisse dissimulandi gratia; quod si minus potuisset, expurgare sese voluisse. Id autem optime per particulam *aut* exprimi, non est quod pluribus moneamus. De *sicuti* dictum est ad 28, 1. — *iurgio*] *Iurgium* est gravior quaedam cum contentione aliqua alteri obiecta vituperatio. Quare et de benevolorum concertatione (Cic. d. Rep. lib. IV. VIII, 8, 24) usurpatur et de infensorum hominum criminatione (cfr. Cic. d. amic. 21, 78: *Cavendum est, ne in graves inimicitias convertant se amicitiae, in quibus iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur*).

6. *praesentiam eius timens*] Catilinam praesentem timuisse Ciceronem non tam propterea crediderim, quod ab illo in se vis fieri posset, sed quod vereretur, ne ille, ut erat ingenio ad persuadendum et dissimulandum apto (cfr. c. 5), senatores in suas partes abstraheret, praesertim cum haud paucos cum eo conspirasse ad evertendam rem publicam aut eius inceptis favere non nesciret. — *luculentam*] *Luculentus* quandocunque de oratione dicitur, numquam significat sententiarum et verborum perspicuitatem, sed copiam, vim, elegantiam. Quare non recte illi iudicarunt, qui a Salustio ieiune laudatum esse Ciceronem statuerunt, indeque eum illi inimicum atque adversarium fuisse concluserunt. Eodem modo iudicat Drum. l. c. V, p. 441, quamquam *luculentam* „*lichtvoll*“ est interpretatus. Omnino quam diligenter Sal. omnia ea, quae aliunde cognosci possent, aut ad rem recte percipiendam minus necessaria essent, aut prorsus omiserit, aut levissime tetigerit, cum multi alii loci, tum hic ipse testimonio est. Nihil apud eum legimus, Catilinam ad complures nobiles ipsumque Ciceronem venisse, ut in eorum custodia habitaret (Cic. in Cat. I, 8), a nemine, cum in senatum intrasset, salutatum esse, ab omnibus, maximeque consularibus partem eam subselliorum, ad quam accessisset, nudam et inanem relictam esse (Cic. in Cat. I, 7, 16). Profecto Salu-

7 ptam edidit. Sed ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, ita ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne existumarent, sibi, patricio homini,

---

stius complura omisit, quae in Ciceronis laudem proferri possent; neque infitiari possumus, illum ab eo Catoni et Caesari multo posthabitum esse; sed tenendum est, numquam quidquam ab eo malevole aut iniuste in illum scriptum esse. Equidem Salustii in iudicio de Cicerone facto et acumen ingenii et aequitatem pariter admiror.

7. *ut erat paratus*] *Ut* cum comparationi inserviat, saepe ibi usurpatum est a Latinis scriptoribus, ubi quid in caussa fuerit, cur aliqua res facta sit ita, uti facta est, declarare voluerunt. Ratio enim et modus agendi cum pendeat aut ab ingenio et moribus eius, qui agit, aut a natura rei, in qua agitur, inter utrumque quaedam similitudo intercedat, necesse est. Cfr. Rsh. p. 982, n. *). Sic Cat. 59, 2: *Nam uti planities erat inter sinistros montis et ab dextra rupis aspera, octo cohortis in fronte constituit* cet.; Iug. 7, 4: *Iugurtha, ut erat impiger atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis cognovit, multo labore multaque cura, praeterea modestissume parendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat.* — *Paratus* ap. Salustium quater c. infin. coniunctum est Cat. 29, 17; Iug. 46, 5; 49, 3 (*parati intentique essent — defendere*); 108, 2; cum *ut* semel, Iug. 91, 2; cum *ad* et Gerundivo praeter hunc locum nusquam alibi. Eodem modo Caesar saepissime cum infin. coniunxit, rarius cum *ad*, semel cum *ut*; cfr. Held. ad Caes. B. C. I, 7, 7. — *ea familia ortum*] Accusativum cum infinitivo pendere ex verbo dicendi, cuius notio in *postulare* inest, non est, cur pluribus moneam. De pronomine reflexivo omisso diligentissime egit Ramsh. § 168, N. 10, p. 635 sq.; cfr. Zumpt. § 605; Held. ad Caes. B. C. I, 2, 3. Exempla ex Salustii libris collegit iam Fabrius haec: Cat. 56, 5; Iug. 64, 5; 76, 1; 88, 5; 102, 2; 107, 4; 109, 3, quorum in tribus ultimis eodem modo, quo h. l., praecedit postulatio. Nec dubito his locis adnumerare Cat. 40, 3: *postquam videt illos queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo nihil auxili esset, miseriis suis remedium mortem exspectare*; vix enim apte haec sic coniungentur: postquam videt illos miseriis suis remedium mortem exspectare. — *omnia bona in spe haberet*] „Inconsulte Wassius *bona* cum *spe* coniungit, quod et sententia et verborum

cuius ipsius atque maiorum pluruma beneficia in populum Romanum essent, perdita re publica opus esse, quom eam

---

collocatio prohibet. *In spe habere* idem est ac *sperare;* cfr. Cic. Ep. ad Att. XI, 19 med.: *quod nulla equidem habeo in spe* [i. e. quod equidem nullo modo spero]." Kritz. — *ne existumarent*] Ex iis, quae ad 8, 2 dixi, satis intelligetur, cur *existumarent* praetulerim ei, quod non minus multi libri exhibent, *aestumarent.* — *patricio homini*] Vid. ad Iug. 12, 5. — *in populum Romanum*] Utrum in libris *plebem Romanam*, an per compendium P. R. scriptum sit, mihi non constat. Sed ut Grutero, Kritzio, Fabrio auctoribus *populum Romanum* scriberem, his caussis motus sum. Primum quamquam arroganter Catilinam locutum esse nemo infitias ibit, tamen non ita eum locutum esse consentaneum est, ut mendacii convinci posset. Iam inter maiores eius nemo fuit, quem de plebe bene meritum esse constet (adeas eum, qui omnia diligentissime collegit, Drumannum l. c. V, p. 385—388). At haec non satis certa ac firma nonnullis videbuntur, praesertim in tanta scriptorum inopia, qui de antiquioribus Romanae rei publicae temporibus pleniora tradiderint. At qui callidum Catilinae ingenium noverit, certe nihil eum dixisse credet, quod contra rem suam esset. Voluit senatum sibi conciliare aut certe placare. Atqui si de meritis et suis et maiorum in plebem Romanam praedicasset, nonne verendum erat, ne ab adversariis aurae popularis captator atque rei publicae perturbator vocaretur? Denique quorum beneficiorum memoria maxime sperare poterat Catilina senatus omniumque optimatium gratiam sibi conciliatum iri? Certo illorum, quae iuvenis fecerat, cum in Sullae exercitu turmae Gallorum praeesset; illo tempore, quamquam vere suis libidinibus serviverat, tamen se pro senatus et nobilitatis dignitate et auctoritate connisum esse, speciem prae se ferre poterat. Quae si vellet tangere, certe non *in plebem Romanam*, sed *in populum Romanum* dicere debebat. Sed, ne quid omittam, ad defendendum alterum, *in plebem Romanam*, hoc afferri poterit, Catilinam velle ostendere, sibi non opus esse perdita re publica; igitur dicendum fuisse ei, sibi nullum civitatis ordinem infensum esse; quare postquam mentionem fecerit patriciae suae gentis, iam beneficia in plebem commemorare, quo ei quoque ordini se carum esse ostenderet. At si quid video, nihil aliud agit Catilina, quam ut Ciceroni invidiam paret; quare opponit se, patricium, illi homini novo; se, cui patrium sit, bene merere de populo Romano, illi, cuius neque ipsius, neque maiorum ulla exstent merita; se qui vel propter gentis nobilitatem omnia bona sperare possit, illi cui nisi deperdita re publica de nanciscenda potentia desperandum esse

8 servaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia quom adderet, obstrepere omnes, hostem
9 atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: „*quoniam*

---

videatur. Quae cum ita sint, certe *populum Romanum* (etenim merita in universum proferuntur) quam *plebem* scribi praestat. — *inquilinus*] „est qui in alieno habitat, nullo possidendi iure. Contumeliose igitur Cicero vocatur *civis inquilinus*, quippe qui non Romae, sed in patris praedio prope Arpinum natus esset.“ Kritz.

8. *Ad hoc*] *Ad haec* plurimi codd., quod falsum esse nemo contendet; sed primum *ad hoc* in pluribus et iis melioribus libris legitur et proclivis erat mutatio; deinde nihil ad reiiciendum *ad hoc* valet, quod Kritzius monuit, his vocibus Salustium uti ad rem novam et a prioribus diversam afferendam, similibus coniungendis numquam adhibere; nam quae postea commemorat *alia maledicta*, ea quidem eiusdem generis, sed specie diversa sunt. Quominus vero cum Fabrio *maledictum* ad *hoc* mente suppleamus, et Salustii usus obstat (vid. exempla a nobis ad 14, 3 congesta), et quod in praecedentibus non unum tantum maledictum continetur, sed plura. Simillimus huic loco est 21, 4. — *hostem atque parricidam*] *Atque* quoniam in uno optimo codice supra lineam scriptum est, Gerlachius et Orellius uncis incluserunt; quod mihi non satis idonea caussa factum videtur. Quidni enim, quod incuria omissum esset, manu emendatrice supra lineam adscriptum esse putemus? Et, quamquam asyndeton optime orationis colori convenit, tamen num revera admiserit scriptor, tantum ex libris diiudicari poterit. — Cicero cum Orat. 27, 129 scribat: *a nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit*, neque in orat. in Cat. II, 6, 13 sq. de illis, quae orationem illam secuta esse tradidit Salustius, quidquam commemoret, plus sibi tribuit, quam debebat; meritoque incurrit in Drumanni vituperationem (V, p. 463, n. 74). Sed, ne nimis arrogans fuisse videatur, qua tandem alia re, nisi oratione eius, effectum est, ut senatores omnes tam acriter Catilinam infestarent?

9. Cicero orat. pr. Mur. 25, 51 alio tempore haec a Salustio iactata esse testatus est his verbis: *praesertim cum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni, fortissimo viro, iudicium minitanti ac denuntianti respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina exstincturum.* Etenim quod tempus intelligendum sit, apparet ex initio §: *Tum igitur his rebus auditis meministis fieri senatus consultum, referente me, ne postero die comitia haberentur. Itaque postridie* cet.; vid. ad 26, 5 et 29, 1. Nonnulli igitur,

quidem circumventus, inquit, *ab inimicis praeceps agor*, *incendium meum ruina restinguam.*"

XXXII. Dein se ex curia domum proripuit. Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiae consuli procede-

---

ne alterutrum scriptorem erroris insimularent, illa eadem diversis temporibus a Catilina dicta esse statuerunt; quod credibile non est, cum Cicero certe in altera oratione Catilinaria si talia minatus Catilina ex senatu discessisset, de ea re, cum ea ad augendum populi timorem et Catilinae invidiam uti posset, non tacuisset. Quare cum Drumanno (l. c. p. 448, n. 70) statuo, Salustium, quem tempora confudisse supra iam vidimus, memoria lapsum esse. Nec quidquam moveor, quod Flor. IV, 1, 7 cum Salustio consentit, cum eum ex illius libro hausisse verisimillimum sit; nec plus fidei habendum videtur Valerio Maximo IX, 11, 3, qui haec scribit: *L. vero Catilina in senatu, M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicente, Sentio, inquit, et quidem illud, si aqua non potuero, ruina exstinguam.* — De *circumventus* vid. ad 16, 3; de *praeceps agor* ad 25, 4. Sententiam apparet hanc esse: si quid mali mihi immineat, ei non lenibus remediis medebor, sed ut facere solent, qui ut incendium exstinguant, totam domum diruunt, omnem rem publicam evertam. Ea imago satis usitata fuit Romanis; cfr. Held. ad Caes. B. C. I, 5. —

XXXII. 1. *Dein*] Haec particula ap. Sal. frequentissima est. Et plerumque quidem inservit rei, quae consecuta est, cum priore connectendae; cfr. Cat. 38, 1; Iug. 5, 6; 11, 4; 18, 2; 20, 4; 25, 5; 29. 5; 34, 1; 42. 1; 49, 2, 5; 50, 3; 58, 4; 59, 3; 61, 4; 66, 2; 71, 4; 74, 2; 87, 1; 91, 3; 93, 2; 94, 2, 6; 98, 4, 6; 100, 1; 101, 6; 102. 15; 103, 3, 7; 106, 4. De loco posteriore dictum est Iug. 19, 6; si quidem ibi librarii recte Salustii verba tradiderunt. Putet fortasse quispiam, etiam Iug. 23, 2 et 75, 1 significationem habere: inde ab eo loco; at ibi quoque temporis ordinem denotat. Tum in descriptione id adiungit, ad quod post alia animum advertit scriptor; cfr. Iug. 93, 4: *grandis ilex coaluerat inter saxa, paululum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem;* quamquam ibi quoque per *postea* explicari poterit. Eadem ratione fortasse etiam 19, 6 dictum putabitur. Enumerationi semel inservit Iug. 102, 7: *primum, quod* — *dein*, quod quare ferri non possit nulla caussa videtur esse. Sed illud non omittendum est, in omnibus fere his locis libros variare. — *ex curia*] Ex Ciceronis orationibus in Catilinam prima ac secunda compertum habemus, senatum habitum esse in aede Iovis Statoris; sed nomen *curia* de unoquoque loco, in quo habebatur senatus, usurpabatur. *Sese proripere* de cursu celeri ac

bant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factu credens exercitum augere, ac prius quam legiones scriberentur, multa antecapere quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra pro-

---

vehementi ab omnibus scriptoribus frequentatum esse, satis multis exemplis collatis ostenderunt interpretes. — *volvens*] Eodem modo verbo *volvere* usus est Salustius Cat. 41, 3: *haec illis volventibus;* Iug. 6, 2: *multa cum animo suo volvebat;* 108, 3: *multumque cum animo suo volvere solitum;* 113, 1: *Haec Maurus secum ipse diu volvens.* Pronomen *ipse* cum id, de quo dicitur, ab omnibus reliquis separet ac seiungat, additur in talibus locutionibus, quo magis efferatur, consilia cum nemine alio agitata esse. Optime id intelligitur ex loco Iug. 113, 3: *ac statim immutata voluntate remotis ceteris, dicitur secum ipse multa agitavisse.* Cur scripserim *secum ipse* pro *ipse secum*, explicabitur ad 52, 2. — *neque — et*] Cfr. Rsh. § 188, 9, p. 819; Z. § 338; Iug. 1, 5; 20, 5; 31, 16; 49, 5 (*neque — et tamen*); 69, 1; 71, 5; 74, 1; 84, 3; 85, 6; 86, 3; 95, 2; 107, 4. — *insidiae consuli*] Dicetur de hoc loco ad 40, 3. — *optumum factu*] Melioribus libris obsecutus scripsi *optumum factu* pro *optumum factum.* Atque supino quidem hoc fere exprimitur: si quid faciendum esset, optumum esse; participium autem substantivi naturam induit atque significat: id cum factum foret, optumum esse, „*es sei die beste Handlung.*" Vides igitur utrumque ferri posse, sed in participio maiorem vim inesse, cum quod futurum sit, iam perfectum cogitetur. Salustii ingenio igitur hoc vel maxime convenit; id quod facile concedet, qui pari modo *opus est* ab eo semper cum Abl. Part. Pf. Pass. coniunctum esse meminerit (vid. ad 1, 6). Attamen quamvis invito, tamen libris obsequium praestandum esse duxi. Eadem difficultate urgemur Cat. 55, 1: *consul optumum factu ratus;* 57, 5; Iug. 107, 5. — *multa antecapere*] Tametsi magna librorum dissensio eo ducit, ut *multa* spurium esse suspicemur, tamen cum plerique libri tueantur, delere nolui. Nec vero sic haec intelligenda sunt, quasi Salustius Catilinam dicat multa tantum, quae bello usui forent, antecapere voluisse, alia aeque utilia noluisse. Optimum quidem fuisset, si omnia antecepisset; sed cum id sperare non posset, plus certe proficiebat, si multa antecaperet, quam si nihil. — *cum paucis*] Praemiserat Catilina armatos homines, qui sibi ad forum Aurelium praestolarentur (situm id erat in Etruria ad viam Aureliam); cfr. Cic. in Cat. I, 9, 24. Cum paucis eum profectum esse testatur idem Cic. (in Cat. II, 2, 4), cum eum parum comitatum exiisse dicat. Nominat idem Tongilium,

fectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum 2 cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora parent; sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Dum haec 3 Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit cum mandatis huiuscemodi:

XXXIII. „*Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia atque*

Publicium, Munatium. Ceterum ex hoc loco intelligitur, iniquius de Ciceronis orationibus in Catilinam iudicasse Drumannum V, p. 464. Quamquam enim haud dubium est, quin Catilina iam antea consilium ad Manlium proficiscendi habuerit, atque cum illo iam diem constituerit (in Cat. I, 9, 24), tamen Catilinam iis potissimum rebus, quae in senatu actae erant, ut statim, certe ut prius, quam constituerat, proficisceretur, permotum esse Ciceroni Salustius testis est. Illud igitur consecutus est Cicero, ut res maturaretur, atque effecit, ut Catilina, cuius audacia prae ceteris timenda esset, non amplius in urbe sibi consuli bonisque omnibus insidias strueret.

2. *prompta audacia*] *Promptum* cum proprie dicatur, quod ex eo, in quo inclusum erat, desumptum est (unde supra 10, 5 opposita sunt *in pectore clausum* et *in lingua promptum*), inde ad ea transfertur, quae sunt parata. Quare *manu promptus* dicitur, qui ut manu fortiter rem gerat, semper est paratus, Cat. 43, 4; Iug. 7, 1; 44, 1; et *audacia prompta* est, quae nihil, quod agendum sit, recusat. — *possent*] De coniunctivo impf. vid. Z. § 501. Exempla ex Salustii libris contulit Fabrius: Cat. 34, 1, 2; 41, 5; Iug. 32, 5; 46, 4; quibus addas Cat. 44, 3; 47, 3; Iug. 97, 1; 107, 1. —

3. *ex suo numero*] *Numerus* de multitudine hominum dictum saepius ap. Salustium legitur, ut 42, 3 (*ex eo numero*); Iug. 18, 4; 35, 6; 38, 6 (in ultimis duobus locis pluralis *qui* ad collectivum *numerus* refertur); 40, 4 (*in eo numero*); 86, 4 (*cum aliquanto maiore numero*).

XXXIII. 1. *qui*] Quoniam possessiva locum obtinent genitivorum pronominum personalium, eodem modo, quo genitivus (*meum ipsius*, *nostram ipsorum*, similia), etiam relativum ad ea referri potest. Cfr. Iug. 85, 28: *Sed quoniam vostra consilia*

crudelitate feneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio

---

accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium imposuistis, reputate cet., quamquam eo loco etiam sic potest construi: vos, qui imposuistis, reputate. — *expertes*] Vocabuli in eodem enuntiato duplici modo constructi exemplum supra iam 25, 2 illustravimus; cfr. Iug. 74, 3: *Romani armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti*, ubi vid. Nec recte tamen comparatus est locus Iug. 84, 2: *plerosque militiae, paucos fama cognitos, accire;* eo enim loco non duplici modo idem vocabulum constructum est, sed diversae notiones, locus et caussa, ad idem relatae. Ceterum Salustius, cum adiectivum *expers* cum ablativo coniungeret, vetustiorum exemplum secutus est. Nam praeter eum neminem, nisi Plautum et Terentium eius constructionis auctores novimus; cfr. Z. § 437, a. 2. — *lege uti*] dicuntur ii, qui alium contra legem fecisse lite contendunt ideoque ut puniatur postulant. Quanam lege sibi uti non licuisse illi dicant, non constat; necesse tamen est, legem intelligi, qua feneratores maiora fenora sumere vetarentur. In legibus XII tabularum de debitis haec sancta fuisse A. Gellius tradit N. A. XX, 1 extr.: *Confessi aeris ac debiti iudicatis triginta dies sunt dati conquirendae pecuniae caussa, quam dissolverent, eosque dies decemviri iustos appellaverunt, velut quoddam iustitium, i. e. iuris inter eos quasi interstitionem et cessationem, quibus diebus nihil cum his iure agi posset; post deinde nisi dissolverent, ad praetorem vocabantur, et ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur* [ante addictionem *nexi* appellabantur]; *nervo quoque aut compedibus vinciebantur* [sequuntur legis verba]. *Erat autem ius interea paciscendi ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis ad praetorem in comitium producebantur, quantaeque pecuniae iudicati essent, praedicabatur; tertiis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant* (cfr. Nieb. Histor. Rom. II, p. 667 sqq.). Anno urbis conditae 398 (a. C. 356) M. Duilius, L. Maenius, tribuni plebis, rogationem pertulerunt de unciario fenore (Liv. VII, 16); sed cum ex Tac. Ann. VI, 16 constet, iam in duodecim tabulis sanctum fuisse, ne quis unciario fenore amplius exerceret, per Duilium et Maenium hanc legem — quam post Gallicum incendium sublatam esse contendit Nieb. II, p. 674 — relatam ac renovatam esse apparet. Unciarium autem fenus Niebuhrius demonstravit (III, p. 66) fuisse duodecimam sortis partem in cyclicum annum (decem mensium) sive decimam

liberum corpus habere; tanta saevitia feneratorum atque praetoris fuit. Saepe maiores vostrum, miseriti plebis 2 *Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt; ac novissume memoria nostra propter magnitudinem aeris*

---

in annum duodecim mensium. Id fenus a. u. 407 (347 a. C.) semiunciarium factum est; a. u. 412 (a. C. 342) Liv. VII, 42 narrat se apud quosdam invenisse L. Genucium, tr. pl., tulisse ad populum, ne fenerare liceret (quocum facere videtur Tacit. l. c.: *postremo vetita versura*); sed ea lex aut non perlata, aut mox oblitterata videtur esse. Postremo lege Poetelia Papiria a. u. c. 428 (a. C. 326) sanctum est, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur, pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset; quam legem cum Sigonio Niebuhrius III p. 343 ex Varrone d. Ling. Lat. VII, 105 a Poetelio Libone Visolo, a. u. c. 439 (a. C. 315) dictatore latam esse statuit. Nihilominus propter aes alienum a. 468 u. c., a. C. 286, plebs in Ianiculum secessit. Postea Sullam et Q. Pompeium Rufum de fenore unciario legem tulisse, comperimus ex Fest. p. 279 ed. Lindem.; sed nihil praeterea cognitum habemus. Legem Papiriam et Poeteliam illis temporibus aut antiquatam fuisse aut saepius per iniuriam migratam esse, testimonio est, quod Manlii legati, sese amissis patrimoniis servire coactos esse conqueruntur. Praeterea ex verbis (infr. 5): *legis praesidium, quod praetoris iniquitas eripuit*, verisimile est, a praetoribus in edicto aliquid novatum fuisse, quo legis usus impediretur. — *praetoris*] Octo tum erant ex Sullae instituto praetores (Dio Cass. XLII, 5); intelligitur autem h. l. praetor urbanus, qui ius civibus dicebat.

2. *maiores vostrum*] Gell. N. A. XX, 6 extr.: *et iccirco, inquit, importunissime fecerunt, qui in plerisque Salustii exemplaribus scripturam istam sincerissimam corruperunt. Nam cum in Catilina scriptum esset: saepe maiores vostrum miseriti plebis Romanae, vostrum obleverunt et vestri superscripserunt, ex quo in plures libros mendae istius indoles manavit. Haec memini mihi Apollinarem dicere, eaque tunc ipse ita, ut dicta fuerunt, notavi.* Cfr. Z. § 431; Rsh. § 157, 2, p. 530. Ceterum bene Kritzius monuit, si *vestri* scribatur, id pro nominativo pluralis pronominis possessivi habendum esse. — *novissume*] Ciceronem superlativis *novissumus* et *novissume*, quod nimium novum verbum esset, auctore L. Aelio Stilone abstinuisse testatur Gell. N. A. X, 21, afferens locum ex Varronis libris de lingua Latina. Usus tamen est Cicero pr. Sext. Rosc. com. 11, 30: *qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos per-*

alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solu-
3 *tum est. Saepe ipsa plebes, aut dominandi studio per-*

---

venit comoedos. Apud Sal. *novissume* praeter h. l. legitur Iug. 10, 2; 19, 7; *novissumi* Iug. 71, 3. Ceterum Salustium id non novasse, sed eius aetate iam in consuetudinem abiisse, etiam illud documento est, quod idem A. Gellius tradit, Marcum Catonem aliosque eo promiscue usos esse. — *argentum aere solutum est*] Haec ad aliam rem referri non posse videntur, quam ad eam, de qua Vellei. II, 23, 2 haec scripsit: *In huius* (C. Marii, cos. VII. a. u. 668; 86 a. C.) *locum suffectus L. Valerius Flaccus, turpissimae legis auctor, qua debitoribus quadrantem solvi iusserat.* Iam Perizonius (de aere gravi c. 18) haec sic iussa fuisse explicuit, ut pro sestertio (argenteo) as (aeneus) solveretur, cum sestertius tum quatuor assium esset. Hanc sententiam non improbavit Böckhius Metrol. p. 473 et legem Papiriam, qua auctore Plinio H. N. XXXIII, 8, 13, 46 semunciales asses facti sunt (ut sestertius esset octo assium) non ante illum annum, sed paulo post latam esse statuit. — *volentibus omnibus bonis*] *Bonos* h. l. non patriae amantes, aequos, iustos, sed optimates dici manifestum est, cum aperte plebs opponatur patriciis; quam ob caussam etiam *saepe* repetitum et *ipsa* additum est. Unde etiam illud intelligitur, supra non *nostrum*, sed *vostrum* scribendum fuisse. Ceterum ex his verbis fortasse coniiciat aliquis haec non spectare ad Valerii illam legem, quod certum sit, eam voluntate omnium optimatum perlatam non esse. At memineris, Manlium cum suis omnia ita narrare, ut quam maxime in suam rem essent; quare tunc omnes bonos id voluisse dicunt, quo magis senatum, ne id contra suum officium esse credat, moveant.

3. Ter secessit plebes, primo a. u. c. 259 (a. C. 495) propter crudelitatem creditorum, tum a. u. c. 305 (a. C. 449) propter intolerabilem decemvirorum dominationem; postremo, ut supra notavi, ob aeris alieni gravitatem a. u. c. 468 (a. C. 286). Ceterum, ut scite monuit Fabrius, callide homines illi minus iustis caussis permotam antea plebem secessisse dictitant, quo facilius senatum ad mala sua levanda impunitatemque eius rei dandam perpellant. Cfr. ad 5, 6. — Forma *plebes* apud Salustium semper fere oblita est. Hoc loco Gerlachius in ed. mai. haec notavit: „*plebes* Gruterus; Codd. non addicunt;“ in min.: „*plebs* plte; *pleps* b.“ — 37, 1 *plebes* ex Bas. 1 (b) enotatum est, idem liber tamen paulo post exhibet *pleps.* — 48, 1 eandem varietatem annotavit Gerl., quam h. l. — Iug. 33, 3 idem vir doctus edidit *plebes*, notans *plebs* in Tur. 1 (t) scriptum esse, ut ceteri *plebes* tueri videantur. — 40, 3 *plebes* Vinar. 1. Senat. Heuss. plures

mota aut superbia magistratuum, armata a patribus se-
cessit. At nos non imperium neque divitias petimus, 4
quarum rerum caussa bella atque certamina omnia inter
mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi
cum anima simul amittit. Te atque senatum obtestamur, 5
consulatis miseris civibus, legis praesidium, quod ini-
quitas praetoris eripuit, restituatis, neve nobis eam
necessitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo
maxume ulti sanguinem nostrum pereamus."

XXXIV. Ad haec Q. Marcius respondit: 'si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices

---

Rivii libri; *pleps* t. — 63, 6 *plebes* enotatum est e cod. t. — 65, 5 Gerl. scripsit *plebes*, notans in bet. *plebs* exstare. — 66, 4 *plebes* p; *plebs* te. — 73, 3 in edit. mai. haec notula legitur: „*plebes* Bas. 1. Fabr. 1. inc. 2. Sen. Heuss. Vinar. 1. Guelf. 1. 3. 9.;" item eiusd. cap. § 6 *plebes* ex Fabr. 1. Bas. 1. Sen. Vinar. 1. Guelf. 2. 3. enotatum est. Quae vestigia eo ducunt, ut semper *plebes* scribendum arbitremur. De genitivo *plebis* nulla varietas enotata est Cat. 33, 3; 39, 1; 43, 1; Iug. 27, 2; 30, 3; 31, 13; 33, 2; 40, 4; 73, 7; 86, 1; tantum 41, 6 scripturae *plebei* vestigium est in libro Eins., qui exhibet: *plebes vi*; nec mirum est, huius antiquioris formae non plura vestigia servata esse, cum in archetypis librarii *tribunus plebis* per compendium scriptum invenerint. Dativus *plebi* sine varietate legitur Iug. 31, 8 et 88, 1; sed 84, 3 *plebe*, quod inventum est in bt et Paris. d., vestigium formae *plebei* videri poterit. —

4. *bella atque certamina*] Per *atque* cum praecedente coniungitur id, quod totum genus significat, ut vertere possis: „*und überhaupt.*"

XXXIV. 1. *vellent — discedant*] Quod coni. imperfecti *vellent* cum coniunctivo praesentis *discedant* coniunctus est, non tam mirum est, quam quod coni. praes. pendet ab perfecto *respondit.* Sed solent Romani interdum, ubi alius hominis verba oratione indirecta proferunt, eo tempore uti, quo si oratio directa esset, uterentur. Sic Tacit. Ann. I, 19 init.: *Blaesus multa dicendi arte non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait, neque veteres milites ab imperatoribus priscis, neque ipsos a Divo Augusto tam nova petisse, et parum in tempore principum curas onerari; si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim*

proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab
2 eo frustra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea optumo cuique literas mittit: se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci; non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret, neve ex sua contentione
3 seditio oriretur. Ab his longe divorsas literas Q. Catulus

---

meditentur; ubi Ernestius sua consuetudine correxit *meditarentur.* Eodem modo ap. Cic. d. Off. I, 11, 36: *Sed Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento; obliget,* quod in pluribus codicibus scriptum est, defendi poterit. Vide Krüger., Unters. aus d. Geb. d. Lat. Spr. Fasc. II, p. 77. Quibus haec non satisfecerint, ii aut *respondet* scribere debebunt, aut illud verbum cum Cortio expungere. Vid. 41, 5; Iug. 13, 6; 28, 1; 111, 1. — *petiverit*] Cfr. Z. § 504.

2. *optumo cuique*] i. e. nobilissimo cuique, principibus optimatium. — *literas mittit*] „Oratio obliqua saepius *literas mittere, nuntios mittere* excipit, non addito verbo dicendi. Cfr. Iug. 88, 5; 97, 1; 25, 5. Simili modo etiam solum *mittere* usurpatur." FABRI. — *non quo*] Cfr. Z. § 536; 537; 572; Rsh. § 181, p. 752. Non recte Fabrius supra 33, 1: *non quo — faceremus, quo* eandem vim habere putavit atque h. l. Nam nequit dici: arma cepi, quod facerem aliis periculum, sed: ut eo (quo) facerem. — *tanti sceleris*] Haec non ita interpretanda duco: sceleris quod tantum esset, ut propter id exilio multandus videretur, sed: tanti, quanti ab inimicis insimularetur. — Ex Cic. in Cat. II, 6, 14 (*et ille, eiectus in exilium se Massiliam, ut aiunt, non in haec castra conferet?*) et 7, 16 (*quamquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur*), quae oratio habita est die noctem illam, qua Catilina profectus est, secuto, apparet, convenisse ei cum sociis, ut rumorem spargerent, eum in exilium ire, quem rumorem ut confirmaret, ipse postea epistolas ex itinere misit.

3. Q. Lutatius (Luctatius) Catulus, vir maximae dignitatis, cos. a. u. c. 676 (a. C. 78) cum M. Aemilio Lepido, princeps senatus (Vellei. II, 43), quam studiosus esset partium nobilitatis, iam a. 78 et 77 declaraverat, cum collegam, res novas eversionemque Sullanarum legum molitum, devinceret. Hanc ob caussam

in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat; earum exemplum infra scriptum est.

XXXV. „*L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi magnis in meis periculis, fidu-*

Cicero semper ei maximam laudem tribuit. Semper Pompeio, Caesari (cfr. 49, 1), Crasso, quippe quos dominationem concupivisse bene perspexisset, acerrimus adversarius exstitit. Ex verbo *exemplum* (cfr. 44, 4) non satis certo concludes, verba epistolae ex ipsis Catilinae literis a Salustio transscripta esse; sed certe illius animi habitum expressit. Nobis ipsa Catilinae verba tradita esse, iudicat Drum. V, p. 475, quia ex iis animus Catilinae, summa perturbatione ac desperatione correptus, appareat, quod credo virum doctissimum non tam propter verborum inconcinnitatem, quae profecto non tanta est, dixisse, quam propter sententias, quae festinationem quamdam, mixtamque cum angore ferociam, minas cum metu ostendunt. —

XXXV. 1. *grata mihi magnis in meis periculis*] Retinui plerorumque et optimorum librorum scripturam, ad quam reiiciendam Kritzius haec monet; primum displicere, quod *fides* tria praedicata habeat: *egregia*, *re cognita*, *grata*; *fiducia* vero nude positum sit, quo omnis orationis concinnitas tollatur; tum *in* offendere, adiectivo postpositum, non substantivo sed pronomine subsequente; denique verba *grata mihi* cum praegressis collata mirum quantum languere. Quibus caussis motus, cum Cortio scripsit: *gratam in magnis meis periculis fiduciam commendationi meae tribuit*, *mihi* natum putans ex *grata min* et verae scripturae vestigium latere dictitans in Vatic. A., qui *in magnis meis periculis* exhibet. At, ut ad secundum primo respondeam, non video cur offendat praepositionis *in* locus. Nam cum praepositio inter adiectivum et substantivum saepissime interponatur, ubi illud maiore numero efferendum est, cur idem fieri non possit, ubi pronomen possessivum substantivo adiunctum est? Tum, cum in vulgata scriptura concinnitatem orationis sublatam esse dixit, non meminit, cum omnino in epistolis negligentiam quamdam scribendi facilius excusari, tum minime illam diligentiam, omnia circumspicientem esse eius, cui, magnis calamitatibus oppresso multisque negotiis distento, calamo potius festinandum sit, quam oratio omni modo perpolienda. Denique quid tandem cogit, ut verba *magnis in meis periculis* cum sequentibus coniungamus? Quidni ipsa fides in magnis periculis grata esse dicatur? Et quid languidi est in tali sententia: Egregia tua fides, quam re cognovi, quaeque mihi in magnis meis periculis maximum praebet solatium et gaudium,

2 *ciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare; satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam,*
3 *mediusfidius, veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus statum dignitatis non obtinebam, publicam mise-*

---

facit, ut confidam, commendationem meam a te non repudiatum iri. —

2. *defensionem — satisfactionem*] *Defensio* eius est, qui ab alio reus factus sive insimulatus crimen diluit, testimoniis, documentis, indiciis prolatis; *satisfactio* eius, qui ab alio, a se laeso ac violato, veniam impetrat, aut ne de se minus bene iudicet, sese excusat (vid. Freund. Lex. s. v.). Quare apparet, sententiam hanc esse: Defendere me non statui; sed quoniam nullius culpae conscius mihi sum, propter ea, quibus mens tua fortasse a me alienata est, apud te me excusare decrevi, re omni verissime exposita. Commode iam Langius monuit, verba *parare* et *proponere* suis esse accommodata substantivis, cum illud graviorem laborem, hoc facilius negotium indicet; defensio enim multis instrumentis eget, quae nemo nisi cum labore sibi potest comparare, in satisfactione nihil, nisi ut caussa exponatur, opus est. Praeterea callide Catilina in incerto reliquit, quale consilium ceperit, cum maxime ex re sua esse crederet, si consilia sua quam diutissime laterent. Eodem modo infra miserorum se caussam suscepisse scribit; qua ratione eam agere decreverit, silentio praetermittit. Constructio *conscientia de culpa* iam ab aliis defensa est, allato exemplo Cic. ad Att. II, 24, 3 extr.: *his de rebus conscium esse Pisonem et M. Laterensem.* — *mediusfidius*] Constat hanc formulam iurandi ex tribus vocabulis constare: me Dius Fidius (ita iuvet, ut vera dixero). Iam cum antiquissimis temporibus Iovem *Dium* vocatum esse, satis ex noto illo *sub Dio* constet, non dubitabitur, quin vera sit plerorumque veterum grammaticorum sententia, *Dium Fidium* Iovem, praesidem fidei tuendae (*Δία πίστιον* Graecorum) fuisse censentium. Cfr. Schneider Gr. Lat. T. I, p. 256.

3. *statum dignitatis*] Iniuria Kritzius omnium librorum scripturam videtur sollicitasse. Vere illud monuit praeeunte Cortio, *status dignitatis* non dici, nisi de dignitate, quam quis habeat, nec vero de ea, quam exspectet, quaeve ei debeatur, allatis locis Cic. ad Fam. IV, 9, 3: *fortuna tua laudatur, quod in honesto otio tenueris et statum et famam dignitatis tuae;* ad Att. I, 20, 2: *neque de statu nobis nostrae dignitatis est recedendum.*

rorum caussam pro mea consuetudine suscepi; non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quom et alienis nominibus liberalitas Orestillae

---

At in petitione consulatus bis repulsam tulisse nonne summa ac gravissima ignominia est? Obtinetne autem is statum dignitatis suae, cui tantae turpitudinis nota inusta est? Fructum laboris industriaeque suae speraverat consulatum; igitur in eo statu dignitatis fuerat, ut consulatum sperare posset; qua spe destitutus populique suffragiis summo honore indignus indicatus, eum dignitatis statum non obtinuit. — *suscepi*] Commode Herzogius comparavit Liv. III, 15: *Servos ad libertatem App. Herdonius ex Capitolio vocabat, se miserrimi cuiusque suscepisse caussam.* De *non quin* vide, quae ad 34, 2 protulimus. — *aes alienum meis nominibus*] Ernestius in clavi Ciceroniana sub verbo *nomen:* „quia in tabulis acceptorum nomina hominum, quibus aut debemus aut qui nobis debent, item rerum, pro quibus, et pecuniae, quam, perscribebantur, propterea nomen de re pecuniaria et quidem variis modis dicitur. Nomen ergo primo est debitum et quidem active et passive, 2) debitor, 3) capita in tabulis scripta: *Posten.*" Ablativos recte Kritzius explicavit ita referri ad verba *aes alienum*, ut si explicatius dicere velis, supplendum sit *factum* sive *contractum;* propius fortasse verum accedit: perscriptum, in tabulas expensi relatum; nec minus recte Herzogius monuit, plurali [*meis nominibus*] propterea usum esse Catilinam, quod neque ab uno semel, sed a compluribus saepius aes alienum contraxerit. Praeterea vix est, quod commonefaciamus tirones, ad sequentia ex praecedentibus *aes alienum* esse assumendum. — *et alienis*] *Et* pro *etiam* dictum praeterquam in formula *simul et*, de qua vid. ad Iug. 20, 1, hoc tantum loco apud Salustium legitur. Nam in fragm. Histor. lib. III ap. Charis. p. 156 Putsch. (p. 115 Lindem.; Gerlach. edit. min. p. 228, 25): *Non tu scis, si quas aedis ignis cepit acriter, haut facile sunt defensu, quin et comburantur proxumae, et* in editionibus inventum est, *quine* exhibet Cod. Omnino valde dubito, an hoc fragmentum Salustii sit, magisque ex antiquo quodam poëta desumptum putaverim. De usu particulae *et* pro *etiam* postquam diu multumque ab hominibus doctis est dubitatum, Handius in Tursell. II, p. 499—524 non solum apud optumos quosque scriptores eum inveniri demonstravit, sed etiam veram eius explicandi viam ac rationem ostendit. Etenim cum huius particulae ea natura sit, ut alterum praecedenti adiungat, quo modo *an*, quae particula proprie inservit alteri interrogationi ad priorem annectendae, etiam in simplici interrogatione ita usurpatur, ut praegressa altera cogitetur, eodem modo et ibi

suis filiaeque copiis persolveret, sed quod non dignos
homines honore honestatos videbam, meque falsa suspi-
4 *cione alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis hone-*
stas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae
5 *sum sequutus. Plura quom scribere vellem, nuntiatum*
6 *est, vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuae-*

---

per naturam suam poni potest, ubi id, cui alterum adiungatur, aut in praecedentibus dictum est, aut mente comprehensum tenetur. Quare hoc loco rectissime *et* pro *etiam* scribi potuit, nec libri ita variant, ut aliquam corruptelam huic loco insedisse necessario concludendum sit. — *homines honore honestatos*] Comparatus est locus Plauti Capt. II, 2, 106: *quom me tanto honore honestas.* Animadvertant tirones tria vocabula ab eadem syllaba incipientia, quod num arte a Salustio ita factum sit, nemo diiudicet; sed haud raro Latinos scriptores elegantiam quandam in similibus duorum aut complurium vocabulorum initiis quaesivisse, nunc quidem satis constat. — *alienatum*] „Non ita capiendum, ut Cort. et Gerl. fecerunt, ut suppleatur *ab honore.* Recte Herzogius absolute positum censet, interpretatus *repulsum*, *neglectum*, *abiectum. Alienare* enim de quovis neglectu et contemptu dicitur. Vid. Ruhnk. ad Terent. Heaut. V, 2, 26." Kritz.

4. *hoc nomine*] Quoniam quicumque aliquam rem agit, ab ea sibi nomen vindicat, *nomen* saepe dictum est de caussa et saepius quidem de ea caussa, quam quis sibi esse aut fuisse simulat, ut Cat. 38, 3: *Namque per illa tempora, quicumque rem publicam agitavere, honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certabant;* sed haud raro etiam de vera caussa, ut Cic. d. Fin. II, 7, 21: *non reprehenderentur eo nomine, dumtaxat cetera caverent. Hoc nomine* igitur est: eam caussam cum susceperim; cum nomen vindicis libertatis et fortunarum miserorum mihi sumpserim. — *pro meo casu*] *Casus* cum de quaque re dicatur, quae forte accidit, saepissime a Salustio de malo, quod alicui accidit, usurpatum est. Cfr. Cat. 40, 2: *percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum;* 51, 9: *casum rei publicae miserati sunt* (quibus duobus locis si quis interpretari malit: „*das Sinken, der Verfall*" non repugnabo, coll. Iug. 62, 9: *quam gravis casus in servitium ex regno foret*); Iug. 14, 22: *tamen laetandum magis quam dolendum puto casum tuum* (mortem); coll. 73, 1: *de Bomilcaris casu* (supplicio); 23, 2: *miserando casum suum.*

6. *commendo tuaeque fidei trado*] Vid. ad 30, 6.

que fidei trado; eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto."

XXXVI. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Arretino, dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperi insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae 2
comperta sunt, senatus Catilinam et Manlium hostis iudicat, ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude lice-

---

XXXVI. 1. *ipse*] Opponuntur ea, quae ad Catilinam pertinent, iis quae fecit ad alios pertinentia; unde cur *ipse* additum sit, facile perspicietur. — *C. Flaminium*] Drum. l. c. V, p. 417, n. 30 et p. 476 hunc C. Flaminium censet fuisse Flammam Flaminium, quem cum Cicerone negotia habuisse cognoscimus ex eius Ep. ad Att. XIV, 16, 4 et ad Fam. XVI, 24, ubi solo nomine *Flamma* nominatur. Quod mihi quidem verisimile non est. Cum enim epistolas illas post Caesaris mortem demum scriptas esse certum sit, vel temporum ratio ut dubitemus cogit. Verum iam antiquitus quosdam in ea opinione fuisse testatur Cod. Naz., in quo nomini *Flaminius Flamma* ascriptum est. Recte illud vir doctissimus monuit, eum Romanae stirpis et veteranum ab Sulla Arretium in coloniam missum videri fuisse. — *dum exornat*] i. e. per quod tempus exornat, qua significatione particula *dum* cum omnibus temporibus coniungitur. Vid. Hand. Tursell. II, p. 314 sqq. Cfr. Iug. 53, 3: *Numidae tantum modo remorati, dum in elephantis auxilium putant* (Hand. l. c. p. 316). Cum perfecto coniunctum est Iug. 14, 10: *Dum Carthaginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur. Exornat* est: instruit; cfr. Iug. 16, 5: *illam alteram* (partem Numidiae), *quae portuosior et aedificiis magis exornata erat;* tum dicitur de quaque re parata vel instructa; Iug. 52, 5: *aciem exornat;* 85, 39: *convivium exorno;* et absolute 90, 1: *tum pro rei copia satis providenter exornat.* — *insignibus imperi*] i. e. quibus utebantur, qui cum imperio erant. Cfr. 51, 38: *insignia magistratuum.* Ea erant praeter fasces toga praetexta, sella curulis, alia.

2. *hostis*] Qui hostis iudicatus erat, et ius civitatis amisit et bello persequendus fuit. Antiquo more appellabantur *perduelles.* Cfr. Cic. d. Off. I, 12 init.: *illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur.* — *diem — ante quam*] Femininum libri plerique tuentur; sed etiam masculinum ferri potest, si quidem in decreto illo certum anni diem (nos diceremus: *das Datum*) dictum fuisse verisimile ac paene certum est. Cfr. Iug. 13, 9: *die constituto;* 79, 4: *certo die;* 113, 3:

ret ab armis discedere praeter rerum capitalium condemnatis.
3 Praeterea decernit, uti consules delectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi prae-

---

ante diem colloquio decretum (fuit ille, ut ex 109, 3 intelligitur, decimus dies). Vid. Z. § 86; Rsh. § 22, V, p. 35. — *sine fraude*] „h. e. *sine damno*, quod saepenumero poena constat; *fraus* enim et active dicitur de decipiendi fallendique studio, et passive de eo, quod fraude commissa vel ei, qui fecit, vel ei qui passus est, accidit, i. e. incommodum sive detrimentum; cfr. Ruhnken. ad Ter. Andr. V, 4, 8: *in fraudem illicis*. Quare formulae *sine fraude* duplex sensus esse potest, aut *sincere*, *vere* [sine fallendi studio], ut ap. Caes. B. C. II, 22, 1: *Massilienses sese dedere sine fraude constituunt;* aut *sine damno*, Liv. I, 24, 5: *quod sine fraude mea populique Romani fiat, facio;* XXVI, 12, 5: *qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset.*" Kritz. — *praeter* adverbium est; cfr. Z. § 323. Saepissime ita usurpatur, ubi sequitur relativum enuntiatum.

3. *delectum*] Adhuc a doctis dubitatur, utrum *dilectus*, an *delectus* scribendum sit. Etiam hoc loco (quo uno ap. Sal. legitur) *dilectum* exhibet Erl. In Livii libris nuper Alschefskius formam *dilectus* praetulit. Ratione quidem utraque forma defendi potest, cum qui milites scribantur, *et deligantur* ad militiam *et diligantur*, quippe qui maxime idonei. Igitur nisi ex libris de ea re diiudicari non poterit. — De *maturo* vid. ad 18, 8. Ceterum Drumannus (I, p. 536 et V, p. 476) censet difficillimum negotium Antonio mandatum fuisse, eamque opinionem confirmari putat Sal. loco Cat. 39, 4: *Quodsi primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset* et ipsius Ciceronis testimonio, in Cat. III, 2, 3: *Nam tum cum ex urbe Catilinam eiiciebam, — sed tum, cum illum exterminari volebam, aut reliquam manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam.* Qua in re viro doctissimo assentiri non possum. Primum enim ex Ciceronis l. c. neutiquam videtur concludi posse, eum sperasse, fore, ut eiecto Catilina ipse in urbe otio frui posset; sed sperasse, minus negotii sibi sustinendum fore. At nonne id ipsum providendum fuit, ne, si id factum non esset, quod in spe haberetur, consulis diligentia desideraretur? Tum vere quidem Sal. iudicat, si Catilina victoriam reportasset aut aequa manu discessisset, futurum fuisse, ut maxima calamitate res publica affligeretur; at nonne eo magis vigilandum erat, ut in urbe coniurati, aut antequam proelium fieret, opprimerentur, aut si factum esset, ne commovere se possent? Id sentiens, ipse Drum. l. c. p. 477 extr.

sidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo 4
maxume miserabile visum est; cui quom ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, affluerent, fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perdi-

---

concedit, nihil profuturam fuisse Antonii victoriam, si in urbe consilia sua coniurati perpetrassent. Iam quid magis timendum, hostilis exercitus, an clandestinae insidiae? in quibus maior fiducia, in militibus sacramento adactis, an in plebe, facile sollicitanda, infesta etiam nobilitati? Ubinam igitur magis opus erat diligentia, vigilantia, calliditate, consilio, dicendi facultate, in castris, an in urbe? Uter denique aptior ad urbem tutandam, Cicero, qui diligentia sua Catilinae consilia patefecerat, per proditores aut exploratores omnia comperire poterat, pro re publica conservanda extrema omnia subire paratus erat, an Antonius, qui vel tum, cum exercitum adversus eum ductabat, manu opprimendi Catilinae negotium permisit legato suo M. Petreio? Ut igitur facile largior, plurimi interfuisse, ut Catilina devinceretur, non minimas igitur partes suscepisse Antonium, ita Ciceronem ab eo crimine defendo, eum ignavia graviora pericula fugisse. —

4. *ad occasum ab ortu solis*] Quinctil. Inst. or. IX, 4, 23: *est et alius*, inquit, *naturalis ordo, ut viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum dicas potius, quam retrorsum.* Videntur autem interdum scriptores eum naturalem ordinem invertisse, quo lectores insolentia magis ad ea animadverterent. — *parerent*] „*Parerent*, quod Cortius in *paterent* corrupit, haud dubie verum. Quae armis domita sunt, non patent, sed parent.“ Gerlach. Vid. 10, 1. — *otium*] Saepissime hoc nomine Latini usi sunt de bellorum vacatione. Cfr. 10, 2; 11, 5; Iug. 14, 3; 41, 1, 4. Supra 10, 2 eodem modo, quo h. l. cum divitiis coniunctum est et Iug. 41, 1 cum earum rerum abundantia, quas primas mortales ducunt; cum quo loco compares Iug. 76, 6: *aurum et argentum et alia, quae prima ducuntur.* — *perditum irent*] Verbum eo, cum supino coniunctum, exprimit, quem finem quis agendo consecuturus sit. Ita h. l. sententia est: qui ita agerent, ut seque remque publicam perdituri essent; 52, 12: *ne illi sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant;* Iug. 31, 27: *sed ne ignoscendo malis bonos perditum eant;* Iug. 68, 1: *cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat*, i. e. festinat omnia ea facere, quae ad ulciscendas iniurias pertinerent; 85, 42: *Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissumi viri, bonorum praemia ereptum eunt*, i. e.

5 tum irent. Namque duobus senati decretis ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat; tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes

---

ad id nituntur, ut bonorum praemia eripiant. Ceterum attendant tirones ad ea, quae scite monuit Z. § 669. —

5. *duobus senati decretis*] Ablativi sunt eiusdem generis, atque 11, 4 *bonis initiis*. Dicit Salustius de eo decreto, quod in hoc cap. commemoratum est et de illo, de quo supr. 30, 6 narravit. De subiecto ex altero enuntiato ad primum assumendo vid. ad 30, 6. — *uti tabes*] Eadem imagine Salustius usus est Cat. 10, 6; Iug. 32, 4. Mirum est, quod in plerisque codicibus ante *uti* scriptum est *atque*. Quod cum ferri nequeat, in eam coniecturam adductus sum, ut *atque* ex *aeque* natum, *aeque uti* autem, quod a probis Latinitatis auctoribus alienum videtur esse (cfr. Freund. Lex. s. v. aeque) cum ad explicandum id, quod scripsit Salustius (fuit id fortasse *iuxta atque;* vid. ad 2, 8) supra scriptum esset, illius locum occupasse credam.

XXXVII. 1. *aliena*] Referendum hoc est ad ea, quae in extremo cap. praecedente dicta erant: *fuere tamen, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent.* Est igitur *mens aliena*, quae a recto veroque iudicio abhorret, qualem mentis habitum recte supra Salustius cum morbo comparavit. — *fuerant*] In paucis libris manu scriptis legitur *erant*, in uno *fuerunt;* plusquamperfectum reliqui omnes tueri videntur, certe in Gerlachii editione minori nihil varietatis adnotatum est. Ac plusquamperfectum ita plerique defenderunt, ut pro imperfecto positum censerent, cum aut *fueram*, quod proprie esset imperfectum verbi *fuo*, imperfecti naturam retinere arbitrarentur, aut eorum verborum, quorum praesens inchoatam rem significaret, quale est *fuo*, plusquamperfectum, quod rei initium iam absolutum esse indicaret, a vulgari imperfecto non differre dictitarent. Mea quidem sententia plusquamperfecto rectissime usus est Salustius. Cum enim Catilina iam non clandestina consilia agitaret, sed palam patriae bellum fecisset, eius incepta, quae probata a multis esse scriptor dicit, non amplius coniuratio erant; antea coniuratione ea perficere in consilio habuerat, nunc bello gerendo. Quare, si quid video, plusquamperfecto utendum fuit Salustio, cum vellet hoc dicere: Non solum qui antea cum eo coniuraverant, cum clandestina consilia agitabat, nondum

novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo 2

---

arma adversus patriam ceperat, incepta eius probabant, sed cuncta plebes ei favebat. Age iam reliquos locos consideremus, in quibus plusquamperfectum imperfecti locum tenere putant. Iug. 26, 3: *deinde omnis puberes Numidas et negotiatores promiscue, uti quisque obvius fuerat, interfecit*, qua ratione scriptor plusquamperfecto usus sit, facile intelliget, qui meminerit, *obvius sum* non esse *obviam veni*, sed *obviam venio*, igitur antea obvios illos fuisse, quam interficerentur. Iug. 39, 3: *Senatus ita uti par fuerat, decernit, suo atque populi iniussu nullum potuisse foedus fieri*, sententia est: Senatus decernit ita, uti iam tum cum foedus fieret, par fuerat, i. e. uti eum decreturum esse illi cum foedus facerent, providere debuerant. Tum eiusd. libr. 41, 5: *Ita omnia in duas partes abstracta sunt, res publica, quae media fuerat, dilacerata*, plusquamperfectum positum est, quoniam res publica simul atque omnia in duas partes abstracta sunt, media esse desiit. Denique 50, 6: *Ita numero priores, si ab persequendo hostes deterrere nequiverant, disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant; sin opportunior fugae collis quam campus fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere, nostros asperitas et insolentia loci retinebat*, eadem ratio plusquamperfecti in altero enuntiato hypothetico est, atque in priore. Apparet enim sententiam hanc esse: si ab persequendo hostes deterrere nequiverant (i. e. si hostes persequebantur), iis instabant; sin a persequendo loci natura illos deterruerat, cum locus esset collis non campus (pro *deterruerat* igitur positum est id, quod deterrebat), fugiebant, et quidem facile. — *sed*] Vid. ad 18, 7. Facile vero intelligetur, h. l. addito *omnino*, eo facilius particulam *etiam* omitti potuisse. —

2. *adeo*] Cum hoc adverbium proprie denotet locum sive finem, ad quem quid movetur („*bis dahin*“), translata significatione apud omnes Latinos scriptores et comparationi inservit et rei dignitatem quamdam tribuit („*so, so sehr*“), unde etiam minore cum vi pronominibus, adverbiis, coniunctionibus adiungitur, ut quemadmodum Graecorum γέ eorum vim magis efferat (cfr. Hand. Tursell. I, p. 135—155). Sic h. l. est „*dies eben, dies gerade;*“ eodem modo infra 11: *id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat* (quo loco inde quod inter *id* et *malum* positum est, intelligitur, ad pronomen pertinere, non ad praedicatum, ut diu multi crediderunt); Iug. 65, 3: *id adeo mature posse evenire;* 110, 4: *id adeo experiri licet;* 111, 1: *id adeo in promptu esse.* Praeter hos locos semel apud Salustium legitur, significatione proxime ad propriam accedente, Cat. 49, 4: *magnam illi invidiam*

3 more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam
4 egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea

---

conflaverant usque adeo, ut —, quamquam ibi nonnullis in libris *usque eo* inventum est.

3. *quibus*] Vid. ad 17, 6. — *bonis*] Quoniam *mali* oppositi sunt, *bonos* manifestum est, dici non divites, sed probos, qui egenis invisi esse solent, et quod beatam vitam agere videntur, et quod sua cuique tutanda arbitrantes, iis, qui alienis opibus satiari cupiunt, resistunt. — *omnia mutari student*] Verba, quae studium sive voluntatem significant, necessario cum acc. et inf. pass. coniungenda sunt, cum quis non ipse rem conficere vult, sed ut ab aliis conficiatur, exoptat. Egeni non ipsi mutare conantur, sed ut res mutentur exoptant. Sic Caes. B. C. I, 4, 5: *Simul infamia duarum legionum permotus, quas ab itinere Asiae Syriaeque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.* — *aluntur*] Bene Kritzius monuit de victu quaerendo dictum esse; cfr. infr. 7 et 14, 3. — *habetur*] Cfr. ad 5, 8.

4. *ea vero*] Haud raro Latini scriptores pronominibus demonstrativis utuntur, ubi praecedens aliquid quasi repetunt, quo ad id lectores magis attentos faciant; quod plerumque quidem tum fit, cum id quod praecedit, interposito secundario enuntiato aut parenthesi ab iis, quae sequuntur, separatum est (ut ap. Liv. I, 58: *cultrum, quem sub veste abditum habuerat, eum in corpore defigit;* coll. I, 49 extr.: *Octavio — ei;* Cic. ad Fam. XIII, 28: *illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo;* vid. ad 40, 1), sed saepe etiam, ubi nihil interpositum est, ut Cat. 12, 4: *proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti;* 20, 4: *idem velle atque nolle ea demum firma amicitia est;* 58, 16: *in fuga salutem sperare ea vero dementia est.* Nec diversus est locus 61, 1: *sed confecto proelio, tum vero cerneres;* praegressis enim verbis *confecto proelio*, non necesse erat *tum* addi. Praeterea pronominibus aut adverbiis demonstrativis saepenumero adiungitur particula *vero*, quae cum vere affirmantis sit, illis maiorem vim addit. Sic praeter locos modo commemoratos Iug. 50, 6: *sin opportunior fugae collis quam campus fuerat, ea vero* —; 58, 3: *sin Numidae propius accessissent, ibi vero* —; 84, 1: *antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare;* 94, 3: *Marius ubi ex nuntiis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat,*

vero praeceps ierat multis de caussis. Primum omnium,

---

tum vero cohortatus milites —; 106, 6: *Quod postquam auditum est, tum vero ingens metus nostros invadit.* — *praeceps ierat*] Apparet horum verborum sententiam similem esse debere illi, quae praecedit: *sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat*, eique, quae sequitur: *haut alio animo belli eventum exspectabant.* Primum Salustius monuit, omnino egenos homines bonis invidere solere, sed cur tum urbana plebes Catilinae inceptis non aliena fuerit, multas caussas fuisse. Eas deinde enumerat: magnum perditissimorum hominum numerum, qui Romam undique confluxerant; cupiditatem rapinarum, altam ac nutritam Sullanae victoriae memoria; otium et honesti laboris fugam, quae ad pessima facinora impellere solet; tum gravissimas iniurias, quas multi innoxii perpetiebantur; denique partium studium; post quae ubi de certamine inter optimates et populares renovato nonnulla interseruit, ad eandem rem revertitur 39, 4 dicens, ex his omnibus intelligi posse, quanta clades atque calamitas rem publicam oppressura fuisset, si Catilina vicisset, cum plerique plebeiorum animi ad eum propensi essent. Eo consilio, quo diximus haec omnia scripta esse, ostendunt etiam § 8 verba: *quo minus mirandum est homines egentis, malis moribus, maxuma spe, rei publicae iuxta ac sibi consuluisse*, quae verba tam aperte illis: *fuere multi, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent* (36, 4) respondent, ut haec omnia ad illa illustranda prolata esse appareat; et verba § 6: *ex victoria talia sperabat*, ad quamnam victoriam referenda sunt, nisi ad bellum civile, quale moverat Catilina? Quibus satis mihi demonstrasse videor, in verbis: *sed urbana — multis de caussis* debere talem sententiam inesse: multis de caussis voluntate ad Catilinae incepta propensa erat. Iam in plerisque libris scriptum est: *praeceps erat*, in duobus tantum, ni fallor, *praeceps ierat. Praeceps*, ubi non coniunctum est cum verbo movendi, neque additum est, ad quod quis proclivis dicatur, ut Iug. 6, 3: *natura mortalium, avida imperi et praeceps ad explendam animi cupidinem*, nihil aliud significat nisi: temerarius, caeco impetu captus, inconsulte omnia agens. Cic. Phil. V, 13, 37: *Dubitaret credo, homo amentissimus, atque in omnibus consiliis praeceps et devius — bellum inferre nobis.* Unde apparet si *praeceps erat* scribatur, non satis distincte haec de plebis ad Catilinae bellum pr pensa voluntate dicta esse; significari tantum plebis animi temeritatem, quae caeco impetu abripiatur. Sed in *praeceps ierat* manifestum est hanc sententiam inesse: cunctae plebis urbanae voluntas tum multis de caussis abrepta erat. Quod quis neget aptissime dictum esse de

qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam sicut
6 in sentinam confluxerant. Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu atque cultu aetatem

---

iis, quorum animos tantam vim morbi uti tabem invasisse supra dictum erat. Accedit, quod *ierat* facilius in *erat*, quam hoc in illud mutari videtur potuisse.

5. *qui ubique*] Etiam h. l. *ubique* propriam suam vim retinet (vid. ad 21, 1). Sententia est: ex omnibus locis, qui in iis — praestabant. — *Praestare* de re mala rarissimum est; dixit tamen etiam Tacit. Annal. II, 24 init.: *Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia coeli praestat Germania.* — *Excellere* verbo pari modo usus est Cic. d. Legg. I, 19, 51: *eos, qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus.* — Praeterea iam ab aliis monitum est, *item* et *postremo* non referri ad praegressum *primum;* sed huic respondere, quod sequitur, *deinde;* per illa adverbia adiungi, quae eiusdem generis sint. *Postremo* autem ea ratione dictum est, quam ad 14, 6 illustravimus. — *Hi*, quod pro *ii* in nonnullis libris scriptum est, quodammodo defendi poterit, cum praegresso relativo enuntiato homines iam ita notati videantur, ut praesentes cogitari possint; mihi non dubium est, quin Salustius scripserit, quod in plerisque et optimis libris est, *ii.* — *in sentinam*] Falluntur, qui *sentinam* h. l. non spurcitiem in ima navi residentem, sed sordium locum esse putant. Comparatur Roma cum ipsa spurcitie, in quam tamquam sordidi rivuli confluxerint homines turpes. Ceterum scribendum censui *sicut.* Talem hiatum enim credo Romanos ne in oratione pedestri quidem admisisse. —

6. *Sullanae victoriae*] Admonuit iam Kritzius locorum c. 11 extr.; 28, 4; 51, 34: *neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit.* His addas Cic. in Cat. II, 9, 19: *Alterum genus est eorum, qui quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen exspectant, rerum potiri volunt, honores, quos quieta re publica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur;* et 20: *qui* (Sullani coloni, quibus, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus), *etiam nonnullos agrestes, homines tenues atque egentes in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt.* — De usu praepositionis *ex* vid. ad 4, 1. — *ita divites*] Cum *ita* vere sit: ea ratione, ea condicione; *tam:* eum in modum, usque ad eum finem (gradum significare dicitur), apertum est h. l. non magnitudinem divitiarum, sed

agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea iuventus, quae in agris manuum mer- 7
cede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat; eos atque alios omnis malum publicum alebat. Quo minus mi- 8

---

rationem, condicionem significari, et sententiam esse, non: tantae illis divitiae erant, sed tales. — *foret — sperabat*] Praedicata a scriptore ad id, quod propius erat, *quisque* relata sunt, quod pronomen neutiquam semper cum plurali coniungitur. Apte Fabrius comparavit Fragm. IV, 28: *Hi — soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmae equestris armabat.*

7. *manuum mercede*] i. e. mercede, quam manibus suis sibi conquirebant (manuum operibus). Similis sententia est Iug. 73, 6: *Denique plebes sic accensa, ut opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus frequentarent Marium et sua necessaria post illius honorem ducerent.* — *tolerare*] Hoc verbum apud Salustium de re gravi atque aspera perferenda frequentissimum est. Cfr. 10, 2; 20, 11; 24, 3 (ubi vid.); 52, 9 ibiq. annot. nostr.; 53, 3; Iug. 22, 3; 31, 11; 85, 33 (*eodem tempore laborem et inopiam*); 86, 5; 89, 7. — *excita*] Cfr. Cat. 15, 4; Iug. 72, 2; 99, 2. Participio pf. verbi *excitare* Salustius abstinuit; verbi *excio* nulla forma praeter partic. pf. pass. usus est. — *eos*] Refertur is pluralis ad collectivum *iuventus* ex consuetudine Salustii. Errare autem mihi videntur, qui *praetulerat* a relativo *quae* pendere, *iuventus* autem nominativum absolutum esse volunt (cfr. Ramsh. § 207, 6, not. 4, p. 1010; rectius tales nominativos ex anacoluthia orationis explicari censeo). Nam duas antea caussas Salustius commemoravit, quibus factum sit, ut plebs urbana Catilinae incepta probaverit; primum multos Romam undique confluxisse homines perditos; tum multos dominationis et rapinarum memoria Sullanae victoriae cupidos fuisse. Iam tertium genus adiungit opificum atque agrestium, qui iam diu, operibus suis relictis, largitionibus pasti essent. Ea tria genera deinde coniungit in unum his verbis: *eos atque alios omnis* cet. Flagitat igitur orationis aequabilitas ut *praetulerat* cum *iuventus* coniungamus et *alios omnis* intelligamus illorum generum homines dictos esse, quae antea commemorata sunt. — *malum publicum*] Manifestum est haec verba non ad Catilinae incepta spectare, sed in universum dicta esse. *Malum publicum* omnes res complectitur, quae rei publicae calamitati, perniciei sunt. Prorsus eadem sententia infr. 51, 32 dixit Sal. *malum rei publicae: Nostra memo-*

randum est homines egentis, malis moribus, maxuma spe,
9 rei publicae iuxta ac sibi consuluisse. Praeterea quorum victoria Sullae parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haut sane alio animo belli eventum
10 exspectabant. Ad hoc quicumque aliarum atque senatus partium erant, conturbari rem publicam quam minus valere
11 ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat.

---

ria victor Sulla quom Damasippum et alios huiuscemodi, qui malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? Contrarium est *bonum publicum* 38, 3. Plebeii illi urbani factio forensis erant, cuique qui eos mercede conduceret, ad omnia parati; in comitiis suffragia sua vendebant, alia omnia perpetrabant, quae rei publicae saluti repugnabant. Recte igitur hos Sal. ex iis, quae rei publicae noxia erant, ipsamque iam collabefactaverant, victum quaesivisse dixit.

8. Ironiam in his verbis inesse iam significavimus, cum ea respondere verbis c. 36, 4 diximus.

9. *quorum victoria Sullae parentes*] *Victoria Sullae* ablativum instrumenti esse commode monuit Kritzius. Separavit autem Salustius, quae arctissime cohaerent, *quorum* et *parentes* interposito ablativo cum genitivo, quod aliter facere non potuit, nisi subiectum a verbo suo seiungere atque membrorum aequabilitatem tollere, aut ablativum parum commodo loco in fine enuntiati ponere vellet. — *ius libertatis imminutum*] Sulla centuriatis comitiis legem pertulerat, ut proscriptorum bona venderentur, liberi aut nepotes eorum, hereditatibus exclusi, etiam honorum petendorum iure prohiberentur, simulque senatorum filii et onera ordinis sustinerent et iura perderent (Vellei. II, 29; cfr. Drum. l. c. II, p. 478 sq.). Haec iura cum cuiusque liberi essent, recte Sal. illis ius libertatis imminutum esse scripsit. Eo ipso anno, M. Cicerone et C. Antonio coss., lex rogata erat, ut miseri illi homines iniuria liberati in integrum restituerentur; sed Cicero obstitit, veritus, ne ea re omnis rei publicae status convelleretur (Cic. in Pis. 2, 4, ex quo loco simul illud intelligitur, haec ante patefactam Catilinae coniurationem acta esse); eo magis igitur illos Catilinae inceptis favisse consentaneum est, cum paulo ante spes amissa recuperandi frustrata esset.

11. *id malum*] Dicit Salustius de dissidio, quod fuit inter optimates eorumque adversarios. Quod dissidium vehementissime arserat a Gracchorum temporibus (133 a. Chr.) usque ad Sullae dominationem (81 a. Chr.), ut modo hae, modo illae partes supe-

XXXVIII. Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes, summam potestatem nacti, quibus aetas animusque

---

riores alteris essent. Per Sullam restituta ac confirmata senatus auctoritate, quamquam et M. Aemilius Lepidus et alii commovere civitatem conati erant, tamen ita fractae ac debiles erant popularium partium opes, ut turbae civiles paene conticescerent, donec per Cn. Pompeium restituta tribunicia potestate (a. 70; vid. ad 38, 1) denuo exarserunt, Caesare potissimum contra nobilitatem nitente. Hos undecim annos qua ratione multos dixerit Salustius, nemo non mirabitur — etenim ne quis credat, haec ab eo dicta esse de illis temporibus, quae ante Gracchos fuere (Iug. 41, 3), obstat capitis sequentis initium — eoque magis, cum Tacit. Annal. III, 27 extr. de eadem re haec scribat: *donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium ei rei* *h a u d i n l o n g u m paravit*, et paulo post: *n e q u e m u l t o p o s t tribunis reddita licentia quoquo vellent populum agitandi.* Aut igitur Salustius cum haec scriberet dormitasse putandus est, aut nobis quae scripserat prave tradita sunt, quorum neutrum facile probabitur. Tenendum autem omnino est, quot *multi* dicantur, pendere a cuiusque iudicio (relativam notionem esse philosophi dicunt); deinde quo remotiora temporum spatia mente recolimus, eo breviora, contra, quae propiora, maximeque ea, per quae ipsi rebus interfuimus, multo longiora videri solere; denique in tam corrupta civitate, aliquot annos siluisse turbas civiles, magnum facile videri potuisse. —

XXXVIII. 1. *tribunicia potestas restituta est*] Sulla legem tulerat, ne qui tribunus plebis fuisset, maiorum honorum petendorum ius haberet; ne tribunis legem rogare, neve conciones habere liceret; praeterea etiam ius intercedendi arctioribus finibus videtur circumscripsisse (Drum. l. c. II, p. 483—485). Postea C. Aurelius Cotta, cos. a. 75 a. Chr., iis, qui tribuni fuissent, ius maiores honores adipiscendi reddiderat; Cn. Pompeius autem, cos. cum M. Licinio Crasso a. 70 a. Chr., lege sua tribunicia rogandi intercedendique liberam potestatem restituerat. Drum. l. c. IV, p. 385—389. — *adulescentes*] Vid. ad 3, 3. Tribunatu plebis Romani fere ante tricesimum aetatis annum fungi solebant. — *summam potestatem nacti*] „Ita tribunatum dicit, non quo vere maxima in civitate Romana fuerit, sed quod tribuni eius ope summa quaeque audere et moliri poterant. Cfr. Freinshem. ad Flor. III, 17, 8.“ Kritz. Idem vir doctus verissime monuit, aptissimum esse verbum frequentativum *pollicitando* ad significandum perpetuum plebem capiendi studium perpetuumque eius corrumpendae conatum.

ferox erat, coepere, senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi
2 clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senatus specie pro sua magnitudine.
3 Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora qui-

Eadem vi est Iug. 8, 1: *qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant.* *Exagitare* apparet h. l. esse: sollicitare, vehementer seu potius penitus commovere. Vid. ad 29, 1. —

3. *per illa tempora*] Libri plerique et optimi exhibent *post illa tempora;* pauci *per.* Contineri autem his verbis manifestum est praecedentium explicationem, cum praepositum sit *namque;* nec minus apertum est, verbis *ut paucis verum absolvam* scriptorem non significare, se ad novum quoddam, altius et gravius praecedentibus, assurgere, sed sese paucis, ea quae antea pluribus exposuit, comprehensurum esse. Ex quibus illud consequitur, haec de aliis temporibus intelligi non posse, nisi de iis, quae post tribuniciam potestatem a Cn. Pompeio restitutam usque ad Ciceronis consulatum secuta sunt; cui ne ultima quidem verba: *utrique victoriam crudeliter exercebant*, quae Gerlachius censet haud facile quemquam de partium studiis, quae inter Pompeii et Ciceronis consulatum agitata essent, dicere potuisse, sed ad omnes seditiones, quae iam ab eo inde tempore usque ad Augusti principatum fuerint, pertinere. Nonne enim crudelitatis erat, eos, qui plebi consulerent, iudiciis terrere; capitis arcessere, qui miserorum caussam suscepissent; peregrinos Roma exterminare (id quod fecit C. Papius tribunus a. 65; cfr. Dio Cass. XXXVII, 9; Cic. d. Off. III, 11, 47)? nonne igitur utrique alteros, quoquo modo possent, persecuti sunt? Accedit ad haec, quod cum capite sequente his opponantur ea, quae post Pompeii profectionem secuta sunt, apparet, haec de iis dicta esse, quae ante Pompeium ad bellum maritimum missum fuere; per quae tempora, cum vir ille potentissimus populo favere videretur, neutra certe pars altera superior fuit; sed cum ille ad bellum maritimum et Mithridaticum profectus esset, superior facta est nobilitas. At monent contra, Salustius si haec de iisdem temporibus, de quibus praecedentia, intelligi voluisset, nihil aliud quam eadem repetiisse. Repetit sane, sed eo consilio, ut rem paucis complexus utrorumque caussam parem fuisse graviter affirmet, simul non sine vi singula quaeque ex adverso collocet. Qualis repetitio laudi potius, quam vitio scriptori vertenda est. Quae si vere a nobis disputata sunt, apparet ferri non posse *post illa tempora*, quod ad Pompeii consulatum referri vetat vel pluralis. Recte vero dicitur: *per illa tempora*, i. e. per ea tempora,

cumque rem publicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi iura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quis-que potentia certabant; neque illis modestia, neque modus 4 contentionis erat; utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritumum atque Mithridaticum missus est, plebis opes immi-

---

quae Pompeii consulatum secuta sunt. Pronomine *ille* usus est scriptor (non *is*, quod necessario postulari censet Gerlachius), quoniam locus, ubi temporum illorum initium accuratius definivit, paulo remotior est. Ceterum vix est, quod moneam, *post* facillime ex *per*, male intellecto compendio scripturae, potuisse nasci. — *bonum publicum simulantes*] Brevius haec dicta pro: simulantes, praetendentes, sese, quod rei publicae utile esset, agere.

4. *modestia neque modus*] Vid. ad 11, 4. — *victoriam exercebant*]. Eodem modo Sal. scripsit Iug. 16, 2: *quia cos. — acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat*. Etenim *exercere* de iis rebus dicitur, quae continuo tractantur, quae ita factitantur, ut nihil, quod ad eas pertineat, negligatur. Sic dictum est: *quaestionem exercere aspere violenterque* Iug. 40, 5; *simultatem* Cat. 9, 2; *inimicitias* Cat. 49, 2; *gratiam aut inimicitias* Cat. 51, 16. *Victoriam exercere* igitur est: omnia ea perpetrare, quae ex victoria fieri possunt.

XXXIX. 1. *ad bellum maritumum*] *B. m.* dicitur bellum adversus piratas, ad quod dux missus est Pompeius lege Gabinia (vid. supra ad 30, 4 et quae diligentissime de eo bello enarravit Drum. Vit. Pomp. T. IV, p. 392—414); ad bellum adversus Mithridatem missus est anno post lege Manilia, quam suaserunt Cicero ac Caesar. Ut recte hic locus intelligatur, haec videntur monenda esse. Cn. Pompeius, cum antea Sullae partes esset secutus, postquam optimates magnitudini suae ac potentiae obstare intellexit, populi gratiam captavit. Igitur consul tribuniciam potestatem restituit, et L. Aurelium praetorem in perferenda lege adiuvit, qua iudicia, quae ex lege Cornelia Sullae senatores obtinuerant, inter senatores, equites, tribunos aerarii dividerentur. Quibus rebus perpetratis cum nobilitati adversarius exstitisset (Drum. l. c. IV, p. 388 sqq.; III, p. 138), eius potentia nitebantur, quicunque optimates infestabant; eiusque timore illi ipsi placidius et cautius contentionem remiserant. Sed, postquam Romam reliquit, eo timore levati, acrius in adversarios instabant, qui cum patrono potente carerent (Caesar enim non nisi tecte iis patrocinabatur, neque tantum iam tum potentiae habebat), illis

2 nulae, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceteros iudiciis terrere, quo plebem

---

concedere coacti erant. Quare vere Salustius, discessu Pompeii nobilitatis potentiam crevisse, narravit.

2. *innoxii*] *Innoxius* cum proprie is dicatur, qui non est in *noxa* i. e. culpa (Döderl. Synon. III, p. 152 sqq.), duplici modo usurpatur, et active, ut sit is, qui nemini nocet, quoniam talis nulla culpa tenetur, quae significatio usitatior est (cfr. Cat. 40, 6; Iug. 85, 43), et passive, ut sit is, cui non nocetur, ut h. l. Exempla iam ab aliis prolata sunt Colum. V, 9: *ut sit innoxius ab iniuria pecorum*; Curt. IX, 4, 11: *leviora* [navigia] *cum et ipsa nequirent regi, in ripam innoxia expulsa sunt;* Tacit. Histor. IV, 20 init.: *si nemo obsisteret, innoxium iter fore.* — *florentes*] i. e. bene se habentes, quiete ac suaviter viventes; cfr. Iug. 83, 1: *neu florentis suas res cum Iugurthae perditis misceret;* Ep. Mithr. ad Ars. (Fragm. IV, 12): *et quod florentibus optabile est, ego non validissimus praebeo exemplum, quo rectius tua componas.* — *ceteros iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent*] Locus difficillimus. Primum plerique libri exhibent *ceterosque*, quatuor tantum *que* omittunt. Nos pauciores sequendos duximus, quod cum aperte *ipsi* et *ceteros* opposita sint, asyndeton aptius videbatur, quam coniunctio. *Ceteros* autem apparet eos esse, qui non essent nobiles sive optimates. Ea enim est adiectivi *ceterus* vis, ut, quemadmodum Graecorum ἕτεροι, alterum significet, quod alteri opponatur (cfr. Hand. Tursell. II, p. 32 sq.; vid. ann. nostr. ad 51, 30). Civitas in duas partes divisa erat, una erat *paucorum* i. e. nobilium, altera popularium. Quare cum ante de nobilitate dictum sit, *ceteri* ii tantum dici possunt, qui alterius partis erant. Eos *iudiciis terrebant* nobiles, cum, qui quid contra se movisset, perduellionis reum facerent (Drum. l. c. V, p. 378, n. 19). At maior difficultas est in sequentibus verbis. Et primum quidem *quo* multi interpretes pro *ne* positum arbitrati sunt, id quod rationi prorsus repugnat. Herzogius eam particulam comparationi inservire censens, hanc statuit sententiam esse: quo placidius ceteri nonnulli plebem tractarent, eo magis iudiciis terrebant; quod, ut omittam duriorem esse talem dicendi brevitatem, veritati repugnat. Aut enim reum aliquem faciebant, aut non faciebant, alterum altero magis terrere ne potuerunt quidem. Quod sentiens vir doctus, non obstare sese dixit, si quis *quo* pro *quod* vel *quoniam* (*ideo quod*) dictum censeat; quod quominus accipiatur, impedit usus loquendi, cum quantum equidem sciam, *quo* ea ratione nonnisi in negativis sententiis usurpetur

in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis 3

(Rsh. § 181, p. 752) et Liv. XL, 26: *consules, nisi confecto delectu, negare se ituros, nec suam segnitiem, sed vim morbi in caussa esse, quo serius perficeretur, quo* aperte sit *ut eo.* Sententiam talem esse ita persuasit Gerlachio, ut ex uno cod. Paris. scriberet *quod.* At nemo terretur, quod quid fecit, sed ne quid faciat. Qui rem aliquam perpetravit, punitur, et felices illos, qui solo terrore poenam luunt. Fortasse vero sic locum intellexit Gerl.: quod plebem placidius tractarent, terrebant eos, ne iterum id facerent, quo illis minati tantum iudicia esse dicerentur optimates — nam reum facere neminem potuere, nisi cum magistratu se abdicasset, perduellionis autem condemnatis non licebat honores petere — aut: accusando eos, qui placidius plebem tractassent, ceteros, ne idem facerent, terrebant, quod in verbis inesse nemo facile concedet. Recte igitur Orellius *quod* reiecisse mihi videtur, praesertim cum libri reliqui omnes *quo* uno consensu tueantur. Quod si accipimus, ratio flagitat, ut pro *ut eo* dictum putemus. Iam quaeritur, ad quosnam *tractarent* referendum sit. Num ad nobiles (*hi*)? Quod qui censeat, certe concedet, sententiam esse non posse: quo in magistratu lenius in plebem agerent, sed debere talem esse: quo placidiorem sibi plebem haberent, cum magistratu fungerentur. *Plebem tractare* omnino non est: in plebem agere („*die Plebs behandeln*"); sed regere plebem (proprie huc illuc trahere), ut *rem publicam tractare* (51, 28; Iug. 41, 2) est rem publicam administrare. Iam quidam adverbium per prolepsin quandam ita dictum esse censent, ut non ad rationem agendi sed ad rei condicionem, qualis sit aut fiat, referatur. Ad quam sententiam confirmandam provocant ad ea, quae ad 5, 9 commemoravimus. Eorum exemplorum duplex est ratio. Nam aut ab rei natura pendet ratio agendi, ut 6, 3: *sicuti pleraque mortalium habentur*, ex eo, quod res tales sunt, pendet lex, qua habentur; eademque ratio est Iug. 4, 8 et Cat. 37, 4: *egestas facile habetur sine damno*, i. e. quoniam egestatis ea condicio est, ut nemo in ea detrimentum facere possit, facile habetur; — aut ex ratione tractandi pendet, qualis res fiat. Sic cum dico *filium bene educavi*, nemo id interpretabitur: filium educavi, ut bonus evaderet; tamen bona educatione ipse filius fit bonus. Ita etiam Cat. 11, 5: *exercitum luxuriose nimisque liberaliter habuerat*, sententia non est: exercitum ita tractaverat, ut luxuriosus evaderet, sed tractaverat exercitum luxuriosa ratione, i. e. ita, ut ei materiem luxuriae praeberet, unde quidem effectum esse intelligitur, ut ipse luxuriosus fieret. Quare hic locus sic interpretandus esset, aut: quo plebem placidius tractantes, placidiorem haberent, quod a re

rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eo-

---

alienum, aut: quo plebem, quia placidior esset, placidius tractare possent, quod quominus verum putetur, res certe non obstat. At cum quis alium terret, aperte efficere vult, ut aliquid aut agat, aut omittat; quare quicunque haec leget, *tractarent* ad *ceteros* referet, cum nihil additum sit, quod ad illos ipsos, qui terrebant, pertinere doceat. Ambigue igitur scriptor locutus esset, si *tractarent* ad *hi* referri voluisset; quam ambiguitatem addito pronomine *ipsi* facili negotio evitasset. Videamus igitur, quaenam sententia sit, si *tractarent* ad *ceteros* referamus. Adiectivum *placidus* significat: lenis, quietus, sedatus; oppositum est asper, acer, violentus. Respondet igitur nostro *friedfertig*. Sic Iug. 20, 2: *ipse acer, bellicosus; at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis, quam metuendus. Placide loqui* is dicitur, qui amicum animum, ad pacem componendam propensum, prodit, Iug. 72, 1; 83, 2; 102, 12. Et Iug. 41, 2: *Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant*, sententia est: ita rem publicam administrabant, ut in se placidis (i. e. non infensis) animis essent („*friedfertig und anspruchslos*"). Iam hoc loco *placidius* quid aliud significat, quam placidiore in optimates animo? Plebem tractare dicuntur tribuni, qui plebi in magistratu praesunt. Quare sententia aperte haec est: Optimates popularium partium sectatores iudiciis terrebant, quo in magistratu (i. e. in tribunatu) plebem placidiore in se animo regerent (i. e. ne eam sollicitarent atque contra nobiles excitarent). Contrarium expressit Tacit. Annal. III, 12: *simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an false haec in maius vulgaverint accusatores.* Piso exercitum tractaverat turbida et seditiosa in Germanicum ratione, quippe qui cum advenisset, omnia, quae apud legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognovit (cfr. II, 69 init.). Paulo diversa significatione *placidus* usus est Tacit. Agric. 8 init.: *Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus placidius, quam feroci provincia dignum est*, i. e. lenius tractabat provinciam.

3. *dubiis rebus novandi spes oblata est*] Omnes libri exhibent *novandis*, quod fuerunt, qui ita defenderent, ut dativus ad *spes* referretur significaretque id, ad quod *spes* spectaret, comparatis exemplis talibus, ut Fragm. inc. 158: *quae caussa fuerat novandis rebus;* Liv. XXVI, 40: *Hos neque relinquere Laevinus velut materiam novandis rebus, satis tutum ratus est;* Tacit. Ann. II, 88: *si patrandae neci venenum mitteretur.* Quod ut

rum arrexit. Quodsi primo proelio Catilina superior aut 4
aequa manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui 5

---

ferri possit (vid. quae ad 40, 3 annotabimus), verissime Kritzius monuit, a nemine unquam dictum esse *novare dubias res*, sed aut simpliciter *novare*, aut *novare aliquid* (55, 1), aut *res novare*. Quod verum agnoscens, Fabrius recte *dubiis rebus* ablativos absolutos esse dixit, minus recte ad *novandis* iterum *rebus* cogitari debere. Ea enim ratio a Latini sermonis indole abhorret nulloque modo defenditur iis, quae ipse ad 23, 2 commemoravit; vid. ad Iug. 10, 7. His de caussis non dubitavi cum Kritzio, Gerlachio, Orellio ex Gruteri coniectura *novandi* scribere. Quae sint *dubiae* res, ad 10, 2 exposuimus. — *eorum*] Hoc pronomen non ut quidam voluerunt ad *plebem* referendum est, sed ad *ceteros*. Revertitur iam oratio ad id, quod 37, 10 scriptum est: *quicumque aliarum atque senatus partium erant, conturbari rem publicam, quam minus valere ipsi malebant.* Omnia enim quae post illa verba interposita sunt, ad illustranda partium studia, quae per illa tempora agitata sunt, pertinent. Iam postquam scriptor superiorem tandem factam esse nobilitatem, sed ita sese gessisse, ut nulla alia re, nisi metu et crudelitate impetus reprimeret, commonstravit, illud quod supra dixit, repetit: prima quaque occasione novandi oblata, studia popularis factionis rursus excitata et inflammata esse. — *arrexit*] De hoc verbo ad Iug. 23, 1 dicemus. —

4. *superior aut aequa manu discessisset*] *Discedere* vulgare est de iis, qui in pugna aut contentione fuerunt; cfr. 49, 2; 61, 7; Iug. 54, 4, 10; 56, 6. *Aequa manu* autem dictum est pro vulgari: *aequo Marte.* Quemadmodum *superior manu* fuisse dicitur, qui victoriam reportavit, sic *aequa manu discedit*, qui non inferior fuit. Comparavit iam Fabrius Tac. Ann. I, 63, 2: *et manibus aequis abscessum.* — *exsanguibus*] „*Exsanguis* translate significat *invalidum.* Cfr. Cic. pr. Sext. 10, 24: *hominibus enervatis atque exsanguibus, qui per se pungere neminem potuissent;* Iustin. XXXI, 3, 1: *Nabidem subegit et graviter fractum velut exsanguem reliquit.*" Cortius.

5. *tamen*] Sententiarum nexum bene illustravit Kritzius: „Catilinam cum suis, etiamsi initio victor fuisset, tamen haud diu potentiam ita paratam retenturum fuisse; alios enim potentiores quique plebe melius uti scirent, mox imperio eum privaturos fuisse;

ad Catilinam initio profecti sunt; in his erat A. Fulvius, senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit. Isdem temporibus Romae Lentulus, siculi Catilina praeceperat, quoscunque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se aut per alios sollicitabat, neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.

---

in spe autem tam incerta et fallaci tamen non omnes, qui ad Catilinam profecti sint, coniuratos fuisse; sed etiam complures extra coniurationem." — *extra coniurationem*] i. e. coniurationis expertes, illustravit Fabrius comparatis locis Cic. in Cat. I, 6, 13: *in qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat;* pr. Sull. 13, 39: *quam si extra coniurationem hunc esse se scire dixisset;* in Verr. Act. II, l. V, 51, 134: *dico omnes extra culpam fuisse.* De indicativo diximus ad 19, 2. — *A. Fulvius*] Rem fusius narravit Valer. Max. V, 8, 5: *Nec minus animose A. Fulvius, vir senatorii ordinis, euntem in aciem filium retraxit. Namque iuvenem et ingenio et forma et literis inter aequales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinae secutum inque castra eius temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit, praefatus non se Catilinae illum adversus patriam, sed patriae adversus Catilinam genuisse. Licuit, donec civilis belli rabies praeteriret, inclusum arcere, verum illud cauti patris narraretur opus, hoc severi refertur.* Ceterum constat, apud Romanos patri licuisse filium, qui adhuc in patria potestate esset, necare aut vendere; cfr. Göttling. Gesch. d. Röm. Staatsv. p. 101 sq. Ceterum de A. Fulvio praeter hoc facinus nihil compertum habemus. — *Retraho* eodem modo, quo h. l., de iis, qui in itinere comprehenduntur retroque ducuntur, dictum est infr. 47, 4; 48, 3. Praeterea haud incommode Herzogius observavit, consilio Salustium nomine *parens* usum esse videri; hoc enim nomine magis naturalem coniunctionem ac necessitudinem, quae inter genitorem et filium intercedat, significari, nomen *pater* magis ad ius spectare, quod pater in civitate in filium habeat; unde patri deberi obsequium, parenti pietatem.

6. *moribus aut fortuna*] De ablativis vid. ad 6, 6. — *per se*] Saepe Romani in oppositione pro simplici *ipse* praepositione *per* cum pron. pers. usi sunt. Cfr. Cic. pr. Arch. poët. 10, 26: *quid? a Q. Metello neque per se neque per Lucullos impetrasset?* de pet. cons. 8 init.: *quos per te, quos per communes amicos poteris sumere.* Liv. XXXV, 16 med.: *potesne tandem*

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli, existumans, publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse.

---

dicere, ut ii populi non per se, non per alium quemquam foedus mutaverint, sic —. — neque solum — sed] Vid. ad 18, 7. — *cuiusque modi*] *Cuiuscunque modi*, quod in nonnullis codicibus legitur, ferri non posse, satis intelligitur ex iis, quae Zumpt. § 128 disputavit. Exspectaveris fortasse, dici potius: cuiusque generis homines; sed hoc vult Salustius: sollicitabat omnia genera hominum, nihil curans utrum cives, an peregrini, an servi essent. Singularis igitur adiuncto *cuiusque modi* pluralis vim habet.

XL. 1. *P. Umbreno*] Is, teste Cicerone in Cat. III, 6, 14, libertinus fuit. Ex eodem Cicerone comperimus, cum eo maxime Q. Manlium Chilonem in sollicitatione Allobrogum versatum esse. — *Allobroges*, gens Gallica, inter Rhodanum et Isaram et in ea parte Alpium habitabant. Iis Cn. Domitius pro cos. a. u. 632, a. Chr. 122, bellum intulerat, quod Teutomalium, Salluviorum regem, fugientem recepissent, et omni ope iuvissent (adversus eum Romani tribus annis ante a Massiliensibus auxilio vocati erant), quodque agros Aeduorum, sociorum populi Romani, vastassent. Ab eo et Q. Fabio Maximo a. 121 a. Chr. bello devicti, in deditionem accepti sunt. Cfr. Liv. ep. 51; Flor. III, 2; Valer. Max. IX, 6, 3. — *requirat*] Tirones moneo, *requirere* cum accusativo iunctum esse nostrum „*aufsuchen*," cum *ex* sive *ab:* quaerere, interrogare (ut infr. 2). Praeter hos locos ap. Sal. non legitur. Omnino *re* verbis, cum quibus compositum est, eam vim addit, ut contentionem quamdam significent. Sic *requirere* semper de eo dicitur, qui aliquid, quod nescit ubi sit, quaerit, aut qui interrogat, quod ut sciat, vehementer optat. — *facile eos*] Cave, hunc locum cum iis confundas, quos supra ad 37, 4 commemoravimus; nam h. l. participium *oppressos* non est subiectum, sed tenet locum enuntiati secundarii, ut sententia sit: existumans, eos, et quod aere alieno oppressi essent, et quod natura gens bellicosa esset, facile ad tale consilium adduci posse. Necessario igitur *eos* addendum fuit, nec minus postponendum, ne pluribus interpositis longius a verbo suo removeretur. Simili modo participium per *quod* excipitur 16, 4: *confisus, simul quod*, ubi vid. ann. n. — *Aere alieno publice privatimque oppressos* Allobroges Sal. dicit, quod non solum universa civitas, sed etiam singuli privati homines, a feneratoribus exhausti, magnas pecunias debebant.

2 Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat atque eos noverat; itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum requi-
3 rere coepit, quem exitum tantis malis sperarent? Post-

---

2. *negotiatus erat*] „Duae erant Romae honestae rei quaerendae rationes, quarum altera fenerando, altera fructibus praediorum percipiendis et vendendis continebatur. Equitibus propria erat vectigalium publicorum redemptio, unde publicani dicti. Sed cum tanta esset hominum in omni ordine copia, ut non possent omnes Romae fenerari pecunias, aut in Italia praedia habere, aut publica redimere, magna equitum plebeiorumque pars pecunias suas in provinciis occupabat. Itaque regione aliqua victa et in provinciae formam redacta, conferebant equites et plebeii, qui volebant, patrimonium suum in eam provinciam et aut *arabant*, aut *pascebant*, aut *negotiabantur*. *Negotiationis* autem haec praecipua ratio erat, *ut pecunias mutuas darent provincialibus et fenus exercerent*, quae ratio eo fructuosior erat, quod nulla lege in provinciis fénoris magnitudo definiebatur. Itaque ibi saepe binis, ternis, quaternis centesimis [in mensem] pecunia collocáta reperitur, nisi forte praetor impudentiam negotiatorum coërcebat.“ Ernesti clav. Cic. s. v. *negotiator*. — *notus erat atque eos noverat*] i. e. mutua inter eos erat usus consuetudo. Comparatur recte Iug. 70, 1: *suspectus regi et ipse eum suspiciens*. Ceterum quin ab Allobrogibus primores civitatis Romam legati missi fuerint, vix dubium est; quare verisimile est, P. Umbrenum nonnullis eorum notum fuisse. — *percontatus*] Meliores libri hanc verbi formam tueri videntur; Gerlachius certe in edit. min. eam ex ptel enotavit, *percunctatus* tantum ex b. De originatione in diversas sententias abiere et veteres et recentiores grammatici. Alii enim, ut Festus p. 199 ed. Lind., factum putant a *cunctus*, quod qui curiose quid interroget, per cunctas res eat; alii, ut Verr. Flacc. ap. Fest. l. c. et Donat. ad Terent. Hecyr. I, 2, 2, sumptum putant ex re nautica, quia *conto* pertentent, cognoscantque navigantes maris altitudinem, ut a *contus* eodem modo factum sit *contari*, quo *rimari* a *rima*, ab *aqua aquari*; Döderleinius denique (Syn. V, p. 126) simplex *contari* desiderativum censet esse verbi *conor*, a qua stirpe provenerit inchoativum *gnosco*; quae derivatio verissima videtur. Equidem *percunctor*, proprie *perconctor*, ex duriore pronuntiatione natum esse iudico. — *quem exitum tantis malis sperarent*] *Tantis malis* bene ab aliis monitum est ablativos esse eius generis, quos absolutos Grammatici vocant. Eadem igitur huius loci ratio est, atque

quam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxili nihil esset, miseriis suis reme-

---

11, 4: *bonis initiis malos eventus habuit;* ubi dativi explicandi vix idoneam rationem reperias.

3. *Postquam* ap. Sal. frequentissime praesenti iunctum invenitur; cfr. 21, 5; 57, 5; 60, 7; Iug. 6, 2; 20, 1; 35, 4; 38, 4; 53, 3; 56, 6; 61, 4; 64, 3; 66, 1; 68, 1; 69, 4; 76, 6; 79, 7; 80, 1; 84, 5; 86, 1. Recte Fabrius observavit, plerisque his locis *postquam* iunctum esse cum verbo *sentiendi.* Cuius rei quae ratio sit, perspiciet, qui reputaverit, praesens illud historicum esse, eo vero omnia exprimi solere, quae alia re celeriter excepta sunt. *Videre* ad omnia ea transferri, quae animadvertantur ac mente percipiantur, alii iam demonstrarunt comparatis exemplis Cic. pr. Arch. poet. 8, 18 (quamquam eam orationem ego cum Büchnero a rhetore aliquo potius, quam a Cicerone compositam censeo): *quoties ego hunc vidi magnum numerum versuum dicere ex tempore;* Liv. XXXIV, 31: *Tum me regem appellari a vobis memini, nunc tyrannum vocari video.* — *miseriis suis remedium mortem exspectare*] De dativo cum substantivo coniuncto diu multumque a grammaticis est dubitatum. Et cum natura sua is casus significet, ad quod id, quod fit, pertineat (obiectum remotius vel personale barbare dicas), igitur semper referatur ad praedicatum, apparet, cum adiectivis et verbis solis coniungi posse. Tamen veteres scriptores, ubi verbum, quod dativum admitteret, cum substantivo iunctum erat, tum dativum ad utrumque voluerunt pertinere; cfr. Reisig. Praell. d. Gr. Lat. c. not. Fr. Haasii, p. 626. Cuius generis hic locus est; dativus cum ex grammatica ratione ab verbo *exspectare* pendeat, simul ad *remedium* refertur. Eodem modo 32, 1: *quod neque insidiae consuli procedebant*, dativus neque a solo *procedebant*, neque ab *insidiae* pendet, sed ab *insidiae procedebant;* nec verendum erat scriptori, ne, quoniam *procedit alicui* plerumque de re bona, quae in alicuius utilitatem fit (cfr. ad Iug. 85, 5), dicitur, false illa intelligerentur. Etiam apertius hoc est eodem loco paulo post: *insidias consuli maturent;* cum enim *maturare* cum *insidias* coniunctum significet *mature parare*, dativum vere cum verbo coniungendum esse, nemo dubitabit. At, quae a verbis dativum sibi efflagitantibus deducuntur substantiva, ea per brevitatem quamdam dicendi (substantivum enim tum locum tenet enuntiati secundarii) et Graecorum exemplo cum dativo haud raro coniunguntur, ut in iis locis, quos Zumptius protulit § 681: Cic. d. Legg. I, 15: *iustitia est obtemperatio legibus institutisque populorum* (ea virtus, quae obtemperat); Top. 5: *traditio alteri;* Liv. XXIII, 35: *praeceperat, ne qua exprobratio cuiquam veteris*

dium mortem exspectare: „*At ego*, inquit, *vobis*, *si modo*
viri esse voltis, *rationem ostendam*, *qua tanta ista mala*
4 *effugiatis.*“ Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem
adducti Umbrenum orare, ut sui misereretur; nihil tam aspe-
rum neque tam difficile esse, quod non cupidissume facturi
5 essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille
eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat
neque aliena consili propter Semproniam; nam tum Brutus

---

fortunae discordiam inter ordines sereret; quibus adde Caes. B. C. I, 5: *Caesar Ravennae exspectabat suis lenissimis postulatis responsa;* separandus autem est locus Cic. pr. Planc. 1: *tam multos et bonos viros eius honori esse fautores*, ubi dativus grammatica ratione ab *esse* suspensus putandus est. Nec diversa ratio est eorum substantivorum, quae proprie sunt adiectiva, ut *inimicus;* quod in caussa fuit, ut etiam *hostis* cum dat. coniungeretur; vid. ad 19, 1. Tenendum autem est, posteriores has leges minus diligenter servasse, et apud eos, maxime apud Tacitum, dativum cum substantivo iunctum fere in consuetudinem venisse; vid. Reis. l. c. p. 645. — Ceterum repetas, quae de hoc membro iam ad 31, 7 monuimus. — *At ego*] *At* locum suum habere in iis, quae contra aliquam sententiam monentur, igitur aptissimum esse in responso, satis constat; cfr. 51, 22. — *tanta ista mala*] Pronomen demonstrativum inter *tanta* et substantivum interpositum, ut illud maiore cum vi efferatur, efficit. Cfr. 48, 9: *tantam illam contumeliam sibi a Cicerone impositam;* at Iug. 67, 3: *in ea tanta asperitate.*

4. *nihil tam asperum, neque tam difficile esse*] *Aspera* omnia ea dici, in quibus multa et magna pericula ac detrimenta metuenda, multi labores ac molestiae perferenda sint, observavimus ad 10, 2 et 26, 5; *difficilia* contra sunt ea, quae quis vix perficere posse videatur. Spectat igitur hoc adiectivum ad spem eventus, illud ad perficiendi laborem. Quae monenda fuerunt contra Herzogium. — De *dum* vid. ad 5, 6. — *Ea res*, ad praecedens *quod* relatum ne mireris legas, quae scite Zumptius monuit § 678.

5. *neque aliena consili*] De constr. cfr. Z. § 467 Not. Cic. Acad. I, 11, 42: *omnia*, *quae essent aliena firmae et constantis assensionis;* d. Fin. I, 4, 11: *quis alienum putet esse eius dignitatis?* Sententiam hanc esse bene monuit Kritzius: commode ea domo ad consilia aperienda Gabinium uti potuisse. *Consilium* est „*die Berathung.*“ — *ab Roma aberat*] Praeposi-

ab Roma aberat. Praeterea Gabinium accersit, quo maior 6
auctoritas sermoni inesset. Eo praesente coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos cuiusque generis

---

tionem cum Orellio retinui, motus optimorum librorum auctoritate, praeterea Prisciani XV, 2, 9, p. 618 Kr. et Probi Art. min. p. 700 et 702. Cfr. Z. § 398, N. 1.

6. *accersit*] De verbis *arcessendi* et *accersendi* disseruit singulari libello scholastico R. Stürenburgius, Hildburghusae 1839, quo demonstrare conatus est, utrumque verbum ab eadem stirpe *arc* natum, et *accerso* mutilatione quadam ex *arcesso* factum esse, inter utrumque vero id discrimen intercedere, quod iam Charis. p. 227 (151 Lindem.) et Diomed. p. 375 statuissent, ut *arcessere*, antiquior forma, de accusando diceretur (iudiciorum igitur consuetudine receptum mansisse), *accersere* advocare, accire significare; eam diversitatem ab omnibus scriptoribus observatam esse, praeterquam a C. Iulio Caesare, qui quod nulla analogia exstaret, secundum quam *accersere* diceretur, *arcessere* semper praeoptasset. Salustii quidem libri hoc praeceptum non ab omni parte confirmant. Nam quamquam omnibus locis, ubi est vocare, accire, Cat. 40, 6; 52, 24; 60, 4; Iug. 39, 2 (in ed. mai. Gerl. nulla varietas annotata est; in ed. min. haec legimus: *arcessere* te. *accersere* in t. spl. *accersire* (e. spl.) p.); 43, 3 (in ed. mai.: „praeter alios multos codd. Bas. 1.;" in ed. min. nihil varietatis notatum est); 62, 4; 84, 2; 109, 4 (quo loco neque in mai. ed., neque in minore quidquam de libris a Gerlachio monitum est); 113, 4 plurimi optimique libri formam *accersere* tuentur, tamen ubi est: „in ius vocare," Iug. 32, 1, Gerl. in ed. mai. annotavit: „*accersebant* etiam h. l. plurimi libri;" in min.: „*accersebant* e. bt (m. I);" *arcessebant* pl (bt m. II) et 73, 5 *arcessere* in ed. min. tantum ex bpte, in mai. ex Rem. 1. Guelf. 9. 11 notatum est. In fragmentis *accersi* legitur p. 192, 4 (Gerl. ed. min.); *accersivit* p. 197, 15; sed *arcessivit* p. 204, 4 et 228, 18; utroque loco est „*herbei holen.*" Quae cum ita sunt, nondum satis confirmatum viri doctissimi mihique amicissimi praeceptum censeo. Habet omnino magnam veri speciem; sed cum ne Ciceronis quidem libri ita collati sint, ut certi quid statui posse videatur, obstet vero Caesaris constans usus, a grammaticis discrimen illud, ut multa alia similia, fictum, scriptores aut aequalium morem aut suas opiniones secutos esse, qui iudicaverit, certe temeritatis non poterit merito arcessi. — *aperit*] De re incognita alicui patefacienda ap. Sal. haud infrequens; cfr. 22, 2; 41, 4; 45, 1; 47, 1; 58, 3; Iug. 33, 3, 4 (quo loco inter se opposita sunt *si vera aperiret* et *sin reticeret*) et Cat. 53, 6: *quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio*

innoxios, quo legatis animus amplior esset; deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quid-
2 nam consili caperent. In altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae; at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia.

---

possem aperirem. — *amplior*] *Amplus*, cum proprie de rebus longe lateque patentibus dicatur, tum de omnibus, quae magnitudine et splendore vulgarem modum excedant, recte ad animum transfertur, spe atque audacia elatum, magna cogitantem; cfr. 59, 1: *quo militibus exaequato periculo animus amplior esset.* Iug. 105, 4 *spes amplior* eodem modo dictum est, quo alibi *spes maior.* — *operam suam pollicitos*] Verisimile est, non statim in primo conventu Allobroges certi quid promisisse, sed a Lentulo tantum *belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi caussa sollicitatos esse* (Cic. in Cat. III, 2, 4); postea demum multis rebus transactis polliciti sunt id, quod Cic. l. l. 4, 9 tradit: *atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent.* Ceterum quam temere egerint coniurati, qui ne minimum quidem fidei pignus ab illis ceperint, bene monuit Drum. l. c. V, p. 486. —

XLI. 1. *in incerto habuere*] Cfr. Iug. 46, 8: *ut absens an praesens, pacem an bellum gerens, perniciosior esset, in incerto haberetur;* 38, 5: *postremo fugere, an manere tutius foret, in incerto erat;* 51, 2: *quom etiamtum eventus in incerto erat;* 95, 4: *Nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat disserere.* Vid. ad 52, 6. — *quidnam consili caperent*] Si scripsisset Salustius *quodnam consilium caperent*, id esset: quale consilium caperent; *quidnam consilii caperent* est: quid apud se constituerent.

2. *maiores opes*] Manifestum est, id quod enucleate monuit Kritzius, intelligi non posse maiores senatus opes, quibus hostibus resistere posset; sed perpendere Allobroges, quae commoda in se redundatura essent, sive hanc, sive illam partem sequerentur. Quod aere alieno publice ac privatim oppressi erant, ut ad coniuratos sese adiungerent, hortabatur; at ut ab senatus partibus starent, admonebant eos maiores opes, cum intelligerent, si de coniuratione indicassent, suas publicas privatasque res magis florentes fore, aes alienum aut solutum aut certe minutum iri. Deinde *studio belli* opponuntur *tuta consilia;* nam belli, quamvis summo studio exoptarent, tamen utique dubius erat atque incertus eventus;

Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna rei publicae. 3
Itaque Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio civitas plurumum 4
utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, 5

---

si senatum adiuvarent, nihil suscepturi sibi videbantur, quod periculosum foret; postremo *mercedi*, quam sane, si quidem victoriam Catilina reportasset, magnam sperare poterant, opponuntur *certa praemia*. Praeterquam enim, quod praemia, quae senatus indici decreverat, accepturi erant, senatum faciliorem ad decernenda, quae peterent, habituri videbantur.

3. *Haec illis volventibus*] „Mihi certum est, ablativos absolutos hic haberi, legitimo caussali vinculo, quamquam paulo obscurius, cum sequentibus cohaerentes. Quoniam enim omnis vincendi condicio rebus dubiis, incertis atque ancipitibus nititur, neque umquam vinci potest, nisi ubi res in dubio ambiguoque sunt, patet sensum hunc esse: eo quod illi haec volvebant (i. e. quod quid sequerentur, dubii haerebant), tandem effectum est, ut fortuna rei publicae vinceret, h. e. cum illi haec volverent, tandem fortuna rei publicae vicit.“ Kritzius. De *volvere* verbo vid. ad 32, 1. Mihi quoque certum est, ablativos absolutos esse; sed simplicius explicandos puto per eum caussalem nexum, qui intercedit inter id, quod praegressum est, et id, quod inde consecutum. — *fortuna rei publicae*] „Mos est Romanis scriptoribus, atque inprimis Livio, quae insperatam salutem in magno periculo attulerunt, ea fortunae populi Romani delegare.“ I. Fr. Gronov. ad Liv. VI, 30. Nempe opinabantur veteres, id quod nobis certum est, in rebus regendis humanam mentem nihil valere, summam omnium rerum moderationem penes divinum numen esse.

4. *Q. Fabio Sangae*] De huius hominis vita et moribus, praeterquam quod in Ciceronis libris aliquoties laudatur, nihil novimus. Populi externi, qui a Romanis in ditionem redacti erant, si quid cum senatu agendum esset, nobili cuidam Romano, cuius patrocinio utebantur, rerum suarum transactionem committere solebant. Ii patroni plerumque ex gentibus eorum erant, qui ipsos illos populos devicerant, ut tradit Cic. d. Off. I, 11, 35: *tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui nationes devictas bello in fidem recepissent, eorum patroni essent more maiorum.* Fabio igitur patrono utebantur Allobroges, quod a Q. Fabio Maximo, cui inde cognomen *Allobrogico* inditum erat, in fidem accepti erant (vid. ad 40, 1). Ceterum verbum *plurumum* ostendit, non in omnibus rebus Allobroges eius patrocinio usos esse. Utrum vero plures habuerint patronos, an interdum etiam sine patrono suas res transegerint, equidem ignoro.

per Sangam consilio cognito, legatis praecepit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, ut eos quam maxume manifestos habeant.

---

5. *per Sangam consilio cognito*] Cic. in orat. Cat. III, 2, 4 non nominato Sanga *ut comperi* dicit; at in or. pr. domo 52, 134 haec leguntur: *Viderat ille* (L. Pinarius Natta) *Murenam, vitricum suum, consulem designatum, ad me consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferre.* Utrum igitur id novum argumentum est, a criticis nondum animadversum, propter quod ea oratio (pr. dom. dico) spuria et subditicia videatur, an id quod credibile esse dicit Drum. l. c. V, p. 487, Fabius in re tam gravi ac periculosa, quo sese esse indicem celaret, itaque a vindicta coniuratorum tutaretur, ad amicum Murenam, consulem designatum, cuius magna semper erat auctoritas, rem detulit perque eum Cicero certior factus est? Ab eo, qui orationem illam composuit, sive Cicero fuit, sive alius eius nomen mentitus est, rem prorsus confictam esse, vix cuiquam verisimile videbitur. Quodsi verum est, quod ille tradit, Salustio certe vitio verti non poterit, quod pro brevitatis consilio, quae minus gravia viderentur, omisit. Sed Salustii verba paulo obscuriora sunt. Et Kritzii quidem sententia, qui verba *consilio cognito* de consilio legatorum coniurationis aperiendae intelligenda putat, mihi propterea non probatur, quod minime verisimile videtur, per Sangam nihil esse ad Ciceronem delatum, nisi velle Allobroges de coniuratione indicium facere. Et quo modo Cicero ea, quae sequuntur, legatis praecipere potuisset, nisi per Sangam, quid coniurati ab iis peterent, comperisset? Quare mihi vix dubium videtur, quin Salustius intelligi voluerit coniuratorum Allobroges ad suas partes perducendi bellumque contra patriam suscipiendi consilium. — *praecepit*] Perfectum, quod in omnibus libris et manu scriptis et impressis legi videtur, coniunctivis praesentis *simulent*, *adeant*, cet. excipitur. Id eo modo explicabitur, de quo diximus ad 32, 2. Nec mirum est, a praesente historico *aperiunt* ad perfectum *praecepit* transire orationem, cum diversae res narrentur, et quia Cicero tum demum legatis praecepit, cum per Sangam omnia, quae ad consilium coniuratorum pertinerent, exploraverat. Etenim *cognoscere* non tantum simpliciter est „certiorem fieri," sed de re ab omnibus partibus exploranda intelligitur, quod apparet ex locutione in iudiciis usitata: *caussam cognoscere.* — *bene polliceantur*] Ne quis adverbium pro adiectivo positum putet, tenendum est, modum pollicendi simul comprehendere ea, quae promittantur; nam qui bene polliceatur,

XLII. Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia, motus erat. Namque illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac 2 veluti per dementiam cuncta simul agebant; nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando,

---

eum multa et exoptata polliceri consentaneum est. — *uti eos quam maxume manifestos habeant*] Vid. ad 52, 36.

XLII. 1. *Bruttio* vere iam ab aliis monitum est cum *agro* coniungendum esse (nam quod apud nostrates geographos vulgatum est terrae nomen *Bruttium*, apud veteres in usu non fuisse videtur; regionem plerumque nomine populi *Bruttii* significarunt). Quare hic quoque Salustii studium brevitatis deprehenditur. Elegantiores enim scriptores, quoniam *Apulia* terrae nomen est, nec cohaeret cum *agro*, ab praecedente repetita praepositione id separassent. — *motus erat*] Kritzius cum diceret, *motum* non esse motum bellicum, seditionem, tumultum, sed pavorem atque terrorem, turbatam civium quietem, idque doceri et sequentibus verbis et quod quae fecerunt magistratus, non ad comprimendas gentes rebellantes, sed ad mentes metu liberandas spectassent, recte eos refutavit, qui nimium quoddam in illo verbo quaesiverunt; ipse in eo videtur errare, quod quae coniurati parabant, exclusit. *Motus* utrumque complectitur et belli civilis clandestinum apparatum et inde ortum timorem.

2. *cuncta simul agebant*] „Recte ii, quos Cortius sprevit, locum sic expediverunt: cuncta simul agebant; nam prudentibus omnia sunt divisa temporibus.“ Kritz. — *nocturnis consiliis*] Inter *concilium* et *consilium* ex verborum originibus apparet hanc diversitatem esse, ut illud (quippe a *concieo* factum) concionem, conventum, convocatam multitudinem, hoc (a *consulo* ductum) potius in tali conventu agitatam deliberationem significet. — *armorum atque telorum portationibus*] Locus consimilis 30, 2: *alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri*, demonstrat, idem h. l. atque illo intelligendum esse. Iam illic exemplis comparatis docuimus, *arma portare* de eo dici, qui cum armis incedat; consentaneum igitur est, h. l. idem dici. Neque in verbo *portatio* id inest, quod quidam inesse contenderunt, arma parata, collecta, comportata esse, quibus homines, si opus esset, instruerentur; sed ab hominibus arma gesta esse, homines armatos et cum telis incessisse. Plurali autem usus est Sal., quod et pluribus locis et a pluribus hominibus arma gesta sunt. Eiusdem substantivi pluralem legimus apud Vitruvium X, 1 med.: *portationes eorum non essent, nisi plaustrorum per terram, navicularum per aquam inventae essent machinationes.*

3 agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant. Ex eo numero compluris Q. Metellus Celer praetor, ex senati consulto, caussa cognita, in vincula coniecerat; item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

XLIII. At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut videbatur, magnis copiis,

---

3. De Q. Metello Celere vid. ad 30, 5. — *caussa cognita*] Constat, *caussam cognoscere* legitimum fuisse de iudicibus, qui exquirerent, quis, quid, cur, qua ratione scelus commiserit. Praeterea non dubito, quin senatus consultum illud intelligendum sit, quod 36, 2 commemoratum est. Cum enim ante diem constitutam ab armis non discessissent, ex illo senatus consulto ut hostes patriae a praetore tractari poterant. — *in citeriore Gallia*] Ex Cic. orat. pr. Mur. 41, 89, quae post secundam Catilinariam habita est, compertum habemus, C. Licinium Murenam tum in provincia Gallia Transalpina fuisse, quo anno praecedente fratris legatus venerat (Drum. l. c. IV, p. 186 et 193); in Galliam citeriorem sive Cisalpinam ex Cic. orat. in Cat. II, 3, 5 et 12, 26 Q. Caecilium Metellum Celerem missum esse constat. Quae Cortium moverunt, ut e coniectura *ulteriore* scriberet. At cum id nullo in codice, ne in Turicensi quidem primo legatur (ut testatus est Orellius praef. ed. suae p. III), valde dubitandum est, utrum error librariis, an ipsi potius Salustio tribuendus sit. — *legatus*] ‚Legati praesidibus provinciae addebantur, ut eorum opera et consilio uterentur, vid. Varr. d. L. L. V, 16 (p. 90 Speng.). Sed praeses absens legatos cum plena iurisdictione praeficiebat, ut Pompeius absens per legatos duas Hispanias administravit; Caes. B. C. I, 85, 8. Mittebantur etiam ab senatu legati, qui provincias regerent, Cic. in Vat. 15, 36: *quis legatos umquam audivit sine senatus consulto?* et quidem ita, ut sine alio praeside ipsi iurisdictionem et res bellicas administrarent; Cic. d. prov. cons. 3, 5: *atque hanc Macedoniam — etiam sine imperio per legatos tuebamur.*" CORTIUS.

XLIII. 1. *ut videbatur*] Quinque libri manu scripti exhibuerunt *ut videbantur.* Quae scriptura quamquam multum sane habet commendationis, tamen omnibus reliquis libris fides non neganda videbatur. Sed cum in diversas sententias abierint Kritzius et Fabrius, ille in talibus enuntiatis, quae sola *ut* particula et verbo *videri* constarent, verbum plerumque absolute poni neque ad subiectum referri dicens, hic contra in talibus enuntiatis *videri* impersonaliter usurpari solere negans, quamquam nos uter illorum veriora amplexus sit, usu nondum satis compertum habemus, tamen

constituerant, uti, quom Catilina in agrum Faesulanum cum

---

quominus utrumque recte dicatur, ratio non obstat. Inter *ut videor* (Cic. d. Fin. II, 5, 15: *cum Graece, ut videor, luculenter sciam*) et *ut videtur* certe aliud discrimen esse non potest, quam quod apud nos est inter „*wie man glaubt*“ et „*wie man von mir glaubt.*“ Ceterum vix est, quod tirones moneamus, sententiam esse: cum copiae, quas paraverant, satis magnae ipsis viderentur. — *constituerant*] Hoc quoque loco quid scripserit Salustius, admodum dubium est. Quamquam enim plures libri h. l. singularem, quam supra pluralem *videbantur*, exhibent, tamen singularis maiore codicum parte defenditur. Iam, ubi subiectum aliud per *cum* adiunctum haberet, atque efferendum esset, non illum solum, sed etiam hos alios simul aliquid egisse, plurali usos esse Latinos scriptores constat; cfr. Z! § 375; Rsh. § 92, 2, c. p. 276. Id optime in hunc locum quadrat, cum non tam Lentulum, quam cum eo ceteros id constituisse dicendum sit. Nec repugnat Salustii usus; cfr. Iug. 101, 5: *Bocchus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, affuerant, postremam Romanorum aciem invadunt;* ubi maior codicum pars pluralem tuentur. Ep. Pomp. 6: *dux hostium Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti;* Iug. 38, 6: *cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem*, quamquam ibi Turic. 1 et Eins. spl. *transire* exhibent atque pluralis per se ad *cohors* referri potuit. At singularem non minus recte poni potuisse quis est, qui neget? Videndum igitur erit, utris libris plus fidei tribuendum sit, illis, qui pluralem exhibent, qui numero plures sunt, an his, qui singularem tuentur; quod nunc quidem, cum nondum satis accurate cuiusque libri natura cognita sit, diiudicari nequit. — Verba *cum exercitu*, quae Cortius eiicienda iudicaverat, et quod in nonnullis libris manu scriptis omissa essent, et quod parum armata atque instructa multitudo Catilinae vix appellari posset exercitus, bene defendit, Kritzium secutus, Fabrius comparatis locis Cic. pr. Mur. 37, 79 et in Cat. IV, 6, 12; simul monens, Salustium ex illorum hominum opinionibus copias Catilinae non potuisse non exercitum dicere. — *in agrum Faesulanum*] Drumannus l. c. T. V, p. 483 sq., quae Sal. h. capite narrat, repugnare demonstravit iis, quae c. 32, 2 Catilina Lentulo mandaverit, quaeque hic ipse c. 44, 6 Catilinae scripserit; ex quibus locis apparet, tum demum Romae a sociis caedem atque incendia perpetranda fuisse, cum Catilina ad urbem accessisset; quod in consiliis fuisse ex Volturcii indicio refert etiam Cic. or. in Cat. III, 4, 8: *a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras, ut servorum praesidio uteretur et a d u r b e m q u a m*

exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis concione habita

---

primum cum exercitu accederet; id autem eo consilio, ut cum urbem ex omnibus partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientes exciperet et se cum his urbanis ducibus coniungeret. Iam Faesulae illae, in Etruriae parte boreali sitae, ab urbe Roma aberant amplius centum millia passuum. Igitur eius urbis ager num prope Romam erat? Praeterea ubi tandem erat Catilina, nisi in oppidi illius vicinia? Haec omnia eo ducere possent, ut in his verbis aliquid falsum arbitraremur. At fortasse alius ager Faesulanus intelligendus est. Certe Polybii locus II, 25, si quidem scriptura vera est, prorsus intelligi nequit, nisi cum Mannerto Geogr. T. IX, 1, p. 396 aliud oppidum, Faesulas nominatum, a Clusio meridiem et occidentem versus propiusque Romam situm, fuisse statuas. Id oppidum tum fortasse dirutum iacebat, sed ager, qui circum erat, nomen retinuit. Hunc agrum si hic dictum esse statuas, non repugnat Salustius iis, quae supra indicavimus. Certe inde unius diei itinere Romam perveniri potuit; nec vituperandus est Sal., quod duas Faesulas nullo signo distinxit, cum aequales eius sine dubio *Faesulas* ab *agro Faesulano* (ita enim hunc locum tum nominatum fuisse suspicor) discernere possent. Transeo ad aliam difficultatem. Cum enim ad caedem faciendam atque incendendam urbem Lentulum delegisse Saturnalia certum sit ex Cic. in Cat. III, 4, 10 et 7, 18; Plut. Cic. 18; ei vero rei, quam in consilio fuisse Sal. narrat, coniurati, ut bene monuit Drumannus, non potuerint destinare Saturnalia (quae solemnia ante Caesarem dictatorem uno tantum die, a. d. XIV Kal. Ian. (d. XIX Decembr.) celebrabantur; vid. Drum. l. c. p. 484), quoniam festo die concionem habere non licebat; necesse est ab Salustio aliquid omissum esse; nam ne prorsus falsa ab eo tradita esse arbitremur, impedit religiosissima eius diligentia. Iam duplex ratio iniri poterit. Cum igitur L. Calpurn. Bestia, de quo omnia diligentissime collegit Drum. l. c. II, p. 97, tribunatum initurus esset d. X mens. Decembr., fortasse id primo in consilio fuit, ut eo ipso die in concione de Ciceronis actionibus quereretur; sed cum interea res spe tardius procederent, nec de Catilina quidquam comperirietur, Lentulus consilium in Saturnalia transtulerat. Ceterum Drumannus suspicatur Cethegum primi illius consilii auctorem potissimum fuisse. Quae quamquam satis verisimilia sunt, tamen altera ratio mihi propius verum accedere videtur; qua statuatur, primo constituisse coniuratos, ut eo tempore incepta perpetrarent, cum Catilina venisset in agrum Faesulanum; at cum ille diutius cunctaretur,

quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consuli imponeret; eo signo proxuma nocte cetera multitudo coniurationis suum quisque negotium exse-

---

urgente Cethego tandem Saturnalia delecta esse, quamquam haec quoque dies Cethego nimis longa videbatur (Cic. l. l. 4, 10). Certe hoc melius concinit cum Salustii narratione, qui post illud consilium captum demum Cethegum semper, ne cunctarentur, socios stimulasse tradidit. — *Actiones* constat legitimo usu eas res dictas esse, quas aliquis magistratus ex muneris sui officio gesserit; cfr. Iug. 42, 1: *Gracchorum actionibus.* — *bellique gravissumi invidiam*] Genitivus est eius generis, quem obiectivum Grammatici vocant. Significat enim eam rem, quae est in invidia; cfr. Iug. 29, 5 et 35, 2: *invidia facti.* Sententiam apparet hanc esse: consuli invidiam imponeret hac criminatione, bellum civile gravissimum ab eo commotum esse, iniuste e civitate eiecto Catilina. *Imponere* eodem modo, quo h. l., dictum est 48, 9: *tantam illam contumeliam sibi a Cicerone impositam.* Ceterum cum Cic. ad Att. XII, 21 a. med. conqueratur, quod a Bruto optimus consul dictus sit, qua laude ne inimicus quidem ieiunius quid proferre possit, illo sane tempore, quo verborum propria vis et gravitas iamdudum evanuerat et *optimus* nihil erat, nisi honesta appellatio, haud iniuria a Bruto amico maiores laudes exspectaverit, nec propterea in arrogantiae crimen incurrit. At si quis hoc iudicium ad Salustium transferat, indeque simultatem inter duos praeclarissimos viros intercessisse coniiciat, viderit, ne iniquius quid statuat. Neque enim hic Ciceronis laudandi locus erat, et omnia ex illorum mentibus dicta sunt, qui consulis in tuenda re publica diligentiam maximopere timerent, quibusque optimus consul maxime invisus esset; quamquam non nego, scriptori, si quid de aliis referat, licere, iudicium suum interponere. — *eo signo*] Ablativo significari id, post quod res consecutura esset, igitur quodammodo rei caussam innui, neque ad ellipsin participii *dato* confugiendum esse, quis est, qui hodie ambigat? — *cetera multitudo* — *exsequeretur*] Plurimi optimique libri *quaeque* exhibent, quod aut ex male intellecto compendio scripturae, aut protervo librariorum pruritu emendandi natum esse, facile apparet. Nam *cetera multitudo* universos, quicumque in coniuratione fuerunt, excepto L. Bestia, complectitur; ex hac vero singulas multitudines adiecto *quaeque* eximi contra omnes leges construendi est. Nec vero illud obstat, quod singula negotia singulis catervis coniuratorum mandata erant, cum qui uni alterive catervae adscriptus esset, tamen suum in ea negotium haberet. Deinde Kritzius genitivum *coniurationis* cum *negotium* coniungendum censuit, quod quominus facile ad videndum

2 queretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad con-

---

esse iudicemus, et verborum ordo et sententia impedit. Nam talis genitivus, ut *negotium coniurationis* significet id, quod cuique ex coniuratione suscipiendum sit, omnino sine exemplo est, et quod quisque negotium haberet, in id non coniuraverant, sed coniuratione inita, in concilio constituerant. Quare equidem h. l. *coniuratio* dictum esse puto de hominibus coniuratis coll. 17, 7; 23, 1; 48, 4. Postremo quod in uno cod. Guelf. 2. m. pr. scriptum est *exsequerentur*, Fabrius propterea ferri non posse censuit, quod *quisque* a Salustio ibi tantum cum plurali coniungi soleret, ubi pluralis, qui illustraretur addito *quisque*, aut commemoratus esset, aut cogitaretur. Quod quamquam verum est (comparavi omnes locos: 7, 1; 38, 3; 52, 23; Iug. 1, 4; 58, 2; 80, 6; 84, 4; sed Cat. 4, 2 *quaeque* pro plurali neutrius habendum esse apparet ex praedicato *digna*); tamen a ratione plurali nihil obstat, cum *multitudo* per se cum eo numero coniungi possit. At unius libri auctoritatem in tanto ceterorum consensu sequi temerarium esset.

2. *Statilius et Gabinius*] Quae Kritzius ad h. l. praescripsit, in nominibus propriis ἀσυνδέτως ponendis tria esse observanda: uno tantum singularum personarum nomine posito copulam non posse omitti, nisi tres personae deinceps commemorarentur; duobus positis copulam tunc tantum recte abesse posse, si nomini etiam praenomen additum esset, unde solemnis haec ellipsis in consulum nominibus; denique non negligendum esse, plerumque casibus obliquis, rarius nominativo nomina propria sine copula reperiri, ratione mihi quidem videntur carere. Quam enim vim praenomen additum aut omissum habeat ad copulanda nomina, quam vim casus obliquus aut directus? Manifestum est, utrum asyndeton admitti possit necne, suspensum esse ex nulla alia re, nisi ex coniunctionis ratione; igitur etiam in nominibus propriis asyndeton revocandum est ad quattuor illa genera, quae ad 11, 2 illustravimus, enumerationem, explicationem, oppositionem sive disiunctionem, complexionem, in quorum nullum hic locus cadit. De re haec annotavit Gerlachius: „Cicero (pr. Sull. 19; in Cat. III, 6) incendia Cassio demandata dicit, et Plutarchus (Cic. c. 18) auctor est, urbem in centum partes fuisse descriptam, quae a centum viris, sorte electis, eodem tempore incenderentur; praeterea aliis imperatum fuisse, ut aquaeductus obstruerent et qui aquas peterent, trucidarent.“ Vix dubium videtur, quin Statilius et Gabinius incendii inflammandi negotium cum Cassio susceperint. Plutarchus unde sua hauserit, non constat; certe Salustio plus

sulem ceterosque, quibus insidiae parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret, eumque vi aggrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus semper quere- 3
batur de ignavia sociorum; illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto in tali periculo opus esse, seque, si pauci adiuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura 4

---

fidei habendum videtur, quam illi. — *quo tumultu*] Facile quis in eam suspicionem adduci possit, ut *quo tumultu* coniungenda (= ut eo tumultu) ex illaque Latinorum consuetudine dicta putet, de quo ad 8, 5 explicavimus; sed facilior altera ratio est, qua *quo* pro particula finali, *tumultu* autem pro ablativo eius generis habetur, quo quod rei perfectionem adiuverit, significatur. Praeterea ex illis, quae ad 15, 1 indicavimus, facile exputabunt tirones, cur *que* ad *ceteros* rectius addatur, quam omittatur; nec minus facile intelligent, verba *quibus* — *parabantur* ab ipso scriptore explicandi caussa adiecta, non ex mentibus illorum hominum dicta esse. — *filii familiarum*] Varro de L. L. VIII, 38 p. 446 Speng.: *si analogias sequi vellent, plures patres familias dicere non debuerunt, sed ut Sisenna scribit, patres familiarum.* Sal. 51, 9 *matres familiarum* scripsit, et praeter hos duos locos nullum aliud earum appellationum exemplum apud eum invenitur.

3. *dies prolatando*] Cfr. Iug. 27, 2: *prolatandis consultationibus*; *dies* igitur apparet esse tempora rei perpetrandae constituta. — De *opus est* vid. ad 1, 6. — *languentibus aliis*] *Alii* apud historicos interdum ibi dictum invenitur, ubi exspectaveris *ceteri* aut *reliqui*, eo tamen discrimine, ut non tam omnes, qui aliis exceptis supersunt, comprehendantur (quod in *reliqui* et *ceteri* inest), quam indefinite, quos quis cogitare velit, significentur. Apud Salustium praeter hunc locum unum repperi exemplum Iug. 58, 3: *locum cepere, paulo quam alii editiorem;* cfr. Caes. B. G. I, 41; Liv. VII. 19, 26. Frequentissimum est *alii omnes:* Cat. 21, 2; 37, 7; 39, 2; Iug. 46, 2; 52, 2; 54, 6; 63, 2 al. — Ceterum ambigi poterit, utrum hi ablativi absoluti cum *si pauci adiuvarent*, an cum sequentibus *impetum in curiam facturum* coniungenda sint; apparet autem opponi *paucos*, qui adiuturi sint, *aliis*, qui langueant.

ferox, vehemens, manu promptus erat; maxumum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant ius iurandum, quod signatum ad civis perferant; aliter haut facile eos ad tantum nego-
2 tium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant, Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante lega-
3 tos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotoniensem mittit, ut Allobroges prius quam domum pergerent, cum Catilina data atque accepta fide

---

XLIV. 1. De *aliter* adverbio vid. ad 29, 3.

2. *eo*] Manifestum est, h. adverbium referri ad praegressum *ad civis;* voluisse igitur Cassium in Galliam proficisci. Is Cassius est *L. Cassius Longinus* (17, 3), qui cum Catilina et Cicerone consulatum petiverat. Quo fugerit quaque fortuna usus sit, non constat. Capitis eum damnatum esse absentem ex Sal. Cat. 50, 4 et Cic. in Cat. III, 6 compertum habemus; sed eum supplicio affectum esse, nemo tradidit; cfr. Drum. l. c. II, p. 160 sq. —

3. *Volturcium*] Sunt, qui Vulturcium verius scribi defendant. At, ni fallor, eadem ratio, qua scribitur *volgus*, *vorto*, similia, ut *o* praeferatur, postulat. Crotona, quae urbs sita erat ad mare Ionia, condita a Graecis Achaeis (Herm. antiq. Gr. p. 170 sq.), nobilissima per societatem a Pythagora illic institutam, Romani post bellum Carthaginiense secundum coloniam deduxerant, ab iisque colonis sine dubio oriundus erat Volturcius (cfr. 17, 4). — *pergerent*] Hoc verbum de itinere suscipiendo et ad finem usque continuando frequentissimum est: cfr. Iug. 20, 8; 23, 2; 47, 1; 52, 5; 54, 6; 56, 4; 59, 1: 69, 1: 71, 4: 74, 1; 79, 5 (ubi vid. nostram annotationem); 90, 3; 92, 3; 94, 1. — *data atque accepta fide*] Recte comparata sunt Graecorum *πίστιν δοῦναι καὶ λαβεῖν, δεξιὰν δοῦναι καὶ λαβεῖν*; cfr. Iug. 81, 1 (*fide data* Iug. 61, 4). Idem significat Liv. XXIX, 23: *data ultro citroque fide. Atque* Gerlachius in ed. mai. fide Erl. Bas. 1. 2. 4. Bern. 1. 2. 3., omn. Leid. Edit. Grut. et Wass. niti monuit; in edit. minore nihil annotavit, ut in libris, ibi comparatis, *atque* esse videatur; *et* Kritzius et Fabrius amplexi sunt. Et apparet quidem, *atque* non falsum esse, cum ea particula hanc vim habeat, ut maius aliquid et gravius praecedenti adiungat, et accepta demum fide, non solum data societas confirmata est; sed non minus recte haec per *et* coniunguntur (ut Iug. l. l.) et per *que*, ut Liv. XXII, 22;

societatem confirmarent. Ipse Volturcio literas ad Catili- 4
nam dat, quarum exemplum infra scriptum est. „*Quis* 5
sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse;

XXVIII, 23; 35. Nos id relinquendum censuimus, quod librorum auctoritate maxime munitum videbatur; cum praesertim ex silentio editorum vix satis certo coniici liceret, *et* in reliquis omnibus legi.

4. Pronomen *ipse* additum est, quoniam quae ad Lentuli personam pertinuerunt, opponuntur iis, quae ad Allobroges spectarunt.

5. Cic. in Cat. III, 5, 12 de litteris illis haecce dicit: *erant autem scriptae sine nomine, sed ita: Qui sim ex eo, quem ad te misi, scies. Cura, ut vir sis, et quem in locum sis progressus, cogita, et vide quid iam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.* Uter verius verba Lentuli tradiderit, Cicero an Salustius, non tantopere ab hominibus doctis dubitatum esset, si reputassent, Ciceronem id quod manifesto docet verbi tempus, quo utitur, *erant scriptae*, ea ex memoria dixisse, non de scripto recitasse. — De discrimine, quod inter pronomina interrogativa *quis* et *qui* intercedat, multum a grammaticis dubitatum est. Diligentissime de eo grammaticae Latinae loco contra Wagnerum, qui in Quaest. Virgil. XXII (T. IV. ed. p. 483—486), apud Virgilium certe *quis* directae, *qui* indirectae interrogationis esse, in ipsis versuum initiis vero aut cum pronomine *quisque* coniunctum *quis* tantum ferri posse contenderat, nuper egit Iahnius ad Virg. Ecl. I, 19 (ed. alt. p. 354—362), eamque sententiam defendit, *quis* Latinos scriptores usurpasse, ubi personae reive substantiam (vel nomen) scire vellent, *qui*, ubi eius qualitatem sive indolem audire cuperent. Quod praeceptum quamquam ratione satis confirmatur, tamen num ab omnibus scriptoribus observatum sit, nondum videtur constare; maximeque dubitari licet, annon ante sibilantem litteram *qui* quam *quis* scribere maluerint; qua de re tum demum diiudicari poterit, cum omnes omnium scriptorum codices accuratissime excussi fuerint. Apud Salustium, qui ad eam quaestionem aliquid momenti afferat, nullum equidem locum praeter hunc ipsum inveni; is autem cum plurimi libri *qui* exhibeant, *quis* vero tantum in Eins. et in Turic. 1 supra lineam scriptum esse testatum sit, illorum sententiae videtur favere, qui σιγματισμὸν illum ex elegantiorum scriptorum operibus tollendum arbitrantur; sed cum nondum compertum habeam, num omnes neque a quo tempore talem elegantiae legem Romani sibi scripserint, cautius esse existimavi, *quis*, regulae illi, quae optime rationi congruit, concinnum, retinere. — De perf. *misi* adeas Z. § 503; Rsh. § 164, 1, p. 594; de *fac cogites* Z. § 586 extr.; Rsh. § 167,

consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas
6 *ab omnibus, etiam ab infimis.*" Ad hoc mandata verbis dat: „*Quom ab senatu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quae iusserit; ne cunctetur ipse propius accedere.*"

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus L. Valerio Flacco et C. Pomptinio praetoribus imperat, ut in ponte

---

N. 1, p. 619. — *rationes*] *Rationes* sunt omnia, quae quis in consilio perficiendo sequi debeat („*die Interessen*"); cfr. 56, 5: *alienissumum suis rationibus existumans;* Cic. Corn. II, 7 (p. 448 Orell.): *Qui aliquid institui exemplum temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus cupierunt.*

6. De eadem re Cic. in Cat. III, 4, 8: *Tum ille* (Volturcius), inquit, *cum vix se ex magno timore recreasset,* [*dixit*] *a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum praesidio uteretur et ad urbem quam primum cum exercitu accederet.* — *Verbis*] Opponuntur mandata verbis data mandatis perscriptis. Cfr., quem Fabrius comparavit locum, Cic. ad Fam. X, 8, 5: *Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti atque strenuo, plura etiam verba, quam scripturae mandata dedimus, ut et tectius ad vos perferrentur, et nos essemus tutiores.* Manifestum autem est, Lentulum veritum fuisse, ne haec perscripta, quoniam apertius ad bellum civile spectarent, atque in urbe aliquid paratum esse, indicarent, si ab adversariis interciperentur, culpae ipsum convincerent; in litteris illis certe nihil erat, quod aperte ad coniurationem bellumque civile pertineret. Hoc igitur prudenter fecit, sed maxima eius temeritas deprehenditur in eo, quod ut Allobrogibus, ita Volturcio, paucis diebus ante ad coniurationem accito, necdum spectatae fidei, tam grave munus mandavit.

XLV. 1. *nocte*] Eam noctem fuisse inter d. IV et III ante Nonas Decembres, commonstravit Drum. l. c. T. V, p. 490. — *L. Valerius Flaccus*, postea repetundarum reus, a Cicerone defensus est oratione ea, quae nobis conservata est, cuius cap. 40 et 41 hae res commemoratae sunt. — *C. Pomptinius*, in bello Spartacico legatus Crassi fuit (Plut. Crass. 11; Drum. IV, p. 80); a. 61 Allobroges devicit ex iisque triumphum reportavit (Drum. III, p. 228); postea Ciceronis in Cilicia legatus fuit. Ceterum in eo nomine, ubicumque commemoratur, multum variant libri; cfr. Cic. pr. Flacc. 40, 102; in Cat. III, 2, 5; de prov. cons. 13, 32; ad Fam. II, 15, 4; III, 3, 2; 10, 3; XV, 4, 8. Ac primam qui-

Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Illi, homines mili- 2

---

dem syllabam *Pompt* scribendam esse, ubique, qui maxima fide sunt, libri testantur, ultimam autem in *ius* recte terminari, cum omnibus in locis, quos commemoravi, nonnulli, tum h. l. Tur. 1. Quare cum nomen gentile fuisse veri simillimum sit (cognomen enim si fuisset, nusquam gentile commemoratum esse iure miraremur), non dubitavi cum Orellio *i* interserere, quod ab omnibus librariis, etiam optimis omissum esse, nemo mirabitur, qui tales terminationes per compendia scribi solitas esse, reputaverit. Nomen eiusdem esse originis atque *Pomptinae paludes*, facile est ad videndum. — *Pons Mulvius* in Tiberi ad tertium lapidem (ab antiquissima urbe; cfr. Mannert. Geogr. T. IX, 1, p. 597) factus erat ab M. Aemilio Scauro; inde initium cepit via Flaminia, quae per Etruriam in Galliam ducebat. Lentuli temeritatem eo quoque nomine iure vituperat Drumannus l. c., quod, cum omnia a consule custodiri sciret, tamen illos consueto itinere proficisci passus sit; nisi forte veritus est, ne, si alia quam consueta via iter facerent, id ipsum suspicionem moveret. — *comitatus*] Pluralem equidem non dixerim propterea positum esse, quod singulos legatos alium alii comitati sint (quae Herzogii sententia est), sed quod varia genera famulorum atque rerum secum habebant. Eadem ratione in re militari plurali *comitatus* significatur agmen, in quo et milites incedunt, et arma commeatusque portantur; cfr. Caes. B. C. I, 48, 3; 51, 1. — *deprehendere*] Verbum solemne est de iis, qui in aliqua re perficienda comprehenduntur; tum de iis, qui ex fuga retrahuntur, in itinere capiuntur, in scelere perpetrando circumveniuntur; cfr. 46, 2; 48, 4; 50, 4; 52, 25; Iug. 35, 6. Quare etiam de rebus dicitur, quae cum aguntur, manifestae fiunt; Cic. in Cat. III, 2, 4. — *cuius gratia mittebantur*] Haec ab scriptore explicandi caussa interposita, non ex Ciceronis mente dicta esse, apparet ex indicativo imperfecti.

2. Hanc rem Cic. in Cat. III, 2, 5 his verbis enarrat: *Itaque hesterno die L. Flaccum et C. Pomptinium, praetores, fortissimos atque amantissimos rei publicae viros, ad me vocavi, rem omnem exposui, quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia praeclara atque egregia de re publica sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et cum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Rea-*

tares, sine tumultu praesidiis collocatis, sicuti praeceptum

---

tina complures delectos adolescentes, quorum opera in re publica assidue utor, praesidio cum gladiis miseram. (Ea praefectura sub Ciceronis tutela erat; cfr. Drum. l. c. p. 481, n. 89.) *Interim tertia fere vigilia exacta cum iam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent unaque Volturcius, fit in eos impetus; educuntur ab illis gladii et a nostris. Res erat praetoribus nota solis, ignorabatur a ceteris. Tum interventu Pomptini atque Flacci pugna, quae erat commissa, sedatur. Literae, quaecunque erant in eo comitatu, integris signis praetoribus traduntur; ipsi comprehensi ad me cum iam dilucesceret, deducuntur.* — Iam in loco Salustiano plurimi libri exhibent *illis*, multo pauciores *illi*. Unde tria exstiterunt genera scribendi, primum: *ita agant. Permittit illis homines militares;* alterum: *ita agant permittit illis. Homines militares sine tumultu* —; tertium: *ita agant, permittit. Illi, homines militares, sine tumultu* —. Quorum in primo vituperandum est, quod omnis oratio mirum quantum abrupta atque hiulca evadit, cum inter membra *permittit illis h. m.* et *sine tumultu* cet. nullum sit vinculum, et quod, quamquam id minoris momenti est, verbum, unde pendeat coniunctivus *agant*, ex illis *omnem rem aperit* vix commode desumetur. Accedit, quod Cicero, quamquam permisit illis adolescentes Reatinos, tamen ab ipsis viros fortissimos eductos esse testatur et *homines militares*, id quod iam Cortius monuerat, non sunt milites, sed homines militiae bellique periti, ut decent loci 59, 6; Liv. XXIV, 23, 10; XXV, 26, 10; XLII, 33; Tacit. Ann. XV, 10; Histor. II, 75; III, 73; Agric. 41. Ex quibus omnibus apparere mihi quidem videtur, et *permittit* cum *agant* coniungendum esse et *homines militares* dici praetores, quorum Pomptinium certe iam tum multum in bellis versatum fuisse, ea, quae postea praeclare gessit, testantur. Ciceronis testimonio hac in re vix pro satis certo utaris, cum epitheton *fortissimos viros* non minus ad animi constantiam civilemque virtutem, quam ad rei militaris peritiam bellicamque audaciam pertinere possit. Quae cum ita sint, qui *illis* probabunt, id cum *permittit* coniungant, necesse est. Id ferri posse, neutiquam negaverim. Nam cum aperte oppositio sit inter eam rem, quam ut exsequerentur, Cicero imperaverat, ut integras litteras ad se deferrent et cetera, quae, cum ex rerum eventu penderent, praetorum ipsorum consilio ac prudentiae permittenda erant, *illis* non sine vi quadam in fine sententiae poni apparet: nec, credo, quisquam haec legens, *homines militares* praetores dici non sentiret. Sed ut haec concedamus, multo tamen praestat ea ratio, qua *illi*, quod antiqua auctoritate neutiquam desti-

erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati 3

tutum est, cum *homines militares* coniungitur. Nam per se quidem *illis*, maxime in fine sententiae collocatum, nemo requiret; tum *homines militares*, sic nude ad praetores relatum, habet aliquid duri atque inconcinni, cum, ut rectissime observavit Kritzius, cum ceteri scriptores, tum Salustius pronomine *ille* uti consueverit, ubi quod antea obiectum fuit, subiectum fit. Vid. 59, 5: *M. Petreio Legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas* cet.; Iug. 103, 3: *Eos ad Marium ac dein, si placeat, Romam legatos ire iubet; agendarum rerum et quocumque modo belli componendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur* cet.; coll. Cat. 52, 3; Iug. 25, 6; 58, 5; 20, 5; 56, 2; 12, 3. — *obsidunt*] Vid. ad Iug. 91, 4.

3. *ad id loci*] Vid. Z. § 434; Iug. 75, 5; 63, 6 (*ad id loci* de tempore dictum); 72, 1 (*post id locorum*); 102, 1 (*postea loci*). — *venere*] Ita nonnulli codd. (Bas. 1), alii *venerunt* (Leid. omnes, Bas. 2. 3. 4. Tur. 1. [ptel.]); *veniunt* duo Wassii. At vehementer equidem dubito, num umquam Salustius tertia persona pluralis pf. act., in *erunt* terminata, usus sit. Formae *ere* haec sunt exempla: *accepere* Cat. 21, 1; Iug. 101, 7; *accessere* Iug. 18, 9; *addidere* Iug. 18, 12; *aestumavere* Fragm. p. 212, 23 (ed. Gerl. min.); *agitavere* Cat. 38, 3; *animum advortere* Iug. 69, 1; Fragm. 211, 24 (?); *appellavere* Iug. 18, 7; *arsere* Fragm. 211, 15; *ascendere* Iug. 25, 5 (nisi forte ibi pro infinitivo historico habere malis); *avortere* Fragm. 231, 21; *celebravere* Iug. 85, 36; *cepere* Iug. 58, 3; *clausere* Iug. 69, 1; *coaluere* Iug. 87, 3; *coepere* Cat. 2, 2; 7, 1; 12, 1; 38, 1; 51, 29; 40; Iug. 41, 5; 42, 1; Fragm. 184, 1; 223, 17; 226, 2; *coëgere* Iug. 91, 5; *cognovere* Iug. 91, 5; *coluere* Iug. 85, 43; *concessere* Iug. 12, 2; 18, 12; 210, 12 et 20; *condidere* Cat. 6, 1; Iug. 19, 1; *condonavere* Iug. 79, 9; *coniuravere* Cat. 18, 1; 52, 24; *consecravere* Iug. 79, 10; *consedere* Iug. 98, 5; *constituere* Cat. 28, 1; *convenere* Cat. 6, 2; 17, 3; Iug. 11, 2 (*convenerunt* in ed. mai. Gerl. ex Bas. 1. 4. Bern. 1. 3. notatum est; in ed. min. recepit *convenerunt* et notavit *convenere* ex 1.); *corrupere* Iug. 18, 10; *decessere* Iug. 20, 1; *decrevere* Cat. 30, 6 et 7; Iug. 28, 2; *dedecoravere* Iug. 85, 42; *defluxere* Iug. 1, 4; *deliquere* Cat. 51, 12; 52, 26; Iug. 85, 4; *deseruere* Fragm. 206, 25; *dimisere* Cat. 51, 5; *diripuere* Fr. 232, 5; *discessere* Iug. 25, 11; *discubuere* Fr. 216, 19; *dixere* Iug. 4, 2; 95, 2; *duxere* Fr. 232, 4; *effecere* Fr. 232, 1; *eguere* Cat. 51, 37; *enumeravere* Cat. 51, 9, *evasere* Iug. 14, 9; *exarsere* Fr. 206, 3; *expulere* Iug. 14, 8; *fecere* Cat. 3, 1; 6, 7; 8, 3; 11, 7; 12, 3; 51, 4; 6; 42; Iug.

cum Volturcio venere et simul utrimque clamor exortus est,

31, 6; 10; 26; 32, 2; Fr. 196, 6; 208, 10; *foedavere* Fr. 237, 12; *fregere* Cat. 55, 5; Fr. 238, 2; *fuere* Cat. 3, 3; 5, 2; 8, 2; 10, 2; 17, 7; 22, 1; 23, 6; 36, 4; 39, 5; 52, 21; 53, 6; 54, 1; 61, 8; Iug. 8, 1; 14, 10; 19, 1; 25, 1; 32, 3; 36, 3; 79, 2; 106, 6; Fr. 202, 9; 206, 19; *habuere* Cat. 6, 1; 41, 1; 51, 11; Iug. 18, 1; 5; 9; 19, 3; 31, 9; 85, 41; 114, 2; Fr. 217, 25; *iere* Iug. 79, 5; *imposuere* Cat. 51, 28; *incessere* Iug. 41, 3; *incidere* Fr. 224, 19 (?); *interiere* Iug. 17, 6; 52, 4; *invasere* Cat. 2, 3; 12, 2; Iug. 39, 1; Fr. 224, 1; 238, 6; *irrupere* Iug. 12, 5; 38, 6; *mansere* Iug. 77, 3; *maturavere* Iug. 79, 5; *meminere* Cat. 51, 15; *miscuere* Iug. 18, 7; *misere* Iug. 13, 7; *monuere* Iug. 102, 5; *narravere* Fr. 212, 2; *novere* Cat. 51, 12; *nuntiavere* Iug. 93, 7: *occidere* Fr. 231, 27; *occoepere* Fr. 224, 15; *occupavere* Cat. 46, 2; Iug. 18, 4; 31, 12; 17; 38, 7; Fr. 187, 15; 210, 15; *odere* Cat. 37, 3; *pependere* Iug. 76, 6; *periere* Fr. 219, 21; *perrexere* Fr. 201, 15; *pertimuere* Fr. 213, 4; *pervenere* Fr. 223, 19; *petivere* Iug. 102, 2; *placuere* Iug. 104, 2; *possedere* Iug. 18, 11; *postulavere* Cat. 21, 1 (nisi cui magis placet eo loco infinitivus historicus); *posuere* Iug. 17, 3; *potuere* Cat. 8, 4; 49, 1; Iug. 60, 7; *prodidere* Iug. 31, 18; Fr. 231, 28; *provenere* Cat. 8, 3; *reliquere* Cat. 20, 8; Iug. 85, 38 bis; Fr. 210, 18; *sedere* Fr. 205, 11 (?); *scripsere* Cat. 3, 1; *servavere* Cat. 52, 28; *simulavere* Iug. 85, 9; *sumpsere* Fr. 231, 18; *temptavere* Fr. 216, 8; *transiere* Cat. 2, 8; Iug. 38, 6; *transtulere* Iug. 31, 14; *valuere* Cat. 51, 40; *venere* Iug. 13, 7; *videre* Cat. 13, 1; *voluere* Fr. 207, 6. Horum locorum quamquam in nonnullis variatum est in libris, nusquam tamen (praeter Iug. 11, 2) forma *erunt* librorum fide munita est. Contra hunc tantum numerum in Catilina et Iugurtha octo pugnant loci: *consenuerunt* Cat. 20, 10; is locus, a quo exorsi sumus; *dixerunt* Cat. 51, 9; *sumpserunt* Cat. 51, 38; *appetiverunt* Iug. 14, 5; *quiverunt* Iug. 58, 3; *profuerunt* Iug. 85, 32; *cognoverunt* Iug. 87, 4. Et iis locis quidem nulla caussa excogitari poterit, cur Sal. forma *erunt* quam *ere* uti maluerit. Quare h. l. non dubitavi *venere* scribere cum nonnullis libris, cum praesertim Iug. 13, 7 eadem forma legatur; nec Cat. 51, 9 *dixerunt* reliqui, cum optimus liber Vatic. a *dixere* exhibeat et duobus aliis locis ea forma certa sit; nec magis reliquos locos corrigere dubito, cum ex tanto contrariorum exemplorum numero satis certo concludi liceat, Salustium formam *ere* solam probasse. Nec tamen omittam, nonnumquam in libris formam *erunt* inveniri, ubi apertus error aut manifesta correctio est (vid. varr. lectt. ad Cat. 9, 11; 51; 52; Iug. 4, 17;

Galli, cito cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt; Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a 4 multitudine defendit, deinde ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinium obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens velut hostibus sese praetoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios consuli declarantur. At illum ingens cura atque 2 laetitia simul occupavere; nam laetabatur, intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse; porro

---

75; 77). In fragmentis undecim formae *erunt* exempla notavi *lacessiverunt* 232, 11; *occanuerunt* 198, 1; *decreverunt* 191, 26; *corruperunt* 192, 12; *maturaverunt* 195, 28; *reliquerunt* 230, 13; *conciderunt* 238, 22; *incurrerunt* 237, 10; *fuerunt* 220, 3; 230, 15; 236, 3; quorum plerisque prorsus nihil tribuendum, cum Grammaticos et alios scriptores talia ex memoria, non de scripto protulisse constet. — *et simul*] Salustius consuetudine sua, quae artius coniungi poterant, separatim posuit. Nam haec sic fortasse alius scriptor dixisset: postquam, simulatque legati in pontem pervenerunt, clamor utrimque exortus est. *Utrimque* apparet esse et a fronte et a tergo. In *exorior* inesse repentini notionem bene monuit Fabrius coll. Iug. 53, 8; Cic. Off. III, 9; Liv. I, 14. — *cito cognito consilio*] Etiam Cic. l. l. Gallos consilium ignorasse declarat. Quod Drumannus l. c. suspicatus est, illos a Cicerone quid in consilio haberet, certiores factos fuisse; sed quo loco et tempore quaque ratione id fieri vellet, nescivisse, Salustii verbis non repugnaret; sed utique in incerto est relinquendum. At cum Cicero aperte narret, illos arma cepisse et praetores demum pugnam diremisse, etiam apud Sal. in verbis illis paulo obscurioribus hanc sententiam esse statuo, Galli postquam [per praetores] cito, quid ageretur, cognoverunt, iis se tradunt.

4. Post *tradunt* minorem interpunctionem posui, cum aperte sibi opponantur Galli et Volturcius, itaque, quae de hoc dicta sunt, non minus apodoseos pars sint, quam quae de illis. — *multa obtestatus*] Cfr. ad 27, 4. In *obtestari* duplex notio continetur et dicendi et precandi; quare hoc dicitur: multis verbis, per multas res Pomptinium obtestatus. In extremo enuntiato *dedit* praesens verbi *dedo* esse, inde apparet, quod etiam quae praecedunt praesente tempore narrata sunt.

XLVI. 2. *porro*] Hoc adverbium, cognatum cum praepositione *pro* et contrarium adverbio *retro*, proprie est: in anteriorem

autem anxius erat, dubitans, in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae rei publicae fore credebat.

---

partem, et dicitur de motu, qui ex aliquo loco longius continuatur; unde transfertur ad continuationem orationis significandam; cfr. Iug. 28, 6: *Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde in Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae;* 25, 7: *Timebat iram senatus, ni paruisset legatis; porro animus cupidine caecus ad scelus rapiebat.* — *quid facto opus esset*] *Opus est* a Salustio semper cum abl. neutr. part. pf. pass. coniunctum esse, iam alio loco observavimus; at magis mirum est, quod hic cum participio iunctum est *quid*, praedicati *opus est* subiectum; duplex igitur constructio in unam confusa est. — *perdundae rei publicae*] Qui praecedit dativus, *oneri*, multos in eum errorem induxit, ut *perdundae rei publicae* necessario dativos putandos esse statuerent. At quemadmodum dici nequit: *est mihi hoc onusto;* sic non magis: *est hoc rei publicae perdundae.* Nec quidquam valet, quod Herzogius ad confirmandam suam opinionem attulit, *perdundae* cum id, quod futurum esset, significaret, non posse pro qualitate (barbare loquor) rei publicae tribui, igitur hunc locum diversum esse a 6, 7, ubi de re praeterita dictum esset. Quod cum scriberet vir doctissimus, immemor fuit eorum exemplorum, quae ad 6, 7 commemoravimus, neque intellexit, *perdundae* non esse quidem qualitatem rei inhaerentem; sed talem, quae extrinsecus inferatur necesse sit. Ceterum post dativum porro genitivum cum *fore* coniunctum esse, non mirabitur, qui Salustii ingenium loquendique consuetudinem noverit. Ceterum de asyndeto vide, quae ad 17, 7 monuimus. De iis vero, quae scriptor h. l. narravit, Drumannus l. c. p. 491 sic iudicavit: „*Man begreift nicht, wie er verlegen sein konnte, als der Wurf gelungen war. Dass angesehene Männer, selbst Patricier, wie die Cornelier, Lentulus und Cethegus sich mit Catilina verbunden hatten, erfuhr er nicht erst jetzt; auch war er über ihr Schicksal längst mit sich einig* (provocat vir doctissimus ad Cic. in Cat. II, 12 extr. et 13 et ea, quae ipse postea fusius p. 510 sqq. exposuit); *die Furcht vor Feindschaften und Rache sollte ihn nicht an der äussersten Strenge hindern. Die Alten lesen in entscheidenden Augenblicken gern in der Seele ihrer Helden; sie leihen ihnen dann aber oft Gedanken, welche nicht zu ihrer Erzählung stimmen; in Caesar's Geschichte drängen sich solche unglückliche Versuche und auch Cicero wird von Salust zur Unzeit auf den Scheideweg gestellt.*" Lubenter equidem viro doctissimo largior, haec a Salustio ficta, non ex litteris hausta aut ab aliis, qui illis rebus

Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, 3
Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Caeparium quem-

---

interfuerunt, accepta esse; at importune ficta esse haud ita facile concesserim. Primum enim, cum Cicero antea publice Catilinae sociisque eius mortem minitatus erat, magis quo illos terreret, quam quod illud iam constituisset, fecisse videtur. Tum quamquam sibi iamdudum persuasum habebat, scelestos illos homines nefariis suis facinoribus ac consiliis capitis poenam meruisse, nullaque re, quam illorum morte, et celerius et tutius tanto periculo eripi posse rem publicam, tamen dubium non est, quin multos esse, qui illos, nisi conservatos, certe lenius punitos cuperent, quique ex nece illorum sibi gravissimam invidiam conflaturi essent, providerit, id quod recte eum providisse cum iam tum in senatu apparuit, tum postea summo cum suo dolore expertus est. Et quis homo est, qui quamvis certissimum habeat, quid in summo discrimine agere et debeat et velit, tamen, ubi iam adest discrimen, non angatur paululumque haesitet? Profecto Cicero non is fuit, qui tali in re sui periculi oblivisceretur, id quod declarat luculentissime oratio eius Catilinaria quarta. Quare tantum abest, ut haec importune a Salustio ficta esse censeam, ut vere ab eo tradita esse putem, quae Cicero mente sua agitaverit. Et si ex ullo loco, ex hoc manifestum fit, Ciceronis laudibus ab illo non obtrectatum esse; quippe qui eum non caeco quodam furore ad crudelissimam poenam ab illis sumendam abreptum esse, sed quid periculi sibi ipsi immineret, non immemorem, tamen rei publicae saluti sua commoda posthabuisse narraverit.

3. Cicero l. l. haec sic narrat: *Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me nihil dum suspicantem vocavi. Deinde item arcessitur L. Statilius et post eum C. Cethegus. Tardissime autem Lentulus venit, credo, quod literis dandis praeter consuetudinem proxima nocte vigilarat.* Bene autem Drumannus monuit, quam temerarii, ne dicam insani, illi homines fuerint, qui cum ad consulem vocarentur, nihil de indicio facto suspicarentur. Est id profecto sapientissime ita a Deo institutum, uti, qui scelera agant, quasi occaecati sint; sed redundat inde aliqua laus etiam in Ciceronem, qui et tam celeriter, et ita illos ad se deducendos curaverit, ut nihil de patefacta coniuratione antea cognoscere possent. Quod nisi cavisset, illi ut Caeparius aufugissent. — *itemque Caeparium quemdam*] Gerlachius in edit. mai. haec annotavit: „*que* omisit Guelf. 1. Ac. Tur. 1. Bern. 3. — *Q.* ante *Caep.* addit Rem. 1. *item Caep. quemdam* Tur. 1. Bern. 3. *quemdam* addunt inc. 2. Struv. Bas. 3. 4. Guelf. 1. 7. 8.;“ in ed. min.: „*itemque*

dam Tarracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia

---

bel. *quendam* C. pt." Ex quibus alii iudicent, num ea scriptura, quam ego exhibui, magis a libris munita sit, an, quam amplexi sunt Gerl. et Orell., *item quemd. Caep.* Illam ut sequerer, his potissimum rationibus motus sum. Primum, quamquam *item*, aliud quoddam ad alia accessisse significans, plerumque sine copulativa particula ponitur (vid. ad 27, 2); tamen *que* adiunctum habet his locis: Cat. 30, 7: *itemque decrevere;* 47, 3: *Lentulus itemque ceteri;* 53, 1: *consulares itemque senatus magna pars;* Iug. 19, 7: *praeter nomen cetera ignarus populi Romani itemque nobis neque bello neque pace antea cognitus;* et apparet in his locis magis aequitatem urgeri, quam ubi *que* omisso *item* nihil fere significat, nisi *praeterea, ad hoc.* Iam hoc loco magis urgendum fuisse Caeparium eodem modo, quo ceteros, ad consulem vocatum esse, cum ille solus non venerit, quis non videt? Deinde *quidam* a Salustio postpositum est 24, 2: *ad Manlium quemdam;* 27, 1: *Septimium quemdam Camertem;* 59, 3: *Faesulanum quemdam;* Iug. 35, 1: *Numida quidam, nomine Massiva:* cui loco prorsus similes sunt 65, 1; 108, 1; praeterea Iug. 71, 3: *Numida quidam;* 77, 1: *Hamilcarem quemdam hominem nobilem;* antepositum est Cat. 48, 3: *quidam L. Tarquinius;* 49, 2: *propter cuiusdam Transpadani supplicium;* Iug. 68, 2: *in quamdam planitiem;* 93, 2: *forte quidam Ligys.* Quos locos si diligentius consideraveris, invenies, anteponi *quidam*, ubi alterum ad accuratius definiendam rem accedat, cum etiam abesse possit (ita 48, 3 sententia est: quidam, nomine L. Tarquinius; quod quomodo de Iug. 68, 2 valeat, eo ipso loco dicemus); contra postponi, ubi necessario nomen sit commemorandum, scriptor vero ad accuratius rem definiendam quidquam addere aut non possit, aut nolit. Quae si vera sunt, hoc loco postponendum fuisse apparet. — Ex libris certo videtur constare, Caeparium illum *Tarracinensem*, non *Tarraconensem* (*Tarracone*, urbe Hispaniae citerioris, oriundum) fuisse. Tarracina autem urbs Latii fuit, a Pelasgis condita, postea a Volscis expugnata atque Anxur nominata (Nieb. H. R. II, p. 524; Mannert. Geogr. T. IX, 1, p. 626). Antiquiorem scripturam fuisse *Tarracina*, postea demum *Terracina* in usum venisse cum certum sit, illam formam, quae in p. et t. m. 1. inventa est, amplexus sum. Ceterum cum Cicero l. c. 6, 14 dicat haec: *in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam indicatum erat*, tenendum est, in Apulia divites Romanos in latis *pascuis* maximas greges habuisse, quae per servos custodiebantur (Mannert. l. c. T. IX, 2, p. 4). *Concitare* eodem modo dictum est 35, 3, neque significatione diversum a *sollicitare* (vid. ad 24, 4).

proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt; Caeparius, 4
paulo ante domo egressus, cognito indicio ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu 5
tenens [in senatum] perducit, reliquos cum custodibus in

---

4. *indicio cognito*] Commode Herzogius tirones monuit, sententiam non esse: cognitis quae indicata essent; sed: cum de coniuratione indicium factum esse cognovisset. *Indicium* et *indicare* solemnia erant de iis, qui de sceleribus aut commissis, aut susceptis, quae nossent, ad magistratus deferebant; cfr. 48, 6, 7; 50, 1; 52, 36; Iug. 31, 18; 32, 1; 35, 6; 73, 1; Cat. 30, 6; 48, 4, 6. — *ex urbe*] Cum in Bas. 1. haec verba supra lineam scripta, in Fabr. 1. alio loco, sed eadem manu addita essent, Gerlachius et Orellius uncis incluserunt; at mea quidem sententia paene necessaria sunt, cum haec dici oporteat: Caeparium iam ante quam consulis apparitor (sive lictor) venisset, domo sua egressum fuisse et cum de indicio facto cognovisset, ex urbe profúgisse; igitur eum neque domi, neque in urbe deprendi potuisse.

5. Cicero l. c. 3, 7 narrat, sese a summis et clarissimis viris, qui audita re ad se mane venissent, monitum esse, ut literas prius aperiret, quam ad senatum deferret, ne si nihil inventum esset, temere tantus tumultus civitati iniectus videretur; id vero se facere noluisse; ad quod commotus mihi quidem videtur esse, et quod illis literis coniuratos convictum iri sciret, et ne quis subditas ab eo literas aut vitiatas suspicaretur. Ciceronem non attigisse scrinium, in quo literae essent, recte ex ultimis huius capitis verbis collegit Drum. l. c. p. 492. Praeterea idem 3, 8 narrat, quod omisit Salustius, admonitu Allobrogum a se C. Sulpicium praetorem missum esse, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret, ex quibus ab illo maximum numerum sicarum et gladiorum elatum esse. — Verba *in senatum*, quae Cortium secuti Kritzius et Fabrius spuria iudicaverant, patronum nacta sunt Gerlachium (praef. ed. min. p. XXVI), cui tacite assensus est Orellius. Equidem quamvis non magni illud faciam, quod in nonnullis Rivii et Wassii codicibus omissa haec verba dicuntur, tamen infirmis ea argumentis impugnata esse, haud facile concesserim. Nam cum scriptoris probi sit, omnia eo ordine narrare, quo facta sint, quis est, qui iniuria vituperatum Salustium censeat, quod prius in senatum perductum Lentulum commemoraverit, quam senatum convocatum esse? Contra quae Gerlachius cum haec scripserit: „*in senatum perducere* in universum dictum, ut morem magistratus interrogandi explicaret et illustraret. Et quis est, qui hoc recte dici neget, sive senatus convenerit sive postea convenerit? Quamvis igitur postea demum locum significet, in quem

6 aedem Concordiae venire iubet. Eo senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis introducit; Flaccum praetorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem afferre iubet.

---

senatus convenerit, nemo hoc cum prioribus pugnare contendat;“ si recte percepi eius sententiam, verba *in senatum perducit* ita dicta esse voluit, ut sententia esset: Lentulum perducit, ut in senatu de coniuratione interrogaretur. At, quamvis illud ex omnibus intelligatur, consulem captivos interrogaturum ac quaestionem instituturum fuisse, tamen verba *in senatum perducere* nihil aliud significare possunt, nisi: aliquem perducere in eum locum, in quem senatus convenit, non: in quem senatus conventurus est. Ceterum facile intelligitur, quaenam caussa fuerit, cur locus corrumperetur. Cum enim ex ea Latinorum scriptorum consuetudine, quam ad 30, 6 illustravi, ex altero membro verba *in aedem Concordiae* ad primum assumenda essent, id librarii non perspicientes *in senatum* ascripserunt. Verbis *in senatum* autem etiam illud obstat, quod, qui hunc locum primum legat, senatui habendo alium locum a Cicerone constitutum fuisse atque aedem Concordiae, credere possit. Aedem Concordiae eam fuisse, quam Camillus dedicavit, supra forum ad Capitolium sitam, demonstravit Drum. l. c. p. 492, n. 76.

6. *magnaque frequentia eius ordinis*] Ablativus exprimit, quod fuit, cum res fieret. Comparavit Kritzius Sueton. Aug. c. 97 init.: *cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet*. — *cum legatis*] Discrepat Sal. a Cicerone l. c. 4, 8, qui Volturcium introductum esse sine Gallis testatur. In quo ne Sal. errasse videretur, Kritzius *cum* praepositione censuit nullam temporis et loci coniunctionem significari, sed eam simpliciter pro *et* positam esse, quae sententia minime confirmatur iis, quae ad 43, 1 dicta sunt. Salustium errasse eo facilius concedam, quod illud recte ac vere narravit, Volturcium seorsim a Gallis interrogatum esse. „*Introducit* verbum ostendit, Gallos et Volturcium, donec interrogarentur, in aedis parte substitisse a consultandi loco seiuncta. [Equidem etiam coniuratos crediderim, sed singulos separatim, custoditos esse, ne colloquendi esset potestas; quod si verum est, confirmatur sententia, quam, de verbis *in senatum perducere* ab aliis editam, supra nos defendimus.] Senatus enim eo loco habebatur, quae quoniam Dei Deaeve simulacrum continebat, *cella* vocabatur; cfr. Drakenb. ad Liv. V, 50, 6. *Cellam Concordiae* memorat Cic. Phil. II, 8, 19 et III, 12, 31, quibus locis Ernestius in Clav. Ciceron. *cellam* minus accurate pro *templo* positam censet.“ Kritz.

XLVII. Volturcius interrogatus de itinere, de literis, postremo quid aut qua de caussa consili habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia uti gesta erant aperit,

---

XLVII. 1. *quid aut qua de caussa consili habuisset*] Cfr. ad 21, 1. Duri aliquid in hac constructione inesse quibusdam visum est, quod *consili* genitivus, qui pendeat a *quid*, interpositis verbis *aut qua de caussa* ab eo separatum sit. At, si plene haec dicenda essent, certe non scriberetur: quid consili aut qua de caussa id consilium habuisset; sed: id consili. Quare cum genitivus recte pendatur ab eo, quod mente supplendum est, sine vitio orationis postponi potuit. — *fide publica*] „Ablativi non sunt instar enuntiationis integrae, sed ad verbum pertinent, ita ut modus dicendi indicetur, quasi dictum foret *cum fide publica*; cfr. Z. § 472. *Fides* autem *publica* est promissio, civitatis auctoritate facta, aliquem impunem aut tutum et securum fore; cfr. 48, 4; Iug. 32, 1, 5; 35, 7." Kritz. — *omnia uti gesta erant*] Haec verba non solum ad iter Volturcii, literas, mandata, sed ad ea omnia spectare, quae de coniuratione cognovisset, cum ea, quae praecedunt, demonstrant: *fingere alia, dissimulare de coniuratione*, tum sequentis capitis § 4. Omnino cum interrogatus esset, *quid aut qua de caussa consili habuisset*, non solum quid muneris, sed etiam quibus rebus obstrictus suscepisset, quam ob caussam ea sic instituta essent, enarrare debebat. Sic demum concinit hic Salustii locus cum Cic. in Cat. III, 4, 8: *id autem eo consilio, ut cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientes exciperet et se cum his urbanis ducibus coniungeret.* Quae quamquam Cicero non de scripto, sed ex memoria retulit, tamen falsa esse prorsus est incredibile, cum neque memoria facile labi posset is, qui maxima esset ingenii vi et summa reminiscendi exercitatione, et, si decepisset populum, sibi suaeque caussae plurimum nocuisset. Nec magis tamen dubitari potest, quin Salustius omnia, quae tum in senatu acta erant, accurate noverit, cum et ipsum Romae tum affuisse credibile sit, et quae Volturcius, Galli, coniurati responderant, a Cosconio, M. Messala, Nigidio Figulo, Appio Claudio iussu consulis perscripta, deinde in multa exemplaria transscripta, per Italiam et provincias divulgata esse constet (Drum. l. c. p. 494 sq.); in quibus quae vitiata fuisse non sine magna quadam veri specie contenditur, a Salustio prorsus omissa sunt. Quae si vera sunt, apparet *docetque* non ad notionem verbi *aperit* accuratius exponendam additum esse; sed hoc dici: postquam omnia, uti gesta erant, aperuit,

docetque se paucis ante diebus a Gabinio et Caepario socium ascitum, nihil amplius scire quam legatos; tantum-

---

tum praeterea docet. Illa quidem breviter significasse satis habuit scriptor, ne eadem iterum enarraret. — *se nihil amplius scire quam legatos*] Haec verba quicumque primo legerit, vix alia ratione, credo, accipiet, quam: se nihil amplius scire, quam quod etiam legati scirent. Sed id dici non potuisse multi contenderunt, cum ineptum esse arbitrarentur, se nihil aliud quam legatos scire dicere eum, qui, quid illi scirent aut nescirent, nullo pacto cognitum habere posset; tum non recte eum, qui de se ipso interrogatus esset, de aliis respondere, qui neque simul interrogati essent, neque in eadem caussa versarentur; postremo ex 40, 6 et 44, 1 patere, legatos multo plura quam Volturcium scivisse. Quibus caussis motus Herzogius locum sic interpretandum censuit: „*er wisse weiter nichts, als um die Gesandten*," quae interpretatio et Latini sermonis et perspicuitatis legibus repugnat. Quod sentiens Kritzius, alteram viam, quam idem Herzogius praeiverat, ingressus, sensum esse dixit: se praeterquam quod legatos sciat coniurationis participes esse, nullum ex coniuratis nosse; eam explicationem non modo praegressis verbis *se paucis ante diebus socium ascitum*, sed etiam sequentibus *tantummodo audire solitum — Autronium — multos praeterea in ea coniuratione esse* concinere; *nihil* autem de personis dictum non insolens esse; Cic. ad Fam. IV, 4 a. med.: *victor, quo nihil moderatius;* XIV, 3 extr.: *ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse;* Nep. Alc. I, 1: *constat, nihil eo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus.* Eodem modo locum accepit Drum. l. c. p. 493. At, ut ad postremum primum respondeam, numquam *nihil* idem est, ac *nemo* vel *nullus*, et in iis locis, qui ad id probandum commemorati sunt, homines non cum hominibus comparantur, sed cum universitate rerum. Tum recte monuit Fabrius, *scio aliquem* pro *scio aliquem in aliqua re esse* neque unquam dictum esse neque dici potuisse. Quare verba per se spectata nullam aliam admittunt explicationem, nisi eam, quam Cortius iam proposuerat. An igitur aliquid falsi aut inepti narravit scriptor? Tenendum est, ab eo non omnia fusius exposita, sed ex iis, quae meminisset aut legisset, ea tantum excerpta esse, quae memoria digna viderentur. Neque alia ratione Cicero de illa interrogatione ad populum retulit, nisi summatim, ut quaeque scitu dignissima videbantur, excerpens. Iam quis est, qui contendere audeat, Volturcium non interrogatum esse, annon plura indicare posset, quam Galli; interrogatorem non significasse ei, quae ab illis iam antea comperisset; ab illo, qui coniurasset, etiam plura et maiora compertum iri, se sperare? Nonne homines

modo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Varguntelum, multos praeterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter literas sermonibus, quos ille habere 2

---

anxii atque ignavi, cum de sociis suis, quos timent aut verentur, interrogantur, tacere malunt et in alios culpam proditionis a se transferre? Atque ex c. 40, 6 et 44, 1 quo tandem modo evinci poterit, plura Gallos scivisse, quam Volturcium? Nominatos iis socios esse declaravit scriptor; num singula nomina memoria tenuerint, an tantum multos esse coniuratos recordati sint, nemo pro certo dicet. Consilium coniurationis iis apertum esse scripsit Salustius; at num credibile est, Volturcium qui socius coniurationis fuisse traditur, id ignorasse? non monitum esse eum, quid ageretur, quam grave et qua de caussa munus susciperet, quae praemia sperare posset? Denique ex iis, quae sequuntur, minime necessario concludendum est, *nihil* de hominibus intelligendum esse. Cur enim, qui de re quidquam amplius se scire negaverit, tamen adiungere non possit, quos eius rei participes esse cognoverit? Et ubinam legitur, eos, quos nominavit Volturcius, conventos esse a Gallis? Ex verbo *ceteros* 44, 1 nemo id certe concludet. Debebat autem haec addere Salustius, ne cum omitteret, qui in hac quaestione nominati essent, negligentiae argueretur. Nobis probi historici munere rectius fungi videtur is, qui ex iis, quae certo tradita sunt, quid omissum sit, enucleare studeat, quam qui ne quid omissum videatur, quae tradita sunt, artificiose explicet. Ceterum in *solere* nihil inesse, nisi rei saepius factam repetitionem, commode monuit Kritzius coll. § 2; Iug. 4, 5; 108, 3; Tac. Ann. I, 73; Cic. ad Fam. II, 17 p. med. —

2. *Eadem fatentur*] Obscurius rem narrasset Salustius, nisi supra verba *omnia uti gesta erant* ad cuncta, quae antea enarraverat, spectare voluisset. Omnino quantopere sui consilii memor (cfr. 4, 3) brevitati studuerit, perspicies, si quae h. l. narravit, comparaveris cum iis, quae Cicero iisdem de rebus coram populo exposuit or. in Cat. III, 4, 9 — 6, 13. — *coarguunt*] Vere Herzogius monuit, *coarguere* ubique esse graviter arguere, coll. Nep. Ep. 6, 4; Cic. pr. Sull. 15, 44; Tac. Ann. XIII, 20; Liv. XXVI, 27, 9. — *praeter literas*] Hoc quoque loco brevitatis studium cognosces. Plenius dixisset: praeterquam quod literas ab eo sibi datas esse testati sunt. Comparavit Herzogius Liv. X, 30 in.: *praeter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem pugnatum etiam egregie est;* Caes. B. C. III, 32 med.: *exactores, qui praeter imperatas pecunias suo etiam privato*

solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis

---

compendio serviebant. — *ex libris* cet.] Cic. l. c. 4, 9: *Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haruspicumque responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinnam ante se et Sullam fuisse; eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus post Virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus.* Addidit haec Salustius, ut quo animo quaque superstitione Lentulus fuerit declararet. Omnino hoc eius consilium fuit magis ut quales homines fuerint, quibusque caussis res factae sint, docendo luculentissimum posteris exemplum proponeret, quam diligenter etiam minutis atque exiguis rebus enarrandis delectaret. Ceterum Sibyllini libri incenso Capitolio combusti erant; unde multa ex iis vulgata erant, haud pauca etiam ab iis, qui inde lucrum facerent, ficta; cfr. Nieb. H. R. I, p. 529. — *Cinnam — esse*] „Ex *esse* verbo ad antecedentia supplendum est *fuisse;* haud raro enim ubi diversa eiusdem verbi tempora ponenda sunt, prius omittitur atque ex posteriore assumendum est; cfr. Tac. Germ. c. 2 extr.: *quoniam qui nunc Tungri, tunc Germani vocati sint;* c. 36: *ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes et stulti vocantur.*" Kritz. — *urbis potiri*] Cum genitivo praeter h. l. iunctum est Iug. 8, 9: *imperi Numidiae;* 25, 10: *Adherbalis;* 75, 2: *oppidi;* c. abl. Iug. 13, 5: *omni Numidia;* 55, 1: *hostium agro;* 89, 6: *oppido;* 92, 4: *multis locis;* quid, quod uterque casus iuxta positus est Iug. 74, 3: *armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti sunt.* (Vid. praeterea ad Iug. 37, 4.) Apparet ex his, quae attuli exemplis, Salustium inter utramque constructionem nullum plane statuisse discrimen, sed usum ac consuetudinem loquendi secutum esse; ubi autem significandum esset: homines in suam potestatem redigere, semper genitivo usum esse. — *ab incenso Capitolio*] Incensum est Capitolium a. u. c. 673, 83 a. C. pridie Nonas Quintiles L. Scipione, C. Norbano coss., casu, ut videtur; cfr. Drum. l. c. T. II, p. 480, not. 89 et 90. Quam Cicero commemorat Virginum absolutionem, factam esse a. 73 manifestum est. Eo anno Fabia, Terentiae soror, virgo Vestalis, et Catilina incesti accusati erant (vid. supr. ad 15, 1), sed ex Plut. Cat. min. c. 19 apparet, praeter illam etiam alias sacerdotes accusatas fuisse. Videntur igitur omnes aut certe plures Vestales virgines eius criminis participes fuisse. — *illum*] Cum, quae praesentia sunt,

haruspices respondissent bello civili cruentum fore. Igitur 3
perlectis literis, quom prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus item-

---

pronomine *hic* designentur, ubi de praeteritis rebus dicitur, quae tunc praesentes fuerunt, pronomine *ille* utendum est; cfr. Z. § 703. Igitur Cic. l. c. hos Lentuli sermones referens, pronomine *hic*, Sal. quoniam praeterita narrat, *ille* usus est. Eodem modo Iug. 49, 3: *illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum aut maxumarum aerumnarum initium fore;* oratione directa diceretur: hic dies confirmabit. — *Respondere* solemne verbum est ut de vaticiniis omnibus, quae oracula consulentibus eduntur, ita maxime de iis, quae haruspices praedicunt; Sal. tamen Iug. 63, 1 simpliciter verbo *dicere* usus est. —

3. *signa sua cognovissent*] Epistolae apud Romanos erant tabulae, quae compositae in margine filo (linteo) colligabantur. Tum ubi eo filo circumplicatae erant, in fine fili cera affigebatur, quam ceram annulis obsignabant. In iis annulis aut ipsorum aut maiorum imagines incisae erant; sic in Lentuli annulo incisa erat imago proavi (Cic. l. c. 5, 10), qui cos. a. 162, postea acerrimus Gracchorum fuerat adversarius; cfr. Drum. II, p. 529. Literis illis igitur coargui non poterant, nisi ante signa sua inviolata, nihil igitur in epistolis adulteratum esse professi essent. Tum demum linum est incisum (Cic. l. c.), apertae sunt tabulae, et postquam sua manu perscriptas esse confessi sunt, literae perlectae. *Cognoscere* cum proprie sit: aliquid esse intelligere („*kennen lernen*"), saepius dicitur etiam de iis, quae antea iam vidimus aut audivimus, cum ea rursus cernimus ac percipimus („*erkennen, wieder erkennen*"). Commemoratum est iam ab aliis, de eadem re eodem verbo usum esse Ciceronem or. in Cat. III, 5, 10 et 12; ac comparata sunt Sal. Cat. 61, 8: *fuere item, qui suos inimicos cognoscerent;* Liv. II, 40, 4: *familiarium quidam, qui insignem moestitia inter ceteras cognoverat Veturiam;* coll. IV, 29; VIII, 39. — *abdicato magistratu*] Constat, antiquiores semper dixisse *abdicare se aliqua re;* posteriores etiam *abdicare aliquam rem.* Cicero certe numquam hac constructione usus est. De Orat. enim II, 24, 102 aut *abiudico* scribendum est, quod commendatur opposito *iudico*, aut Cicero non *abdico*, sed *abdīco* scripsit, locutione sumpta ab auguriis. Nec vero magis efficitur id ex loco d. N. D. II, 4, 11: *ut abdicarent consules*, cum in solemni formula non minus recte ablativus, quam accusativus mente suppleri possit. Apud Salustium verbum illud hoc uno loco legitur omnesque libri in *abdicato magistratu* consentiunt, nisi quod Bas. 3 et Tur. 2 *abdicatus esset* exhibent, unde Cortius coniecit scribendum esse *abdicatus magistratu*, quae

4 que ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Cae-

---

constructio omnino sine exemplo est; cfr. Krebs. Antib. p. 71. Iam cum h. l. *abdicato magistratu* magno consensu libri tueantur et iam apud Liv. V, 49; VI, 18, apud reliquos historicos saepius *abdicare magistratum* inveniatur, Salustio vix iure is usus abiudicari poterit, non quo id novasse putandus sit, sed eius aetate iam invaluisse illa consuetudo videtur. Ceterum Cic. l. c. 6, 15: *P. Lentulus*, inquit, *quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, iudicio senatus non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit, ut quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.* Religioni igitur Romani ducebant, eos, qui essent in magistratibus, punire, nisi antea muneribus se abdicassent. — *habeantur*] Quamquam post praesens historicum coniunctivus imperfecti non solum fertur, sed etiam maxime in usu est, tamen *habeantur* scripsi fide eorum librorum, quos potissimum sequendos putavi; Leid. a. d. e. i. k. l. Bas. 1. 4. Bern. 1. 3. Par. Simili modo post praesens historicum sequitur coni. praes. 32, 2; 40, 1; 48, 5. — *in liberis custodiis*] „Cfr. Tacit. Ann. VI, 3. Insigniores viri, cum criminis suspecti essent, in domibus magistratuum seu senatorum custodiebantur, quam bene Dio Cass. LVIII, 3 *ἄδεσμον φυλακήν* appellat; cfr. Brisson. d. form. V, 529 ed. Paris. 1583 et Lips. ad Tac. Ann. XVII, 3." GERLACH.

4. De P. Cornelio Lentulo Spinthere cfr. Drum. II, p. 533—546. Nobilitatis partium studiosissimus, omnium Ciceronis consiliorum particeps periculorumque socius fuit; cfr. Cic. p. red. ad Quir. 6, 15. — Q. Cornificius una cum Cicerone consulatum petiverat. Quanto studio senatus partibus addictus esset, et ex h. l. apparet et quod a. 62 P. Clodium in curia accusavit; cfr. Drum. II, p. 616 sq. C. Iulio Caesari et M. Licinio Crasso Statilius et Gabinius traditi sunt, quo illi homines potentes et suspicione liberarentur, quamquam fortasse Cicero, si vera profiteri vellet, eos suspicione non prorsus eximere potuisset, et simul ne quid contra rem publicam agerent, obstringerentur; cfr. Drum. V, p. 496. — Quoniam Cic. l. c. 6, 14 Cassium, M. Caeparium, reliquos a P. Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, quos praesentes fuisse dicit, separat, Drum. l. c. monuit, a vero aberrasse Salustium. At quid impedit, quo minus sic statuamus, Caeparium iam antequam senatus decerneret, ex fuga retractum, nec tamen in senatu

parius (nam is paulo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur.

XLVIII. Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum

---

interrogatum esse, ut senatus cui traderetur, decernere posset, nec tamen Cicero eum praesentem commemorare? De Cn. Terentio nihil amplius comperimus. Quae senatus in Ciceronis, L. Valerii Flacci, C. Pomptinii, C. Antonii honorem decreverat, omisit Salustius (Cic. l. c. 6), non quod illis maximeque Ciceroni honorem ac gloriam invideret, ut quidam opinati sunt, sed quia ea referre a consilio suo, ut de coniurationis caussis atque eventu quam verissime et brevissime exponeret, alienum videbatur.

XLVIII. 1. *quae*] Ne relativum, interpositis verbis *coniuratione patefacta* a substantivo suo separatum, offendat, cautum est allatis exemplis infr. § 4: *se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret;* Iug. 6, 3: *praeterea opportunitas suae liberorumque aetatis, quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit.* Tacit. Ann. I, 74 init.: *Granium Marcellum Caepio Crispinus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone, qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum fecerant,* ubi *qui* refertur ad Crispinum; Vellei. II, 47, 4: *Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas, quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia,* ubi *quem* non ad Pompeium pertinet, sed ad Milonem. Apparet autem id ibi tantum fieri potuisse, ubi ad quid relativum referendum esset, lectores dubitare non possent. Pro imperfecto *favebat* exspectaveris plusquamperfectum; sed tenendum est, imperfecto uti Romanos etiam de re, quae ante aliam fuit, si quidem illa ipsa continuata necdum absoluta cogitatur. Sic h. l. Salustius imperfecto usus est, mente tenens enuntiatum tale: quamdiu nondum patefacta erat. Nonnulla exempla, hunc usum illustrantia, invenies ap. Rsh. § 163, 2, d. p. 588. — *ad coelum tollere*] Simili modo *ad coelum ferre* dictum est de insolentiore laudatione 53, 1; Iug. 53, 8; 92, 2. — Cicero cum iam advesperasceret, populum qui in foro exitum senatus consultationis maxima cupiditate exspectaverat, de iis, quae in senatu acta et decreta erant, edocuit ea oratione, quae nobis servata est. Tum populus clamore suo decreta senatus comprobaverat et consulem comitata erat in domum familiaris cuiusdam, in qua noctem transegit, quoniam in sua Terentia cum virginibus et matronis sacra Bonae Deae faciebat, quibus virum interesse nefas erat. Nihil Salustius tradit de miraculo illa nocte in domo Cice-

tollere; velut ex servitute erepta gaudium atque laetitiam
2 agitabat. Namque alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele, immoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae

---

ronis facto, de consiliis, quae cum fratre Quinto, Nigidio Figulo, aliis egit, quippe haec ad rem minus pertinere existumans. Vid. Drum. l. c. p. 502. — *gaudium atque laetitiam agitabat*] De *agitare* vid. ad 2, 1; de *laetitia* ad 31, 1 et 61, 8; de impf. ad 21, 1. Animadvertas hic quoque per *atque* transitum fieri a minore ad maius.

2. De *praedae* vid. ad 21, 4. — *immoderatum*] Hoc adiectivum de iis rebus dici, quae omnem modum excedant, iam ad 5, 5 observavimus. Vix dubium videtur, quin sententia sit: flammas non magis pauperum tabernis, quam divitum molibus parsuras esse. Per *ac* adiicitur id, quod rem accuratius definiat, ut sit fere nostrum „*und zwar, und noch dazu.*" — *quippe cui — erant*] Adverbium *quippe* eodem modo ab adverbio *qui*, quo *nempe* a *nam*, factum videtur, eamque vim habet, ut caussam et rationem rei commemoratae reddat. Id autem fit aut enuntiato primario, ut Cat. 11, 8; 19, 2; Iug. 1, 3; 53, 8; 85, 5; 27; 90, 1 et omisso verbo Cat. 52, 20, quo pertinent etiam loci Cat. 13, 2, ubi *quippe* cum *properabant*, et Iug. 54, 8, ubi cum *cogebantur* coniungendum est; aut relativo, ut praeter h. l. Iug. 7, 6; 20, 6; 28, 1; 48, 1; 76, 1; 85, 32; 86, 3 et sine verbo Iug. 14, 10; aut appositione sive adverbiali locutione, ut Iug. 66, 3 et 105, 4. Iam Salustius semper et in enuntiato primario et in relativo post *quippe* indicativo usus est; Cicero post *quippe qui* (vid. Görenz. ad Cic. d. Legg. IV, 3, 7) coniunctivum ponere maluit. Quippe ille ubique ad illustranda praecedentia utitur rebus, quae vere fuerunt aut factae sunt, et rationis necessitudinem, quae inter utrumque enuntiatum intercedit, prorsus negligit. — *Copiae* verbum omnia complectitur, quae in alicuius potestate aut possessione sunt. *Usus* et *cultus* apparet non abstracta esse, sed concreta, sententiamque esse: quibus omnes copiae in iis rebus erant, quibus quotidie utebantur et corpora colebant. Bene monitum est ab interpretibus, illud magis pertinere ad alimenta, hoc ad vestem ceteramque suppellectilem domesticam, coll. Liv. IV, 12: *vendere, quod usu menstruo superesset*; Tacit. Ann. IV, 30: *dandos vitae usus, cui vita concederetur.* Clarissima lux Salustii loco affulget ex Cic. in Cat. IV, 8, 17: *sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri aut voluntate perditi, qui ipsum illum sellae atque operis et quaestus quotidiani locum* (hoc igitur pertinet ad usum), *qui non cubile ac lectulum suum* (ea ad cultum corporis pertinent), *qui denique non cursum*

in usu quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem 3 quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is, 4 quom se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a consule quae sciret edicere, eadem fere quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium senatum docet; praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret, ne eum Len-

---

hunc otiosum vitae suae salvum esse velint. Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, immo vero — id enim potius dicendum — genus hoc universum amantissimum est otii. Etenim omne eorum instrumentum, omnis opera ac quaestus frequentia civium sustentatur, alitur otio, quorum si quaestus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum fuit?

3. *Post eum diem*] Quemadmodum Latini dixerunt: *post tertium annum*, i. e. tertio anno post (Z. § 476), sic *post eum diem* dictum est pro: die, qui post eum secutus est. — *adductus erat*] Quoniam in Bas. 1 legitur: *adductus ad senatum erat*; in Tur. 1: *ad senatum adductus est*; in Eins.: *adductus erat senatum*, Gerlachius eumque secutus Orellius *erat* uncis circumdederunt. Nos, si quod vocabulum in nonnullis libris aliam sedem occupavit, aut in uno mutatum est, non minore iure statuere posse nobis videmur, errasse librarios, quam id vocabulum a correctore invectum esse. Plusquamperfectum eadem ratione dictum est, quam supra ad 18, 6 illustravimus. — *aiebat*] Rarius hoc verbo usus est Sal. et semper cum oratione obliqua coniunxit; cfr. infr. 8; 51, 32; Iug. 31, 7; 85, 39; 100, 5. Quod docuerunt Grammatici, in eo verbo inesse gravioris cuiusdam asseverationis notionem, his Salustii locis confirmatur. Ceterum animadvertas, *proficisci* dici non solum de eo, qui ex aliquo loco exeat, sed etiam de eo, qui in itinere sit.

4. *edicere*] Hoc verbum codicum fide satis munitum videtur, et aptissimum est verbum compositum, quippe in quo rem palam proferendi notio insit. Contra in sequentibus propter praestantissimorum librorum consensum non dubitavimus pro composito *edocet* simplex *docet* scribere, quanquam illud non minus ferri posse videbatur, cum neque alienum esset ab h. l., diligenter et accurate ab illo cuncta enarrata dici, quo magna certe arte illum falsum indicem usum fuisse significaretur, et *edocere* non semper ampliore illa vi dictum esse, appareret comparatis inter se locis Cat. 10, 4; 16, 1; 45, 1; Iug. 27, 2; 49, 1; 53, 8; 56, 2; 66, 4; 93, 6; 109, 1; 112, 2. Verba *de itinere* manifestum est pertinere ad Catilinam et Manlium, cum exercitu propius urbem accessuros. —

tulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret et illi facilius e periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant indicem falsum esse, deque ea re po-

---

eoque] Neque ex praecedente *ne* mente cogitandum est *ut*, neque *que* pro *sed* dictum, immo huius enuntiati eadem ratio est, qua coniunctivus in oratione obliqua sine ulla particula finali ponitur, ubi quod quis fieri velit, exprimitur. — *Animos reficere* eodem modo dictum est, quo *saucios reficere* Iug. 54, 1; quippe est: afflictos confirmare atque erigere.

5. *hominem nobilem*] Commode Fabrius monuit, a Salustio substantivum *vir* ibi tantum usurpatum esse, ubi quem laudare velit ob ingenii virtutem, comparatis locis Cat. 21, 3; Iug. 70, 2: 77; 85, 10, aliis cum Cat. 53, 6 [adde 51, 16]; Iug. 22, 2; 27, 2; 43, 1. — De *verum* vide ad 52, 6. — *in tali tempore*] Ubi praepositio *in* cum substantivo, quod tempus significat, coniuncta est, aut temporis spatium, intra quod aliquid factum est, significatur, aut rerum condicio, quae aliquo tempore fuit. Primi generis sunt exempla Iug. 28, 2: *in diebus proxumis* et 96, 1: *sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est*; alterius praeter h. l. Iug. 66, 3: *in tali die* et 78, 2, ubi vid. ann. Praeterea huc referendi sunt loci, in quibus *tempus* significat opportunitatem temporis, ut Iug. 56, 2: *in tempore semet cum exercitu affore* („*zur rechten Zeit*"). — *tanta vis hominis*] Recordamur, haec legentes, Homerici illius ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο. Tenendum autem est, ibi tantum veteres ita a substantivo abstracto genitivum hominis aut rei pendere et potuisse et voluisse, ubi in ingenio ac natura plus momenti esset, quam in ipso homine aut re. Sic h. l. non tam ipse Crassus leniendus erat, quam eius vis ac potentia, quippe quae maxime essent timendae. Ceterum *magis* ante *leniunda* retinuimus, et codicibus ita iubentibus — nam quod in quattuor deterioribus omissum est, nihili est faciendum, nec pluris, quod in nonnullis post *leniunda* positum legitur — et iis caussis adductus, quas ad 8, 1 explicavi. — *obnoxii*] *Obnoxius* dicitur proprie, qui noxa tenetur, i. e. qui alii noxam sive damni poenam, multam, debet, quare etiam is hoc nomine appellatur, qui ita in alius potestate est, ut contra eum agere non possit.

stulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone frequens 6 senatus decernit: Tarquini indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus. Erant eo tempore, qui existumarent, indicium illud 7 a P. Autronio machinatum, quo facilius appellato Crasso

---

Optime id intelligitur ex loco Liv. XXIII, 12: *si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar, quorum alterum est hominis alienae libertatis obliti, alterum suae.* Cfr. Cat. 14, 6: *dum illos obnoxios fidosque sibi faceret;* 20, 7: *volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, iis obnoxii, quibus, si valeret res publica, formidini essemus;* 23, 3: *minari interdum ferro, ni obnoxia foret;* 52, 21: *neque delicto, neque lubidini obnoxius;* Iug. 31, 3: *qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis;* Ep. Mithrid. 4: *ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet.* Praeterea recte ab aliis monitum est, *privata negotia* intelligi maxime pecunias mutuo sumptas.

6. *consulente Cicerone*] i. e. rem referente et sententias rogante; cfr. Iug. 15, 2; 28, 2; 39, 2; 62, 10. Perperam igitur vertes: „*auf Anrathen des Cicero.*“ — *videri*] „*Videri* verbum solemne censentium et iudicantium teste Cicerone, qui Acad. II, 47, 146 extr. refert maiores instituisse, ut quae iurati iudices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut videri pronuntiarent. Liv. XXV, 4, 9; Brisson. d. form. II, p. 195 et V, p. 482.“ Cort. — *neque amplius potestatem faciundam*] Optime praeeunte Cortio Kritzius contra Herzogium demonstravit, intelligi *indicandi potestatem;* ex § 4 enim apparere Tarquinium sibi indicandi potestatem expetiisse verendumque fuisse, ne etiam aliis viris nominatis aut aliis rebus false delatis omnis quaestio magnopere impediretur. — *esset mentitus*] Cod. Bas. 1 et Commel.: *mentitus esset; mentitus erat* Bas. 4. Observavi eum verborum ordinem, qui in ceteris omnibus libris videtur esse. Manifestum enim est, magis sic urgeri eius verbi notionem, quod propterea aptissimum atque paene necessarium est, quia illud maxima vi efferendum fuit, hominis illius indicium a senatu mendacium iudicatum esse.

7. Ex iis, quae ad 8, 2 de discrimine, quod inter *aestumo* et *existumo* est, disseruimus, necessario h. l. *existumarent* scribendum fuit. Quid in libris sit, ignoramus, cum Gerlachius, quamquam ei Kritzius opprobrio dederat, quod de plurimorum librorum scriptura *existumarent* in notis ne monuisset quidem, tamen etiam in ed. min. tacere maluerit. — *machinatum*] Deponens hoc verbum esse Salustius voluit supra 18, 7. Participium

8 per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret; alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus more suo suscepto malorum patrocinio rem publicam conturbaret;
9 ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

---

pf. passiva vi usurpavit praeter h. l. etiam Fragm. II, 28: *Lucullum regis curā machinata fames fatigabat;* et 41: *demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum.* — *appellato Crasso — illius*] Cur Salustius non scripserit: quo facilius reliquos appellati Crassi potentia tegeret, intelliges ex Rsb. § 171, III, 5, p. 683 extr. *Appellare* a *nominare* ita diversum est, ut hoc sit aliquem per nomen, quod eius proprium est, designare; illud, proprie aliquem voce compellere („*anrufen;*“ vid. ad 20, 1), usurpetur, ubi quis aut in certa aliqua caussa, aut per rem singularem, quae in eo inest, significatur („*der Eigenschaft nach*“). Quare h. l. aptissimum est, cum Crassus a L. Tarquinio coniurationis particeps nominatus erat. — *per societatem periculi*] Apparet sententiam esse: quod ita appellatus Crassus in eodem periculo versaretur.

8. *immissum*] „*Immittere* i. e. q. maligno animo mittere vel subornare contra aliquem; cfr. Iustin. IX, 7, 1: *creditum est etiam, Pausaniam immissum ab Olympiade fuisse;* id. XXXII, 2, 9: *insidias sibi paratas confingit; ad cuius rei probationem immittit indices;* Tac. Ann. III, 16 init.: *neque illum sponte exstinctum, verum immisso percussore;* vid. Cort. ad Plin. Epp. VI, 31, 3: *ab dissimillimis Claudio delator immissus;* Cic. pr. Sest. 36, 78 extr.; et Walch. Emend. Liv. p. 98.“ Kritz. Vere monuit idem Kritzius, *more suo* rectius cum *suscepto malorum patrocinio*, quam cum *rem publicam conturbaret* coniungi. Ceterum apparet, haec ab inimicis adversariisque Crassi fuisse iactata; ipse vero illis ansam haec iactandi dederat, cum haud raro reis lucri caussa opitulatus esset; cfr. Drum. IV, p. 112.

9. *praedicantem*] i. e. palam pronuntiantem; cfr. Iug. 14, 2: *ut praedicantem audiveram patrem meum;* 108, 3: *Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quae palam praedicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse.* Neque alia significatione est 85, 27, ubi apposito *bene* laudandi notio infertur. Num Crassus vere eius coniurationis particeps fuerit, in incerto reliquit Sal., sed ita rem omnem enarravit, ut vix dubitari queat, quin illi suspicioni non multum tribuerit. Ut vero Crassus in eam suspicionem incideret, sine dubio eo factum est, quod Ciceroni, quippe qui adversarium illius, Cn. Pompeium, multum adiuvisset, obtrectabat,

XLIX. Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem im-

---

omninoque suae ipsius potentiae potius, quam rei publicae saluti consulebat. Si vero vera sunt, quae Plut. Cic. 15 narravit, a Crasso iam ante patefactam coniurationem et primam orationem Catilinariam habitam literas ad Ciceronem delatas esse, quibus ut urbe exiret, moneretur, perniciem senatui parari per Catilinam, ipse sese illa suspicione expurgaverat. Et cum nullius rei magis, quam divitiarum amator esset, ex incendio autem ei maxima rei familiaris iactura metuenda esset, cumque praeterea vix sperare posset, sibi a Catilina, Lentulo, Cethego principatum concessum iri, vix verisimile videtur, ab eo Catilinae consilia comprobata esse, quamquam illud minime infitiandum est, eum, quae agerentur non ignorasse, et quatenus inde aliquid lucri sibi sperare posset, iis favisse. Certe cum Ciceronem illius falsi indicii machinatorem diceret, aut erravit, aut mentitus est. Ipse enim Cicero, tradito illi in custodiam P. Gabinio, palam declaraverat, se Crassum suspicione liberare et vehementer ut a suis partibus staret, cupere. Cfr. de his rebus Drum. IV, p. 86; V, p. 503. —

XLIX. 1. De Q. Catulo vid. ad 34, 3. C. Calpurnius Piso, a. 67 a. Chr. cos. cum M' Acilio Glabrione, legi Gabiniae acerrime restiterat, nec minus C. Cornelio, tribuno plebis, fenora Romae tollere nobilitatemque concutere conato; postea a. 66 et 65 Galliam Narbonensem administraverat, et in eo imperio Allobroges rebellantes facili negotio devicerat. Acerrimum optimatium defensorem etiam posthac se semper ostendit; indeque Caesarem odio atque invidia insectabatur. Cfr. Drum. II, p. 92—95. — *neque precibus, neque gratia, neque pretio*] Quemadmodum adiectivum *gratus* et eum significat, qui alii carus acceptusque est, et qui debita pro meritis praestat officia, sic etiam substantivum *gratia* duplici modo usurpatur, ut significet et caritatem, in qua quis est apud alios, et quae quis aliis praestat caritatis atque amoris officia, quae quidem notiones in plerisque locis coniunctae sunt. Illud est in his locis: Cat. 20, 7 et 8 (ex caritate nascens auctoritas sive potentia); 52, 3: *hic pecuniae aut gratiae servitis*, i. e. pecuniam conquirere et ut aliis grati sitis efficere studetis; Iug. 4, 3: *et conviviis gratiam quaerere* (apud populum); 9, 3: *cum virtute, tum gratia viri permotus;* 13, 7: *ut ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret;* 35, 8: *supra gratiam aut pecuniam suam invidiam facti esse.* Altera significatione verbum est Cat. 51, 16: *gratiam aut inimicitias exercere;* cfr. Iug. 25, 3; 102, 7; 9; 110, 1; 111, 1 et qui loci proxime ad hunc accedunt, Iug. 15, 2; 16, 1; 27, 1; 2; 29, 3, ubi patet

pellere potuere, uti per Allobroges aut per alium indicem

---

gratiam esse munera atque officia benevolentiae aut praestita aut promissa. *Pretio* manifestum est nihil aliud significari, nisi pecuniam, ut Cat. 50, 1; Iug. 16, 1; 29, 3; 35, 4; 85, 39; 86, 3. Quae si vera sunt, apparet eum verborum ordinem, quem nos tenuimus, verissimum esse. Primo illi Ciceronem precibus adierunt; quas postquam frustra esse intellexerunt, tum multa atque magna officia pollicita sunt; cum ne his quidem satis se proficere viderent, pecunia eum movere conati sunt. — *per Allobroges aut per alium indicem*] Observatum est a viris doctissimis, inprimis ab Ed. Wundero Varr. Lectt. e Cod. Erf. enot. praef. p. XVII—XIX, Ciceronem eam legem sibi praescripsisse, ut in sententiis disiunctivis praepositionem semper repeteret. Eandem regulam Salustium quoque secutum esse, omnibus exemplis collatis probatur. Cat. 8, 1: *ex lubidine magis, quam ex vero;* 10, 5: *non ex re, sed ex commodo;* 39, 6: *aut per se, aut per alios;* 50, 4: *de his — praeterea de;* 52, 14: *aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta;* Iug. 4, 4: *ex otio, quam ex aliorum negotiis;* 14, 21: *aut apud vos, aut apud Deos immortalis;* 35, 7: *magis ex aequo bonoque, quam ex iure gentium;* 40, 2: *occulte per amicos ac maxume per homines nominis Latini et socios Italicos*, ubi in *ac maxume* disiunctivam vim inesse quivis videt; 42, 1: *per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos;* 44, 2: *plus ex —, quam ex;* 45, 1: *in ea — non minus, quam in —;* ibid. 2: *ne miles gregarius in castris, neve in agmine —;* ibid.: *in primis modo, modo in postremis, saepe in medio;* 74, 1: *saepe in fuga, ac post paulo in armis spem habere;* 81, 1: *eandem illos caussam belli cum Boccho habere, quam secum —;* 88, 2: *nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati;* 114, 2: *cum Gallis pro salute, non pro gloria certare.* Quid quod etiam post copulativas particulas, ubi duae res coniunguntur, quae inter se separatae ac divisae sunt, praepositionem repetiit, ut Cat. 52, 17: *de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis;* Iug. 58, 5: *per amicitiam perque rem publicam obsecrat;* 71, 5: *obtestatus per amicitiam perque sua antea fideliter acta;* 81, 1: *quam secum et cum aliis gentibus habere;* 102, 2: *velle de se et de populi Romani commodo cum iis disserere;* 111, 1: *de pace et de communibus rebus.* Huic regulae non adversantur hi loci: Iug. 31, 16: *penes optumos, non audacissumos forent*, ubi sententiam apparet esse: penes eos forent, qui essent optimi, non audacissimi; et 98, 1: *turma, quam ex fortissumis magis quam familiarissumis paraverat*, i. e. quam ex iis paraverat, qui magis fortissimi, quam ei familiarissimi essent.

C. Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis 2
inimicitias exercebant, Piso oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani supplicium

---

Iam, ubi de simplici *aut* quaeritur, tenendum est duplicem esse huius particulae vim, cum vel res separet, ubi *aut* — *aut* dicere licet, vel unam rem in singulas partes dividat. Illud ubi est, praepositio repetenda est, ubi hoc, recte omittitur. Sic recte omissa est 20, 2: *per ignaviam aut vana ingenia*, ubi vide, quae annotavimus; 49, 4: *ex Volturcio aut Allobrogibus*, hi enim soli indices fuerant; Iug. 17, 2: *ob calorem aut asperitatem, item solitudines minus frequentata sunt*, apparet de locorum difficultate dici eamque in singula genera dividi; neque alia ratio est loci 40, 1: *in legationibus aut imperiis* (in rebus cum Iugurtha transactis); 50, 6: *disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant* (i. e. non a fronte); 85, 10: *ad hoc aut aliud tale negotium*, qui locus maxime rem comprobat; ibid. 47: *neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit.* Iam ut ad eum locum revertar, qui mihi ansam dedit haec disserendi, valde dolendum est, de codicibus nihil certi constare. Gerlachius enim cum in ed. mai. in Bas. 1. Struv. Heus. Acad. Guelf. 6. 7. 9. Tur. 2. Bern. 1. 2. post *aut* praepositionem repetitam esse annotasset, in ed. min. hanc varietatem prorsus neglexit, ut ambigi possit, num quod antea in Bas. 1. invenisset, postea aliter se habere cognoverit. Quod ad sententiam attinet, recte praepositio addi videtur. Nam ut nominaretur C. Caesar, duplici tantum modo effici potuit, aut per eos, qui indices fuerant, aut per alium indicem immissum, qualis fuerat L. Tarquinius. Quare cum haec aperte disiungenda viderentur, praepositionem post *aut* interserere non dubitavi, praesertim cum facile librariorum festinantium negligentia omitti posset.

2. *exercebant*] Pluralem scribendum existimavi, cum plerorumque librorum fide munitus videretur, quamquam Gerlachius in ed. min. singularem *exercebat* retinuit nec quicquam varietatis annotavit. Quod quominus facerem, non impeditus sum eo, quod Fabrius monuit, *uterque* praeter hunc locum nusquam apud Salustium cum plurali coniunctum inveniri. Cum enim apud alios scriptores, licet rarius, id legatur, et cum aliis vocabulis, quorum similis est significatio, Salustius pluralem iunxerit, minus gravis ea caussa visa est, quam ut a plerorumque librorum scriptura recederem. Praeterea pluralis etiam a sententia commendatur, cum in sequentibus *Piso* — *Catulus* rectius ad praegressum pluralem, quam ad singularem referantur. — *oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani suppli-*

iniustum, Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adule-
3 scentulo Caesare victus discesserat. Res autem opportuna videbatur, quod is privatim egregia liberalitate, publice

---

cium iniustum] Multum de his verbis a doctis est dubitatum, cum alii *pecuniarum* spurium et insiticium iudicarent, alii *in iudicio*. Ac *pecuniarum* si abesset, id Romanorum consuetudini non repugnaret; sed librorum auctoritate ita munitum est, ut temerarium videatur eiicere; contra verba *in iudicio* nullo modo omitti potuerunt. Etenim pecuniarum repetundarum a Caesare non accusatus est Piso, cum ab Allobrogibus eius criminis accerseretur, sed cum hoc factum esset, Caesar, Transpadanorum patronus (Cic. ad Fam. XVI, 12), eum propter illud iniustum supplicium oppugnavit; quod vix dubium est quin propterea fecerit, quo hominem illum, nobilitatis acerrimum defensorem, mala fama urgeret; cfr. Drum. l. c. II, p. 95; III, p. 165. *Oppugnare* de iudicio dictum esse etiam a Cicerone ad Fam. V, 1: *Metellum fratrem ob dictum capite et fortunis a te oppugnatum iri*, iam ab aliis monitum est. Ceterum Piso, a Cicerone consule defensus et iudicium sententiis absolutus, tamen ex illa re gravissimum in Caesarem odium conceperat, quippe intelligebat, auctoritatem suam et dignitatem labefactatam esse. De petitione illa pontificatus (*maximi* Salustius addere neglexit, cum res notissima esset) vid. Drum. III, p. 165—167. De praepos. *ex* vid. ad 12, 2; de ablativis *extrema aetate* Z. § 471 sq.; de *adulescentulus* ad 3, 3; de *discedere* ad 39, 4 diximus.

3. *Res autem opportuna videbatur*] *Opportuna* equidem non cum Kritzio explicaverim: ita comparata, ut facile credi posset; sed *opportunus* h. l. non alia vi dictum esse credo, quam qua semper est: commodus, idoneus (cfr. Cat. 16, 5; 20, 2; Iug. 52, 2; 62, 1; 102, 10); *res* autem de condicione intelligo, in qua Caesar tum erat. Eius igitur res sive condicio opportuna videbatur, ut talis suspicio in eum moveri posset, quod, cum aere alieno oppressus esset, eum cum Catilina conspirasse, facile omnes credituri erant. — *quod is*] *Is* pronomen saepius ponitur, ubi subiectum maiore cum vi efferendum est; cfr. 50, 4; 52, 30; Iug. 63, 3; 7; 114, 3; Cic. d. Nat. Deor. II, 9: *Cleanthes negat, ullum cibum esse tam gravem, quin is die ac nocte concoquatur*, cum quo loco Rsh. p. 750 comparavit Cic. in Verr. I, 59, 154: *quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is in unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur.* — *privatim — publice*] Verissime Kritzius monuit, haec adverbia non cum *debebat* coniun-

maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi 4 consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo atque ementiundo, quae se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant, usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidi caussa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate impulsi, quo

---

genda esse; referuntur enim ad verbi notionem, quae in *egregia liberalitate* et in *maximis muneribus* inest. Sententia est: grandem pecuniam debebat, cum privatim i. e. privatis hominibus ipse privatus egregia liberalitate, et publice i. e. in magistratu universo populo immoderata largitione maxima munera dedisset. Adiectivum *egregia* cave, in Caesaris laudem dictum putes; appellantur enim *egregia* omnia, quae inter ceteros, quasi e grege, eminent, insolita, maxima. Caesar iam antequam primum magistratum acciperet, mille trecenta talenta debebat (Plut. Caes. c. 5), quod aes alienum muneribus, quae aedilis curulis a. 65 dederat, multum auxerat (cfr. Drum. III, p. 144 sq.); et in petitione pontificatus tantas pecunias profuderat, ut matri osculanti, cum ad comitia descenderet, diceret: *domi se, nisi pontificem, non reversurum* (Suet. Caes. c. 13).

4. *ementiundo*] „Recte Cortius praecepisse videtur, *ementiri* ita differre a *mentiri*, ut simul quamdam iactantiam et confidentiam in mentiundo significet.“ Kritz. Nam praepositio vim simplicis verbi ita auget, ut maiorem quandam mentiendi artem et calliditatem significet. — *quae* — *dicerent*] De coniunctivo adeas Z. § 551. — *circum aedem Concordiae*] *Aedem* in nonnullis libris omissum est, quae ellipsis quamquam Latinis minime insueta est — neque enim intelligo, cur cum praepositione *circum* genitivus omisso substantivo coniungi non possit, cum saepissime cum *ad* et, quamquam rarius, cum *ab* et *in* iungatur; cfr. Z. § 762; — tamen h. l. a maiore librorum parte non recedendum videbatur. — *seu periculi magnitudine, seu animi mobilitate*] Ita plerique libri exhibent; pauciores, quamquam in iis nonnulli, qui optimis accensendi sunt, *nobilitate*. Cum, qui hoc reiiciendum iudicarunt, ea potissimum caussa nisi essent, quod particulae *seu* — *seu* legentibus inter duas res, sed eas diversas, liberam eligendi potestatem facerent (cfr. 31, 6: *Tum M. Tullius cos., sive praesentiam eius timens, sive ira commotus orationem habuit luculentam*, et Iug. 103, 2: *Tum Bocchus seu reputando — seu admonitus ab aliis amicis — delegit;* praeter hos tres locos in Cat. et Iug. non legitur), si vero equites periculi magnitudine impulsi essent, in eo ipso

studium suum in rem publicam clarius esset, egredienti ex senatu Caesari gladio minitarentur.

---

animi nobilitas cerneretur, itaque id, quod *sive* — *sive* particulis diversum enuntiaretur, re ipsa unum idemque reperiretur, plane ridiculum id iudicavit Gerlachius praef. ed. min. p. XXVI; scilicet censens, periculi magnitudine iram vel metum moveri, sed animi nobilitatem a natura hominibus ingenitam esse; igitur recte opponi iram et amorem rei publicae libertatisque studium, quo impulsi equites nulla suae salutis cura hominis popularis et potentissimi inimicitiam suscepissent. In quo illud non intellexit vir doctissimus, nisi ingenitus illis esset rei publicae amor, profecto futurum fuisse, ut periculi magnitudine non solum non ad iram vel metum moverentur, sed ad spem potius erigerentur; igitur si *nobilitate* legatur, non commemorari diversas unius rei caussas, sed tales, quarum altera sine altera esse non possit; nisi forte voluit, primo illo significari periculum, quod ipsis equitibus, hoc altero quod rei publicae immineret, quod si exprimi voluisset scriptor, certe obscurissime locutus esset. Iam vero accedit, id quod multo gravius est, quod Salustius numquam verbo *nobilitas* de egregiis animi virtutibus, semper aut de generis claritudine, aut de hominis gloria, aut de iis, qui nobiles appellarentur, dixit (cfr. 7, 6; 23, 6; 38, 2; 43, 2; Iug. 4, 7; 5, 1; 13, 5; 7; 16, 2; 27, 2; 30, 3; 32, 5; 40, 3; 41, 5; 6; 10; 42, 1; 4; 63, 6; 64, 1; 65, 5; 66, 4; 73, 4; 7; 84, 1; 5; 85, 4; 5; 10; 17; 25; 30; 37), neque *nobilis* unquam apud eum est homo virtutibus egregius, sed claro genere insignis (5, 1; 15, 1; 17, 4; 5; 6; 18, 4; 20, 7; 23, 3; 48, 5; 52, 24; Iug. 8, 1; 15, 4; 25, 4; 28, 4; 31, 9; 70, 2; 77, 1; 95, 3; 112, 3); et etsi apud alios scriptores, pedestres dico, *nobilitas* interdum dictum est de animo, tamen non ingenitam honestatem ac verecundiam, sed confidentiam, animi elationem, prudentiam, humanitatem, eruditionem, tales virtutes significat, quales solent eorum esse, qui illustri genere orti liberaliterque educati sunt, ut recte Krebsius Antib. p. 323 tirones monuisse videatur, ne verbis *nobilitas* et *nobilis* de animo honesto, omnibus malis fortiter resistente, uterentur; patriae amor certe libertatisque studium nullo modo eo vocabulo significari potuit. Aptissimum autem est, commemorari *animi mobilitatem*, quippe quae iis tribuatur, qui summa inconstantia quidquid iis se offerat, cupide arripiant; cfr. Iug. 56, 5: *Tanta mobilitate sese Numidae agunt*, nempe ut, qui modo Metello se dedidissent, statim ad Iugurtham defecturi essent; coll. 88, 6 (adiectivum *mobilis* item de eo, quod semper mutatur, dictum est Iug. 46, 3; 66, 2; 91, 7; 104, 2; 113, 1). Ut enim Caesari minitarentur, equites illi moveri pote-

L. Dum haec in senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, prae-

---

rant, aut vero patriae libertatisque amore, quippe quibus maxime ab illo periculum immineret, aut levitate sua, qua facile ad iram se commoveri paterentur etiam fictis mendaciis. Verba *quo — clarius esset* non ad antecedentia, sed ad sequentia *gladio minitarentur* referenda esse, vere iam ab aliis monitum est. — Caesar num Catilinae consiliorum particeps fuerit necne, multum iam a veteribus quaesitum est. Atque Plutarchus quidem (Caes. c. 7) haec dicit: *οἷς* (Lentulo et Cethego) *εἰ μὲν κρύφα παρεῖχέ τι θάρσους καὶ δυνάμεως ὁ Καῖσαρ ἄδηλος*, Appianus contra B. C. II, 6: *Γάϊός τε Καῖσαρ, οὐ καθαρεύων μὲν ὑπονοίας μὴ συνεγνωκέναι τοῖς ἀνδράσι, Κικέρωνος δ' οὐ θαῤῥοῦντος καὶ τόνδε, ὑπεραρέσκοντα τῷ δήμῳ, εἰς τὸν ἀγῶνα προβάλλεσθαι.* Apertissime suspicione eum liberat Salustius. Eum tamen plerique suspicati sunt, haud satis libero ore locutum esse, quippe cum Caesaris amicus esset, multaque et magna beneficia ei deberet. At et post Caesaris mortem hunc librum scriptum esse constat, et infra ita libere de Caesare iudicavit Salustius, omnino vero tantopere sese veritatis studiosum ostendit, ut vix credibile sit, eum, quae falsa esse sciret, narrasse. Utut est, nemo illis temporibus fuit, qui Caesarem tantae culpae convinceret; nec verisimile est, socios Catilinae, si coniurasset, eum non nominaturos fuisse, quo illius potentia se ipsos tegerent; praeterea Caesar prudentior fuit, quam ut aperte ad scelus conficiendum operam suam polliceretur, quo patefacto nisi vitam, omnem certe dignitatem ac gratiam esset amissurus; cfr. Drum. III, p. 176 sqq. Iam Plutarchus Caes. c. 8 et Sueton. Caes. c. 14 auctores sunt, id, quod h. capite narratur, die post demum factum esse, cum Caesaris oratio nimis mitis videretur; quibus Sal. non repugnat. Nam, si illud eodem die factum esse, quo quae capite antecedente narraverat, commemorare vellet, non scripsisset in principio capitis: *isdem temporibus;* sed quoniam antea de falsa suspicione in Crassum mota narraverat, occasione oblata, eodem modo Caesarem quoque vexatum esse, narrationi suae interposuit; praeterea ex plusqpfo § 4 *conflaverant* satis apparet, inter illa et id, quod inde consecutum est, aliquid temporis intercessisse. Neque obstat, quod c. 50 pergitur: *Dum haec in senatu aguntur;* nam haec ad c. 48 referri, vel inde apparet, quod quae c. 49 narrantur, ne potuerunt quidem in curia agi. Ceterum Suetonius in ipsa curia impetum in Caesarem factum esse narravit, Plutarchus autem, a Q. Curione aliisque eum toga obiecta tectum esse, ipsumque Ciceronem populi timore nutu suo equites a conamine deterruisse. —

mia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli diversis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant, partim exquirebant duces multitu-
2 dinum, qui pretio rem publicam vexare soliti erant. Cethe-

L. 1. *liberti*] Inter *libertum* et *libertinum* hoc discriminis intercedere constat: *libertus* vocatur manumissus, ubi respicitur is, qui eum manumisit eiusque patronus est („*in seinem Verhältnisse zum Freilasser oder Patronus*“), *libertinus* genus ordinemque in civitate designat („*in Hinsicht auf seinen Stand, sein Verhältniss zum Staate*“). Cfr. Göttling, Gesch. d. Röm. Staatsv. p. 142 ibiq. ann. 5. — Cicero in Cat. IV, 8, 17, ne senatores vulgi timore lenius de coniuratis decernerent, rem atrocissimam minuens, nihil aliud commemorat, nisi auditum esse *lenonem quemdam Lentuli concursare circum tabernas.* — *Opifices*] Hi sunt illi, qui in tabernis manuum mercede victum et cultum quotidianum quaerebant (cfr. 48, 2; Iug. 73, 6; Cic. l. c.), contemptum Romae atque abiectum hominum genus. — *partim*] Commode Fabrius monuit, ante *opifices* requiri alterum *partim*, sive quod huic adverbio opponere consuevit Salustius, *alii.* Simile exemplum est 56, 3: *ceteri, uti quemque fors armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant;* i. e. alii sp. aut l., alii pr. s. Diversum tamen est Iug. 31, 10, ubi vid. annot. meam. — *Exquirere* est cum studio quodam et opera data quaerere, sive percontari; cfr. 13, 3: *vescendi caussa terra marique omnia exquirere;* Iug. 29, 5: *quasi per saturam exquisitis sententiis;* 112, 1. *quamobrem regis sui sententiam exquireret.* Pluralem *multitudines* rarissimum esse, iam ab aliis monitum est; recte vero eo usus est Sal., cum variae hominum catervae dicendae essent. — *soliti erant*] Plusquamperfectum mirum quantum vexavit interpretes. At ubi de re praeterita narratur, quae ante eam fuerunt, utique plusquamperfecto dicenda sunt; quoniam autem saepius idem seditiosi illi homines fecerant, verbo *soleo* utendum erat. Sententia igitur non est: quibus pretio rem publicam vexare mos erat; sed qui antea quoque tempore pretio rem publicam vexaverant. Ipse enim Sal. iam supra 39, 1 et 16, 5 significavit, ex quo Pompeius ab bellum maritimum atque Mithridaticum profectus esset, nullam fuisse civilem seditionem atque tumultum. Haud alia ratio est loci Iug. 4, 7: *Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur;* i. e. qui antea nisi per virtutem nobilitatem non antevenerant (quod quoniam saepius et quasi more factum, *antevenire soliti erant* scri-

gus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto cum telis ad sese irrumperent. Consul ubi ea parari cognovit, 3
dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus

---

psit Sal.); in praesenti autem *nituntur*, quod sequitur apparet hoc inesse: postea inceperunt niti et etiamnunc id faciunt.

— 2. *lectos et exercitatos in audaciam*] „*Lectos* non proprio sensu capiendum de nonnullis libertis ex magno numero tum a Cethego exemptis, sed idem est, atque praestantes, eximios, quippe quorum opera studiumque illi probatum esset, quique animum ad res nefarias gerendas promptum gererent, quod cum etiam librarios fugeret, *electos* scribere maluerunt. [Cfr. ad 59, 3.] Praeterea nota, *in* brevitate insigni consilium et finem significare, hoc sensu: exercitatos ad id, ut [audaces essent, i. e.] audacia facinora suscipere ne cunctarentur. Hunc praepositionis usum tetigit Ruhnk. ad Vellei. II, 41, 3, sine idonea tamen caussa ad Graecam originem referens; geminum exemplum Cortius laudavit ex Liv. III, 36, 1: *coepit collegas in suos mores formare*, ubi Drakenborchius comparavit Iustin. III, 2: *populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum formavit.*" Kritz. Cfr. Z. § 314. — *grege facto*] i. e. non singuli, sed in unam manum congregati; cfr. Iug. 58, 3: *Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto locum cepere, paulo quam alii editiorem.*

3. *convocato senatu*] Ciceronem eo die (Nonis Decembribus) senatum in aedem Concordiae, non, ut vulgo opinati sunt, in Iovis Statoris convocasse demonstravit Drum. V, p. 504, n. 67. Praesidia disposita erant in Capitolio et in foro. Erant maximam partem equites Romani; sed etiam tribuni aerarii et scribae circum templum collocati erant; praeterea omnis populus sacramento militari obstrictus erat (Dio Cass. XXXVII, 35). — De indicativo *traditi erant* vid. ad 14, 7. — *de his*] Quamquam Leidenses omnes *de iis* exhibent, tamen *de his* relinquendum censui, quoniam *de his*, etiam non addito enuntiato relativo, de Lentulo, Cethego eorumque sociis intelligi potest. Nec dubito, quin Salustius, si *iis* scripsisset, coniunctivum *traditi essent* posuisset. Eadem caussa fuit, cur infra § 4 *de his* non mutandum putarem, cum praesertim ibi, qui iam capti, igitur praesentes erant, opponantur iis, qui nondum deprensi erant. — *Contra rem publicam facere* solemnis formula erat de iis, qui aliquid commisissent,

4 iudicaverat contra rem publicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat, quod de ea re

---

quod rei publicae perniciosum gravissimaque poena dignum esset. Cfr. 51, 43 extr.

4. *D. Iunius Silanus*] Cfr. de hoc homine Drum. IV, p. 46. Ut supplicium de captivis sumendum decerneret, eum motum esse M. Porcii Catonis auctoritate, cuius sororem uterinam Serviliam in matrimonio habebat, suspicatur Drum. V, p. 506. Eum qui secuti sunt, omnes in eandem sententiam decreverant, primus obstitit Caesar; cfr. Drum. l. c.; Cic. ad Att. XII, 21, 1, qua epistola Cicero de illa re pluribus exposuit. — *cos. designatus*] Mos erat in senatu primos sententias eos rogare, qui essent designati consules; cfr. Appian. B. C. II, 5: *Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἔλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο ὑπατεύειν. ὧδε γὰρ Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτος ἐσφέρει γνώμην, ὡς αὐτός, οἶμαι, πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος καὶ ἐκ τοῦδε εὐβουλότερόν τε καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου.* Ceterum inde, quod Silanus prior interrogatus est, quam qui aderat, eius collega L. Licin. Murena, non sine veri quadam specie concluditur, eum priorem consulem renuntiatum fuisse, nisi fortasse Cicero eum propterea priorem interrogavit, quod quam sententiam dicturus esset, certo iam sciret. — *in custodiis*] Plurali usus est Salustius, quod singuli singulis senatoribus custodiendi traditi erant. Supr. § 3, ubi res in universum significatur (generaliter), recte singularis positus est. — De L. Cassio vid. supra 44, 1 et 2. — De P. Furio Cic. in Cat. III, 6, 14: *in P. Furium, inquit, qui est ex iis colonis, quos Sulla Faesulas deduxit; in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus.* Pro Q. Manlio Chilone Salustius Q. Annium nominavit (cfr. 17, 3), credo, memoriae errore lapsus. — Plusquamperfecta *decreverat, dixerat, censuerat* bene Kritzius monuit propterea posita esse, quod scriptor quae narraret, tacite ad senatus consultum postremo factum referret. Vid. ad 18, 6. — *pedibus in sententiam Tiberii Neronis se iturum*] Duplici modo in senatu sententiae dictae sunt; aut *voce*, cum assentiri se singuli dicerent (cfr. 52, 1: *verbo alius alii varie assentiebantur*), aut *discessione*, cum qui pro alicuius sen-

praesidiis additis referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule huiuscemodi verba locutus est.

---

tentia decernerent, in eius partem irent; qui contra, in contrariam, unde facta est illa locutio: *pedibus ire in sententiam alicuius*, qua indicatur: alicui studiose assentiri. Tiberius Claudius Nero, qui hic nominatur, ex Livia Drusilla, quae Augusti postea uxor fuit, Tiberium Caesarem genuit. Eum post Caesarem demum sententiam dixisse, ex Salustii narratione, quamquam certo concludi non licet, tamen verisimile est. Et Cic. ad Attic. XII, 21 Caesarem primum contra mortis sententiam dixisse, auctor est. Cfr. Drum. V, p. 526, Not. 42. Valde autem dubitatum est de verbis *additis praesidiis*. Quae qui ita interpretati sunt, ut sententia esset: rem prorogandam, neque prius de ea ad senatum referendum esse, quam certiora et firmiora criminis documenta allata forent, vocabuli *praesidium* vim neglexerunt, quod semper ea significat, quae rem aliquam aut hominem tutantur, nullo modo, quae aliquid confirmant; quamquam ea interpretatio quodammod. munitur Appiani loco de B. C. II, 5, p. 430 fin.: *ὁ Νέρων ἐδικαίου φυλάττειν αὐτοὺς, μέχρι Κατιλίναν ἐξέλωσι καὶ τὰ ἀκριβέστατα μάθωσιν.* Atque illud quidem satis certum videtur Neronem, cum a C. Caesare, quo minus mortem decerneret, territus esset, ut res prorogaretur sententiam dixisse. Id cur eum fecisse putamus? Num quia nondum omnia satls explorata et comperta erant? Verum illi, qui deprensi in custodiis tenebantur, sceleris convicti atque confessi erant. An metu? Ea satis probabilis caussa videtur. Nam in urbe erant, qui captivos eripere molirentur, erant, qui eorum mortem ulturi essent, cum Caesar eam poenam contra leges decerni dixisset. Et si quidem verisimile est, Neronem post Ciceronis orationem Catilinariam quartam, qua ille vehementissime, ut res quam maxime acceleraretur, nisus erat, sententiam dixisse — quod nisi statuamus, mirum est, a Cicerone eius sententiam non commemoratam esse —, consentaneum fuit, eum qui moras quaereret, talem sententiam dicere, qua timor, propter quem consul, etsi callide rem dissimulans, rem accelerari iusserat, removeretur. Quare cum et verborum propriam vim et res ipsas considero, haec fere mihi videtur Neronis oratio fuisse: Nondum liquet; alii mortem decreverunt, Caesar, eam poenam contra leges esse contendens, custodiendos captivos; at consul contra rem accelerari iussit, ne quod inde damnum rei publicae fiat. Quare equidem censeo, praesidiis iam paratis maiora addenda esse, ut rem melius perpendere possimus et nihil nobis timendum sit. Nec moveor Appiani illis verbis, qui ambigue

LI. „*Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericor-*
2 *dia vacuos esse decet. Haut facile animus verum providet, ubi illa officiunt, neque quisquam omnium lubidini simul*
3 *et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet; si lubido*

---

dicta minus recte interpretatus esse videtur, nec magis Plutarchi narratione Cic. c. 21: *ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν αὖθις μεταβαλόμενον παραιτεῖσθαι καὶ λέγειν, ὡς οὐδ' αὐτὸς εἴποι θανατικὴν γνώμην· ἐσχάτην γὰρ ἀνδρὶ βουλευτῇ Ῥωμαίων εἶναι δίκην τὸ δεσμωτήριον*, cum is ne Caesaris quidem sententiam recte protulerit (cfr. Caes. c. 7).

LI. 1. Ab simili sententia Demosthenes orationem de Chersonneso exorsus est: *Ἔδει μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον, μήτε πρὸς χάριν, ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτ' ἀποφαίνεσθαι, ἄλλως τε καὶ περὶ κοινῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων ὑμῶν βουλευομένων.* Ceterum pleraque verba eadem sunt, quae in principio libelli sui Salustius posuit. Verba *res dubiae* h. l. non alia significatione sunt, quam supra c. 39: res in quibus summa rerum in discrimine versatur aut versari videtur.

2. Admirabilem quamdam orationis gravitatem in eo cernes, quod omnes fere sententiae *ἀσυνδέτως* iuxta ponuntur. — *verum providet*] Aptissimum h. l. est verbum *providere*, quod proprium est de rebus futuris cavendis aut curandis; cfr. infr. 7; 52, 4; 60, 4; Iug. 10, 7; 49, 2 (*omnia suis provisa*); 62, 1 (*ut aliquando sibi liberisque et genti Numidarum provideat*); 90, 1 (*contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat*); 99, 2 (*neque omnino facere aut providere quidquam poterant*); 100, 3. Sententia h. l. est: id videre, quod in tali re optimum factu et honestissimum sit; non simpliciter: quid verum sit, videre. — *paruit*] Lubido et usus quasi imperant, quae facienda sint; quae qui facit, iis obtemperat. Comparavit iam Cortius Nep. Alc. 4, 6: *plus irae suae, quam utilitati communi paruisse.* Cic. pr. leg. Man. 20, 60: *maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse;* nec dissimile est, quod attulit Herzogius, Cic. ad Fam. XIV, 4, 6: *serviendum est matrimonio et famae. Lubido* h. l. omnino est vehementior animi perturbatio: ira, odium, favor, misericordia, quae omnes non sunt sine quadam cupiditate; *usus* verbum contra ea omnia comprehendit, quae utilia sunt, quae ut fiant, res videtur suadere. —

3. Facile quivis concedat, *ingenium* et *animum* h. l. prorsus idem significare; sed scriptor idem vocabulum bis scribere noluit.

possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi 4
copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque
populi ira aut misericordia impulsi male consuluerint;
sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidi-
nem animi sui recte atque ordine fecere. Bello Macedo- 5

Qui lubidini paret, quasi caecus est; quid utile, quid honestum sit, ne cogitat quidem; igitur ingenii acumen non intendit.

4. *est*] De indicativi usu in talibus sententiis adeas Z. § 518 et 519; Rsh. § 165, N. 1, p. 609. Sed supra 7, 7 Salustius ne potuit quidem indicativum scribere, cum adderet: *ni ea res longius nos ab incepto traheret.* Exempla enim, quae Z. § 519 congessit, ab illo diversa esse facile cognosces, cum in iis non commemorentur, quae non facta sunt, quia aliud quid obstitit (ut l. l. non commemoravit Salustius, quoniam noluit longius ab incepto trahi); sed quae facienda fuissent, si aliud quid fuisset. — *quae — consuluerint*] Arusianus Messus, sive quem Maius libelli auctorem putat, Cornelius Fronto, Ex. ill. p. 219 Lindem. hunc locum in iis commemorat, in quibus *consulere* cum accusativo iunctum sit; ad cuius auctoritatem accedit liber Vaticanus; nam quod in Eins. *qui* in rasura scriptum est, inde non efficitur, *quae* scriptum fuisse. Obsequendum autem his duxi, quod aperte Caesari non tam reges atque populi commemorandi fuerunt, qui aliquando male consuluerint, quam quibus in rebus ira aut misericordia impulsi mala consilia ceperint; et quoniam sic hoc membrum ei, quod oppositum est, *quae — fecere* magis aequum efficitur. A Salustio autem non alienum esse *consulere* cum accusativo coniunctum, ostendunt loci: Cat. 52, 35: *neque parari, neque consuli quidquam occulte potest;* Iug. 92, 2: *omnia non bene consulta;* 108, 2: *consulta sese omnia cum illo integra habiturum.* Cfr. praeterea exempla a Freundio allata in Lex. s. v. *consulo* III, A. p. 994 a. Deinde indicativum *consuluerunt* coniunctivo posthabui, quia et aptior videbatur, cum Caesar rem non commemoret, igitur in animo suo teneat, et plerique codices in eo consentiunt, ii vero, qui indicativum exhibent, exceptis duobus, formam *erunt* tenent, quam formam cum a Salustio nusquam videri usurpatam esse, supra exposuerimus, non abest suspicio, indicativum a correctore scriptum esse. — *recte atque ordine*] Ablativus, ut recte dicit Kritzius, nullo attributo addito non significat id, quod cum aliqua re aut actione coniunctum sit; nec tamen ablativus instrumenti est, sed caussae. Nam *aliquid ordine facere* cum sit: aliquid ita facere, ut ordo non laedatur, ordo aperte caussa est, cur illud ita faciamus. *Recte atque ordine factum* autem fuisse solemnem formulam,

nico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas,

---

si quid senatus comprobaret, demonstravit Brisson. de form. II, p. 197. Iam cum Cic. d. Off. I, 40, 142: *ordinem*, inquiat, *sic definiunt: compositionem rerum aptis et accommodatis locis, locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt*, manifestum est, *ordine factum esse* id dici, quod ut fieret, tempus rerumque condicio postularet atque quasi praescriberet.

5. De rebus, quas h. l. commemorantem Caesarem fecit Salustius, haec teneto. Rhodii post Alexandri Magni tempora, mercatura atque navigatione opulentissimi facti, cum qui circa erant reges, sibi infestos scirent, amicitiam atque societatem cum Romanis coierant. Quos cum in bellis contra reges Philippum (a. 200—196 a. Chr.) et Antiochum (192—189) gestis magno cum studio ac voluntate adiuvissent, praemio iis Lycia et Caria, quibus rex Syriae Antiochus decedere coactus erat, traditae erant (quo spectant Salustii verba: *quae populi Romani opibus creverat*), sed tam ambigüis condicionibus, ut Lycii se illis non subiectos, sed socios esse crederent (Polyb. XXII, 27, 8—10; Liv. XXXVII, 56). Quare non ita multo post, Rhodii Lyciis, cum iis dicto audientes non essent, arma intulerunt (a. 174 a. Chr. Liv. XLI, 25 (30)). Romani, quibus suspecta erat Rhodiorum fides, cum Persei sponsam, regis Syriae Seleuci filiam, navibus ad eum deduxissent, simul opes maximas illis invidentes, Lyciis praesidio fuerunt (Polyb. XXVI, 7, 7: *ἐδόκουν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ κατὰ τοὺς Ῥοδίους καὶ Λυκίους διαγωνοθετεῖν, θέλοντες ἐκδαπανᾶσθαι τὰς παραθέσεις τῶν Ῥοδίων καὶ τοὺς θησαυρούς*). Quod cum Rhodii intellexissent, bello inter Romanos et regem Perseum (171—168) exorto, Dino et Polycrates cum aliis nobilibus auctores fuerunt, ne Rhodii Romanis auxilia mitterent, sed per legatos, Romam et ad Perseum missos, pacem reconciliare studerent. At legati, Romae non prius ad senatum admissi, quam rex Perseus captus esset, minas Rhodum retulerunt (Polyb. XXIX, 4, 7). Postea legati a senatu Romano missi, populum minis permovere, ut decerneret, qui pro Perseo adversus Romanos dixisse aut fecisse convincerentur, capite multarentur. Quorum multi iam aufugerant, alii mortem sibi ipsi consciverunt, in reliquos ex decreto illo asperrime iudicia exercita sunt (Liv. XLV, 10). Hoc modo quamquam omnes adversarii, nobilissimi et opulentissimi homines, ex civitate sublati erant, omniaque Rhodii ex voluntate Romanorum fecerant, tamen legati eorum, a. 167 Romam missi, multos invenerunt, qui aut in senatu, aut apud populum, ut bellum in eos pararetur, efficere studerent (Polyb. XXX, 4; Liv. XLV, 20, 21). Quodni M. Porcius Cato oratione illa, quam libro

magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit; sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis, quam iniuriae caussa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis 6 *Punicis omnibus, quom saepe Carthaginienses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere; magis, quid*

---

quinto Originum inseruerat, cuiusque fragmentum apud Gell. exstat N. A. VII, 3, obstitisset, bellum decretum esset; nihilominus Rhodiis ita responsum datum est, ut neque hostes essent, nec tamen socii permanerent; Lycia et Caria iis ademptae sunt (Liv. XLV, 25). Quibus rebus Rhodii magnopere gavisi, cum maioris mali timore levati essent, coronam viginti millium aureorum Romam miserunt (Liv. l. l.). Cfr. d. his rebus Drum. V, p. 123 sqq. Vides igitur, omnem laudem, quae h. l. Romanis tribuitur, uni deberi Catoni, parumque vere ac libere Caesarem iudicare de ratione, qua in Rhodios egerunt, quam nemo certe probus clementiam aut iustitiam appellet. — *Perse*] Nomen hoc a Romanis et *Perseus* et *Perses* scriptum esse, satis constat. — *magna atque magnifica*] *Magna* ad vires imperiique amplitudinem, *magnifica* ad externum splendorem pertinet. Cfr. 8, 2: *Atheniensium res gestae satis amplae atque magnificae;* 52, 10: *neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit.* — *impunitos eos dimisere*] Haec locutio, pariter ac *discedere* (vid. ad 49, 2), frequens et paene solemnis de iis est, qui responsum dant iis, qui aliquid petiverunt.

6. Hic quoque locus testimonio est, quantopere omni recti atque honesti sensu in maiorum suisque ipsorum facinoribus iudicandis caruerint Romani. Nemo enim, qui historiae gnarus est ignorat, Romanos in Carthaginienses non maiore fide usos esse, quam illos in ipsos, bella Punica, ut iniuste suscepta (cfr. egregiam disputationem Niebuhrii Histor. Rom. T. III, p. 659), sic summo odio atque ira gesta esse, in omnibus rebus Romanos non iustitiam, sed imperii, gloriae bellicae, praedae cupidinem secutos esse. — *per occasionem*] In hac locutione, quae apud alios scriptores, maxime apud Livium (Drakenb. ad V, 26, 9) frequens est, praepositio *per* caussam et condicionem significat, quae, ut res fieret, effecit. Etenim, qui occasione aliqua utitur, eam rem non egisset, nisi occasio eum quasi monuisset atque movisset. Eadem igitur ratione in hac locutione praepositio usurpata est, atque in

se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset,
7 *quaerebant. Hoc item vobis providendum est, patres*

---

iis, quae ad 6, 7 commemoravimus. — *in illos*] Ut accusativum scriberem, magnus librorum consensus me movit; nam unus tantum neque is optimae fidei liber ablativum tuetur. Quamquam negari vix poterit, ablativum recte poni potuisse, quo posito sententia esset: non quaerebant, quid cum illi in sua potestate essent, iure facere possent („*mit Recht an ihnen vollziehen könnten*"). Vid. ad 9, 2.

7. *Hoc item*] *Item* inventum est in omn. Paris. Leid. Bas. 1. 3. Bern. 1. 2., ut Gerlachius in edit. mai. monuit; in minore nihil adnotavit, quod, si ei fides habenda (vid. praef. p. V.), testimonio est, omnes libros, quos tum comparavit, in eo verbo consentire. Iam quamquam tantum abest, ut *idem* ferri posse negem, ut bonum atque elegans esse iudicem (cfr. Iug. 14, 21: *quod utinam illum eadem haec simulantem videam*), *item* tamen falsum esse nullo modo concedere possum. Etenim quod Kritzius monuit, *item*, quod praedicata tantum coniungeret, non posse non ad *providendum est* pertinere; auctorem vero dicere noluisse: nunc quoque providendum esse, sed de pari re, atque Rhodiorum et Carthaginiensium fuerit, senatoribus eandem ac maioribus cautionem adhibendam esse; consultationis igitur obiectum a priori non diversum non *item* particula, sed *idem* pronomine significari debuisse, in eo paululum errasse videtur vir doctissimus. Nam non in obiecto consultationis similitudo quaeritur (quamquam Rhodii, Carthaginienses aeque ac coniurati puniendi fuerant), sed in eadem cautione adhibenda, ne irae nimis indulgeatur. Deinde exempla, quae ad 27, 2 contuli, satis demonstrant, *item* recte usurpari, ubi quid ab aliis aut alio loco vel tempore aut in aliis rebus aliisve hominibus eodem modo factum sit; recte igitur hoc loco dicitur: ut maiores vestri providerunt, eodem modo vobis providendum est, ne ira plus valeat; cfr. infr. 36: *Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit* (i. e. ut Ciceroni); Iug. 31, 7: *occiso Tib. Graccho — in plebem Romanam quaestiones habitae sunt, post C. Gracchi et M. Fulvi caedem item* (i. e. uti iam antea) *vostri ordinis multi mortales in carcere necati sunt;* 47, 4: *Quos item, uti priores, consul illectos ad proditionem domum dimisit*, qui locus potissimum rem conficit. Postremo quod Kritzius addidit, quae sequerentur verba *ne plus valeat* cet. ita referri ad praegressa pronomina *hoc idem*, ut quae his universim enuntiata essent, enucleatius et plenius exponerentur, quibus sententiis connectendis commode *nempe* particulam adhiberi posset [ea vix quisquam probus Latinitatis auctor

conscripti, ne plus apud vos valeat P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra dignitas, neu magis irae vostrae, quam famae consulatis. Nam si digna poena pro 8
factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, iis uten-

---

usus esset], collatis Iug. 14, 20: *tantum illud vereor, ne —*; 31, 2: *nam illa quidem piget dicere, his annis quam —*; 85, 5: *et illud intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse* (cfr. Z. § 745), nihil valere ad comprobandum *idem* et ad simplex *hoc* eodem iure enuntiatum *ne — valeat*, referri posse, quivis videt. — *plus apud vos valeat*] Hunc verborum ordinem, quem Gerlachius in ed. mai. in Bas. 1. 2. 3. 4. Tur. 1. 2. Eich. Vat. a. 1. 2. 3. 4.; in edit. minore in omnibus, quos adhibuit, libris esse silentio suo testatus est, sequendum propterea duxi, quod aperte non tam *apud vos*, quam *plus valeat* numero efferenda fuerunt, quod optime fit, cum *plus* interposito leviore membro a verbo suo separatur. — *neu magis irae vostrae, quam famae consulatis*] „*Consulere rei* de iis tantummodo dicitur, quae auxilio digna sunt, opera data, ne detrimentum capiant; non potest igitur ad *irae* referri, sed per zeugma cogitatione inde assumendum *obsequamini*, quod constructionis genus haud sane infrequens est; cfr. Iug. 14, 4: *ad vos confugi, quibus cogor prius oneri, quam usui esse.*" Kritz.

8. *digna poena pro factis eorum reperitur*] *Pro* inservit comparationi ac sententia est: si poena reperitur, quae magnitudine sua ac gravitate tantis sceleribus par ideoque iis digna est. Potuisset id dici: *digna factis;* sed multo minus tum premeretur magnitudinis aequus modus. Cfr. Terent. Hecyr. II, 1, 12: *an quicquam pro factis istis dignum te dici potest?* i. e. an quicquam te dignum dici potest, si quidem factorum istorum magnitudo perpenditur. Alia ratio etiam dativi est libr. ad Herenn. IV, 8, 12: *quod huic maleficio dignum supplicium potest inveniri?* Dat. enim non cum *dignum*, sed cum verbo *inveniri* coniungendus est. — Cur sententiam Silani Caesar *novum consilium* dicat, apparebit ex iis, quae infra ad § 21 proferentur. Ceterum in eo vocabulo inauditi atque insolentis significatio inest. Cfr. § 18. — *omnium ingenia exsuperat*] i. e. si tantum est scelus, quantum nemo cogitare aut fingere possit. Non diversa sententia est Suet. Calig. 37: *Nepotatus sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit*, i. e. tantos sumptus fecit, quantos etiam qui in prodigentia ingeniosissimi essent, neque excogitare neque facere possent. — In sequentibus cum Guelf. 5. et Leidensibus omnibus

9 *dum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixere, composite atque magnifice casum rei publicae miserati sunt; quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere; rapi*

---

scripsi *iis* pro *his*, cum aperte relativum membrum non insuper addatur explicationis caussa, sed in eo maximam vim inesse, appareat ex opposito *novum*. — *comparata sunt*] *Comparare* de iis rebus, quas maiores instituerunt, quibus uterentur posteri, haud infrequens est. Cfr. quos locos Fabrius et Herzogius congesserunt: ad Herenn. IV, 16: *Bene maiores hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent;* Cic. pr. Rosc. Am. 53: *more maiorum comparatum est;* pr. Quinct. 16: *praetores, ut considerate fieret, comparaverunt;* pr. Mur. 36, 77: *quare nec plebi Romanae eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum, quae omnia maiores nostri comparaverunt;* pr. Cluent. 46, 128; Liv. IV, 26, 34.

9. *sententias dixere*] Quamquam non negligendum videtur, quod Vaticanus primus, liber maxima fide, singularem *sententiam* tuetur, tamen ceteris omnibus obsecutus sum, pluralem scribi iubentibus, qui h. l. non ineptus est, quia, quamquam omnes ante Caesarem in eadem sententia consenserant, tamen etiam cum Silano assensi erant, omnes suam quisque sententiam dixerant. — *composite atque magnifice*] *Composite* spectare ad artificium, quo ut auditorum animi quam maxime permoveantur, omnium sententiarum et verborum vis quam diligentissime expenditur, manifestum est maxime ex loco Iug. 85, 31: *Non sunt composita verba mea; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit; illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant;* cfr. ibid. 26: *si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore;* Cat. 52, 12: *Bene et composite, C. Caesar* cet. *Magnifice* contra ad splendorem orationis pertinet, quae luminibus quasi distincta, animos percellit et quasi praestringit. Optime, quae horum verborum vis sit, percepit Drum. l. c. p. 506: „*In den Gutachten dieser Optimaten, unter welchen mehrere Catilina's oder Caesar's persönliche Feinde waren, vernahm man den Nachhall von den Reden des Cicero, eine Schilderung der Schrecken, welche hereinzubrechen drohten; kunstvolle und pomphafte Klagen über das Unglück des Reiches und seiner Bürger.*“ De verbo *casus* cfr. ad 35, 4. — *enumeravere*] Recte Cortius viderat, de proxime praegressis tantum verbum proprie intelligi posse, ad *saevitiam* vero per zeugma alio sensu cogitandum esse. Fabrius enim, quamquam vere monuit, *enumerare* esse: rem singulis eius partibus enumerandis quasi describere, coll. Cic.

virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati, quae victoribus collubuissent, fana atque domos spoliari, caedem, incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortalis! quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos coniurationi faceret? scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit,

---

d. Nat. Deor. II, 47, 121: *Enumerare possum, ad eum pastum capessendum conficiundumque quae sit in figuris animantium et quam sollers subtilisque descriptio partium quamque admirabilis fabrica membrorum;* tamen non negabit, ad ultima verba propria sua vi, ad priora translata referri. — *matres familiarum*] Vid. ad 43, 2. — Verbum *collubet* frequentius apud Plautum, rarius apud reliquos scriptores esse, iam Lexicographi observarunt. *Spoliari* pro *exspoliari* nullam aliam ob caussam scripsi, quam quod libri plurimi iique optimi singularem tueri videntur. De *postremo* cfr. ad 14, 6.

10. *quo illa oratio pertinuit*] *Pertinere* cum proprie sit: usque quasi uno tenore extensum esse (cfr. Iug. 48, 3: *Sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertinens*), cum *ad* sive adverbio, quo locus, ad quem quid movetur, significatur, coniunctum, frequentissimum est, ubi quem ad finem aliquid factum sit, dicitur. — *scilicet*] Haec particula facta ab imperativo *sci* et *licet* proprie in orationem introducit id, quod alteri, quo rem recte intelligat, tenendum est; tum saepissime ibi a Romanis usurpata est, ubi quod, per se perspicuum, alterius opinionem refellat, in medium profertur. Semper autem inest in ea quaedam ironia atque dicendi acerbitas. Explicationi inservit Iug. 102, 9: *sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit, cui scilicet placuisse et vim et gratiam nostram te experiri;* ad quem locum vide, quae annotabimus; 31, 19: *Qui si deditícius est, profecto iussis vostris obediens erit; sin ea contemnit, scilicet existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit* („*dann freilich*"); cfr. praeterea Iug. 113, 3: *voltu corporis pariter atque animo varius, quae scilicet tacente ipso occulta pectoris patefecisse;* 104, 3: *pauci ferocius decernunt, scilicet ignari* cet.; 4, 6; 41, 3; 85, 25; Cat. 10, 3. Alterius generis praeter hunc locum sunt Cat. 52, 28 et Iug. 85, 10. — *tanta atque tam atrox*] Non obsecutus sum Gerlachio et Orellio, ex plerisque atque optimis libris *et* scribi iubentibus. Nam quamquam recte hoc loco scriberetur *et*, tamen idem per *atque*, quod res non solum adhaerere, sed inhaerere sibi invicem significat (Hand. Tursell. I, p. 458 sqq.)

11 *eum oratio accendet. Non ita est; neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur; multi eas gravius*
12 *aequo habuere. Sed aliis alia licentia est, patres con-*

---

distinctius dicitur, ut omittam librarios facilius ad *et*, quam ad *atque* aberrare potuisse. De Temporibus bene monuit Kritzius, perfectum *permovit* esse praesens actionis perfectae, perfecto Graecorum respondens, cui recte subiiciatur futurum, cum de re praesente et de eius mutatione futura et eventu agatur.

11. *Non ita est*] Recessit Sal. h. l. ab eo ordine verborum, qui apud Ciceronem usitatior est, quemque ipse observavit Iug. 85, 42: *Verum non est ita.* Intercedit autem inter utrumque hoc discriminis: Ubi dicitur *non ita est*, quoniam notio praedicati tollitur, contrarium esse contenditur; ubi *non est ita*, tantum ita esse negatur. Hoc loco contrarium Caesar contendit, cum ita cohaereant sententiae: An vos infestos coniurationi facere voluerunt? quoniam tanta tamque atroci re non permoti estis, oratione vos accendere? Contra est; nec vobis aliud quid accidit, quam omnibus mortalibus, quorum nemini unquam iniuriae suae parvae visae sunt. At Iug. l. c. Marius non contendit contrarium; illud non esse dicit, quod ut esset, antea optavit. — *iniuriae suae*] *Iniuria* genitivum obiectivum adiunctum habet infr. 52, 6: *de sociorum iniuriis;* Iug. 14, 19: *quo facilius sociorum iniurias curare licet;* cum genitivo subiectivo in Cat. et Iug. non legitur. Etiam pronomina possessiva, ubicunque illi nomini addita sunt, genitivi obiectivi locum tenent (Z. § 424); cfr. Iug. 14, 8: *Vos in mea iniuria despecti estis;* ibid. 23: *tuasne iniurias persequar?* 20, 4: *Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum;* 24, 6: *quae sane fuerint nostrae iniuriae;* 82, 3: *illum magis honore Mari, quam sua iniuria excruciatum.* Genitivus et pronomen coniuncta sunt or. adv. Lepid. 10 (Fragm. I, 19): *non pro sua aut quorum simulat iniuria.* Pronomen reflexivum ad Dativum relatum ne offendat, adeant tirones Rsh. § 157, 5, N. 1, p. 543; Z. § 550 extr. — *gravius aequo habuere*] De verbo *habere* cum adverbio iuncto vid. ad 5, 9. *Graviter habere* qui dixerit, praeter Salustium neminem novi. *Aegre habere* legitur apud Plautum Bacch. V, 2, 17 (1067 ed. Bothe): *Atque ego, si alibi plus perdiderim, minus aegre id habeam, minus id mihi damno ducam;* et ap. Liv. VII, 5: *Nec perinde ut maluisset plebes sibi suffragii ferendi de tam crudeli et superbo reo potestatem fieri, ita aegre habuit, filium id pro parente ausum.* De pf. vid. ad 10, 4. —

12. *aliis alia licentia est*] Hoc quoque loco quid libri exhibeant, ambigimus. Nam Gerlachius, cum in comment. p. 132

scripti. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid

---

monuisset, in Vatic. 1. eum esse verborum ordinem, quem nos exhibuimus, in edit. minore, in qua *alia aliis* edidit, de eo libro facile omnium praestantissimo, nihil prorsus annotavit, ut nesciamus, an quod antea in eo libro esse credidisset, postea non esse cognoverit. Utut est, plurimi neque ii deterrimi libri *aliis alia* videntur commendare. A quo ordine verborum recentiores editores recedendum censuerunt, secuti regulam, quam praescripsit Beierus ad Cic. d. Off. I, 7, 22, geminata *alius* voce subiectum obiecto praemitti. Cui regulae et locus Iug. 14, 15: *alium alia clades oppressit*, adversatur, et ratio obstat. Etenim, ubi geminatur *alius*, semper de multitudine dicitur, cuius singulae partes aliqua re diversae sunt; apparet igitur id praeponi debere, quod dividatur, quod ad multitudinem, cuius partes inter se diversae esse dicuntur, pertineat. Id omnes loci, qui in Salustii Catilina et Iugurtha leguntur, comprobant. Cat. 2, 10: *Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit;* itinera, quibus ad praeclaram famam pervenitur, diversa sunt; unde *aliud* praepositum est; 6, 2: *alius alio more viventes;* moribus inter se erant diversi; non mores dividuntur, sed ipsi homines; ibid. 5: *alius alium hortari;* hortabantur omnes singuli, nec tamen omnes eosdem; igitur diversi erant eo, quod non eosdem hortabantur; 22, 2: *alius alii tanti facinoris conscii;* 52, 1: *ceteri omnes alius alii varie assentiebantur;* divisae erant omnium sententiae; ibid. 28: *sed — alius alium exspectantes cunctamini;* 53, 1: *alii alios increpantes timidos vocant;* 54, 1: *item gloria, sed alia alii;* 60, 5: *sed alios alibi resistentis interficit;* omnes interficit; sed diversi illi fuerunt loco; Iug. 14, 15: *affinis amicos, propinquos ceteros meos alium alia clades oppressit* (omnes interierunt, sed singuli diversi inter se fuerunt modo, quo perierunt); 46, 4: *alium ab alio divorsos;* 49, 4: *alium alio modo;* 60, 1: *neque alius in alio magis, quam in sese spem habere* (geminus huic loco est Cat. 52, 28; non diversi erant eo, quod hic in illo, ille in hoc spem habebat); 63, 5: *ab eo magistratu alium post alium magistratum sibi peperit* (diversi fuerunt magistratus et temporibus diversis parti sunt); 66, 5: *sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militaris et ipsum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum alius alium domos suas invitant;* ipsi inter se divisionem fecerant, ut non plures eundem, sed quisque alium invitaret; potuisset h. l. non minus recte scribi *alium alius;* 87, 1: *proelia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere;* 101, 2: *quia divorsi redeuntes alius ab alia parte.* Iam ut ad eum locum, unde exorsus sum, revertar, apparet utrumque et *alia aliis* et *aliis alia*

iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt; qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere.

---

recte scribi potuisse, sed cum aperte non tam dicendum sit *licentiam diversam*, quam diversis hominibus non eandem licentiam esse, homines igitur dividantur vitae suae condicione, in qua diversitas licentiae posita est, a plerorumque librorum auctoritate non recedendum arbitratus sum. — *demissi*] „Sunt humili sorte et vitae condicione utentes." Kritz. De *vitam habere* et *aetatem agere* vid. ad 4, 1. — *fama atque fortuna eorum pares sunt*] In nonnullis nec tamen optimae notae codicibus *eorum* omissum est, quod recte factum esse nuperrime defendit Fabrius, hoc argumento usus, quod Salustius post plura substantiva generis feminini praedicatum neutro genere ponere consueverit; cui consuetudini qui repugnent loci Iug. 70, 2: *ex quo illi gloria opesque inventae* et 73, 6: *quorum res fidesque in manibus sitae erant*, femininum, bonis libris adversantibus, certe suspectum esse. Sed in eorum locorum utroque uno tantum libro neutrum muniri ipse in sua editione notavit, et vellem eos libros nominasset; nam equidem neque in mai. neque in min. ed. Gerl. quidquam varietatis notatum invenio, unde satis certo videtur statui posse, Salustium ab illa sua consuetudine nonnumquam recessisse, quod eo certius fit, cum cur recesserit, satis idonea caussa reperiatur. Apparet enim, — id quod ipse Fabrius ad 5, 7 videtur sensisse — ubi neutrum praedicati ad subiecta alius generis referatur, praedicatum non tam ad ipsa subiecta, quam ad eam notionem referri, sub qua illa comprehendantur. Sic *virtus fidesque vostra mihi spectata sunt* (20, 2) vertenda sunt: „*Eure Wackerkeit und Treue sind mir erprobte Dinge.*" Unde intelligitur, rectius praedicatum eodem genere, quo subiecta poni, ubi ad singula subiecta potius, quam ad omnia in unum comprehensa referendum sit. Iam cum h. l. sententia aperte esset: fortuna et fama sibi pares sunt, fortuna famae, fama fortunae par est; Salustio satis idonea caussa fuit, quare neutrum non scriberet. Eandem locorum illorum ex bello Iugurthino prolatorum rationem esse, facile intelligitur. Deinde, si *eorum* eiicitur, ex Fabrii praecepto haec tantummodo loci explicatio admitti potest, ut *pares* ad *qui demissi — habent* referatur, *fama atque fortuna* habeantur pro ablativis eius generis, de q. exposuit Z. § 457; cfr. Liv. IV, 19: *animo atque viribus par.* Quod si ponitur, in verbis est aliquid ambigui, cum facile quis ea ita intelligere possit: omnes inter se fama atque fortuna pares sunt; nemo neque fortuna neque fama praeter ceteros eminet; qualis ambiguitas oratori maxime vitanda est. — *imperio praediti*] „Cortius comparavit Iustin. XLI, 4:

Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque stu- 13
dere, neque odisse, sed minume irasci decet; quae apud 14
alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque
crudelitas appellatur. Equidem ego sic existumo, patres 15

---

duarum civitatium imperio praeditus; Tacit. Ann. XVI, 22 init.: *quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum;* Cic. Epp. ad Att. VIII, 3. Plerumque enim *praeditus* de iis dicitur, quae natura in rebus aut hominibus insunt; latiore tamen usu etiam de iis usurpatur, quae extrinsecus accedunt, sive quae parantur [et ab aliis accipiuntur]. Utrumque coniunxit Cic. Lael. 15, 51: *ut ii, qui opibus et copiis, maximeque virtute praediti, minime alterius indigeant.*" Kritz.

13. *studere* h. l. esse: favere, quivis videt, nec magis monendum videtur, haec verba arctius cum illis *in maxuma fortuna* coniungenda esse.

14. De asyndeto cfr. ad 17, 7. De genere pronominis ad 7, 6 diximus. — *in imperio*] Observes admirabilem orationis brevitatem et concinnitatem. Nam praecedentibus verbis *apud alios* opponere debebat scriptor tale quid: *apud eos, qui sunt in imperio,* pro quo cum minus homines, quam eorum condicionem ac statum respiceret, simulque maximam vim orationi accedere sentiret, si duobus verbis non plura responderent, simpliciter *in imperio* scripsit.

15. *Equidem ego*] De particula *equidem* omnium diligentissime egit Handius Tursell. Vol. II, p. 422—436. Et luce clarius demonstravit, eam non esse factam ex *ego quidem;* nam si hoc esset, nec cum eo ipso pronomine, nec cum aliis personis recte coniungi potuisse; *ex mea sententia* autem, quod quidam illa particula significari voluerunt, non magis in ea inesse posse, quam in verbis *ego quidem*, mediae orationi interpositis; praeterea credi non posse, *ego* in *e* ita decurtatum esse, ut omnis similitudo prorsus everteretur; nec magis veram esse eam originationem, qua ex *et quidem* facta esse dicatur, cum et in media oratione saepissime collocata sit, et cum *et*, *atque* coniuncta reperiatur. Ipse mea quidem sententia verissime censuit, *equidem* factum esse ex *e* syllaba, quae in *ecastor*, *enim* (quod factum est ex *e* — *nam*) praeposita sit vimque monstrativam et confirmativam habeat, et *quidem*, quae particula vel notionem, cui additur, restringat, vel rem insigniter denotet, eoque aut sententiam confirmet aut vim orationi addat; igitur *equidem* ad sententiam confirmandam adhiberi (non ad singulas notiones vel membra sententiae; unde intelligitur cur *equidem* in initio sententiae poni possit, *quidem* semper ei notioni, ad quam pertinet, postponatur), sed antiquo usu eum in modum, ut is, qui loquatur, ea, quae de se suaque

conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disse-
16 *runt, si ea paulo severior fuit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio rei*

---

sententia aut de suis rebus profiteatur, cum quadam affirmatione designet, eoque auditorum animos convertat; inde cum factum esset, ut semper fere cum prima persona verbi coniungeretur, natam esse vulgarem illam opinionem, *equidem* ortum esse ex *ego quidem;* ad quam scriptores quosdam dictionem suam accommodavisse; a Cicerone quidem longe plurimis locis *equidem* cum prima persona iunctum esse, paucos tantum apud eum exstare locos, in quibus cum secunda vel tertia persona compositum sit; sed id non ideo factum esse, quod *equidem* esset *ego quidem*, sed quod propria esset haec vox in affirmanda re vel sententia eius, qui loqueretur. Salustius eo adverbio paulo liberius usus est. Et cum *ego* coniunxit praeter h. l. Iug. 10, 6: *Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillum;* 85, 25: *Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore;* praeterea, non addito pronomine *ego* cum prima persona verbi Cat. 51, 20: *De poena possum equidem dicere id quod res habet;* et cum plurali 52, 11: *Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus;* sed etiam cum aliis personis, Cat. 52, 16: *Quare vanum equidem hoc consilium est;* et 58, 14: *Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit.* — *postrema meminere et* —] Per *et* adiunctum est id, quo praecedentia explicentur. Simili modo 20, 17: *nisi animus me fallit et vos servire magis, quam imperare parati estis.* Poena postremum est; principium scelus. Quare qui postrema meminit, poenam memoria tenet, sceleris magnitudinis atque atrocitatis oblitus. De *in* infr. ad 35 dicetur. —

16. *certe scio*] Inter *certe scio* et *certo scio* hoc discrimen per usum ac consuetudinem constitutum esse constat, ut illud esset: profecto scio, certum est me scire, *certe* igitur adderet iudicio quamdam confirmationem, hoc: certa mihi est notitia rei sive: quod scio, certum est, *certo* igitur referretur ad veritatem in re ipsa positam (obiectivam), *certe* ad persuasionem de rei veritate (subiectivam veritatem); vid. Klotz. ad Cic. Cat. mai. 1, 2, p. 74 sqq.; Stürenb. ad Cic. pr. Arch. p. 12, 31; Hand. Tursell. II, p. 18 sq. Iam h. l. cum plerique libri *certe scio* exhibeant (*certo* enim in nullo praeterquam in Struv. Leid. 1. et Eins.

publicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere; eos mores eamque modestiam viri

---

inventum est), tum sententia ut id recipiatur postulat. Quo enim iure Caesar pro certo affirmare posset, D. Iunium Silanum nulla alia re, nisi rei publicae studio atque amore permotum esse? at id sibi quidem ex moribus illius persuasum esse recte affirmat. Eadem ratio est loci Iug. 9, 2: *quam rem tibi certe scio gaudio esse*, ubi item plerique libri *certe* tuentur (*certo* tamen bpl.), neque commode Scipio affirmaret, sibi illud pro certo cognitum esse, sed profecto id sibi quidem persuasum esse. Hi duo loci soli sunt in Cat. et Iug., in quibus illa locutio legitur, in quibus cum *certe scio* ex ea lege, quam usus scripsit, dictum sit, diiudicari nequit, num usum antiquiorum, qui solum *certe scio* norunt, an suorum aequalium, apud quos *certo scio* usitatius est, sequi maluerit. — *neque illum*] Pronomen *ille* h. l. eadem ratione dictum est, qua saepius *is*, de quo vid. ad 49, 3. Kritzius, cum *exercere* proprium esse verbum de odio et inimicitiis opinaretur (cfr. 9, 2; 49, 1), h. l. per zeugma ad *gratiam* relatum esse arbitratus est, quippe pro quo deberet tale quid dici, ut *praestare*. At *exercere* etiam ad bonas res translatum esse, ostendit Cic. d. Off. I, 25, 88: *exercenda etiam est facilitas et lenitudo animi;* praeterea quod saepius dictum est *misericordiam exercere;* neque diverso significatu ad utrumque referendum est, non magis quam cum nos dicimus: „*Gunst oder Ungunst üben*,“ sive „*freundliche oder feindliche Gesinnungen bethätigen;*“ neque aliquo momento est, quod *gratiam* singularis, *inimicitias* pluralis est. — *eos mores eamque modestiam*] Vid. ad 8, 3. Quoniam in nonnullis libris *que* deest, in aliis *atque* scriptum, complures asyndeton restituerunt, copula illata omnem vim per pronominis anaphoram orationi conciliatam perire arbitrati, collatis simul 7, 5: *eas divitias, eam bonam famam putabant;* Iug. 85, 3: *hae sunt meae imagines, haec nobilitas;* Tac. Hist. IV, 42 extr.: *non timemus Vespasianum, ea principis aetas, ea moderatio.* Sed cum plerorumque librorum scriptura temere non relinquenda sit, minimeque necesse sit, quod saepius factum, semper fieri; multo minus id h. l. probari poterit. Etenim diversus hic locus est ab illis, qui cum eo comparati sunt, cum in illis diversae res compositae sint, in hoc ab universo genere ad singularem quamdam speciem transeatur. *Mores* omnem agendi consuetudinem complectuntur, *modestia* (i. e. moderatio cupiditatum (cfr. ad 11, 4) h. l. animus ab odio aut amicitia liber) eorum pars est. Iam vero cum saepius a nobis observatum sit, particulas copulativas ibi usurpari, ubi explicandi caussa praecedenti aliquid addatur, explicet autem aperte Caesar, quamnam

17 *cognovi; verum sententia eius mihi non crudelis (quid enim in talis homines crudele fieri potest?), sed aliena*
18 *a re publica nostra videtur. Nam profecto aut metus aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum,*
19 *genus poenae novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, quom praesertim diligentia claris-*

---

potissimum partem morum Silani dicat, *que* particula etiam a sententia satis munita videtur.

17. *mihi non crudelis*] Quamquam quod pauci libri (Guelf. 6. 10. al. Bas. 3. Bern. 2. 3.) exhibent: *non mihi crudelis*, commendatur consuetudine Latinorum pronomina inter duo arctius coniuncta vocabula interponendi, quo ultimum numero magis efferatur (vid. Frotscher. Ep. ad Meyer. p. XIII, adi. eius edit. Cic. Orat.; Peter. ad Cic. Or. 16, 52: *Quod — sentiebam, non te id sciscitari — sed id mihi quaerere videbare*), tamen a vulgato ordine verborum recedere propter ceterorum librorum consensum audacius arbitratus sum. Verba *aliena a re publica nostra* scite expressit Herzogius: „*abweichend von unserer Verfassung.*"

18. „Caesar, ut Silanum perperam iudicasse demonstret, hoc dilemmate utitur: aut nimis magna opinio de rei periculo (*metus*), aut res ipsa (i. e. *iniuria* [facta a coniuratis] sive sceleris gravitas) te subegit; sed neque erat, quod timeres (§ 19), eoque tantis poenis non opus erat, et si non timebas, sed rei ipsius atrocitate permotus sententiam tulisti, non satis graves poenas constituisti (cfr. § 21 sq.); ergo tua sententia non talis est, quae probetur." KRITZ.

19. *quom praesertim*] Cum Putschius in vet. cod. pro *praesertim* scriptum invenisset *praesenti*, hanc scripturam Cortius multique post eum editores, novissime Fabrius defenderunt. Ad quam muniendam accedere creditum est codicem Bas. 1.; sed cum Gerlachius in edit. min. *praesertim* ediderit, nec de eo codice quidquam monuerit, dubitandum videtur, annon in ed. mai. falso *praesenti* in eo esse retulerit. Sed etiamsi accederet cod. Bas. fides, tamen *praesenti* a libris parum munitum esset, cum in reliquis omnibus *praesertim* scriptum esse testatum sit. Iam ut de sententia quaeramus, *praesenti* de tempore nemo umquam accepit, neque accipiet; sed omnes interpretati sunt per *efficax*. Et constat *praesens* de omnibus iis dici, quae cum iis opus est, non longinqua sunt, sed omnem suam vim statim exercent; quare *auxilium* dicitur *praesens*, praeterea *animus*, *virtus*, denique *Dii* appellantur *praesentes* (cfr. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 31). Recte sic diceretur *diligentia*, quippe quae omnia provideat et contra

summi viri consulis tanta praesidia sint in armis. De 20

---

omnia parata sit. Quare si in *praesenti* plurimi optimique libri consentirent, profecto non esset, quod vituperaremus. At cum *praesertim* omnium fere librorum fide munitum sit, quaerendum erit, an recte dictum sit. Constat autem *praesertim* eam vim habere, ut e pluribus caussis sive condicionibus unam omnium maxime valere indicet; cfr. Grysar. Theor. d. Lat. St. p. 534; Klotz. ad Cic. Tusc. p. 317 a. Atque plerumque quidem dicitur *praesertim cum* vel *si;* haud raro etiam *cum* vel *si praesertim* (Stürenb. ad Cic. pr. Arch. ed. II.). Quid intersit, utrum particulae caussali vel condicionali anteponatur, an postponatur, difficile est dictu, haud minus, quam quo modo nos „*da zumal*“ ab „*zumal da*“ distinguamus. Talia in aurium iudicio sensuque uniuscuiusque posita sunt. Salustius in Cat. et Iug. nusquam scripsit *praesertim quom*, sed ubi eo adverbio utitur (praeter h. l. Iug. 2, 4; 3, 2), postposuit. Iam si scribitur *quom praesertim* hoc dicitur a Caesare: supervacaneum est de metu disserere, cum ob alias caussas, tum maxime, quod tanta praesidia sunt in armis. At id ineptum esse dicit Fabrius; timorem enim sine illis praesidiis necessarium fuisse. Idem Kritzio oblocutus est, qui ignominiosam exsistere Silano sententiam dixerat, si quidem Caesar caussam, cur illi non timendum esset, neutiquam in illius virtute, sed in consulis diligentia poneret, quod non caderet in eum, quem paulo ante virum fortem atque strenuum appellasset. Quippe monuit, Silanum minime ignavum appariturum fuisse, si sine illis praesidiis timeret, nec talem metum ignominiosum esse; id patere ex Catonis verbis 52, 16: *Sin in tanto omnium metu solus non timet* (Caesar), *eo magis refert, me mihi atque vobis timere.* Facile equidem concedo, non ignominiosum fuisse Silano, si timeret rei publicae periculum; at summo dedecori est iudici, si metu tantopere se subigi patiatur, ut aliter, quam debeat, sententiam ferat; deinde manifestum est, maiorem certe laudem Silano a Caesare tribui, si ab omni metu liber dicatur; denique callidi est oratoris eam rem, quam maxime sibi oppositum iri sciat, prorsus despicere ac quasi abiicere. Postremo ipsa illa verba Catonis ostendunt, Caesarem ita de timore locutum esse, ut eum non tam propter praesidia deponendum, quam omnino non admittendum diceret. Videmus igitur scripturam *quom praesertim* non minus a sententia ferri posse, quam a libris commendatam esse.

20. Transgreditur Caesar iam ad alteram, quam antea commemoravit caussam, *iniuriam.* Agnosces h. l. admirabilem brevitatem. Neque enim, ut alii solent, tali enuntiato: *ut iam de altero dicam*, transitum sibi parat, sed statim rem aggreditur.

poena possum equidem dicere, id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse, eam cuncta mortalium mala dissolvere,

---

Ceterum teneto, quae supra ad 18 Kritzii verbis de dilemmate, quo utitur Caesar, monuimus. *Possum* pro *possumus* scripsi, longe plurimos optimosque libros secutus; nec credibile est, librarios, quod falso crederent, *equidem* idem esse atque ego quidem, pluralem mutasse; quae si iis caussa mutandi fuisset, etiam 52, 11 pluralem non reliquissent. Neque aptior est pluralis. Etenim, cum Caesar antea significaverit, se de metu plura dicere nolle, rectius haec quoque ad eum solum referentur. — *id quod*] Vid. Z. § 371; Rsh. § 158, 1, n. †††), p. 550 et § 204, 46, p. 975; Grysar. Theor. d. Lat. St. p. 44, ann. 2 extr. Exempla ex Sal. collegit Fabrius ad Iug. 47, 2 haec: Cat. 14, 2; 30, 2; Iug. 56, 1; 85, 20. — *Res habet* aperte est dictum pro: id quod in re ipsa inest, quod a re separari nequit. Similem usum verbi *habere* ad 11, 3 illustravimus. — *dissolvere*] Comparavit Gerlachius Senec. ad Marc. 19: *mors omnium malorum est solutio et finis, ultra quam mala nostra non exeunt.* Romanos illis temporibus, maxime eos, qui acutiore ingenio praediti, quam futilia essent a maioribus tradita de inferis commenta, perspexissent, de vita post mortem futura maximis et gravissimis dubitationibus atque erroribus obnoxios fuisse, neminem fugiet, qui Ciceronis quaestionum Tusculanarum librum primum perlegerit. Ipse Cicero orat. in Cat. IV, 4, 7 de Caesaris sententia: *alter*, inquit, *intelligit mortem a diis immortalibus non esse supplicii caussa constitutam, sed aut necessitatem naturae aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes numquam inviti, fortes etiam saepe libenter oppetiverunt;* et § 8: *vitam solam relinquit nefariis hominibus, quam si eripuisset, multos uno dolore dolores animi atque corporis et omnes scelerum poenas ademisset. Itaque, ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt, quod videlicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam;* et 6, 11 de Silani sententia: „*atque obtinebo eam multo leniorem fuisse.*“ Igitur nisi mentitus est, eandem tum atque Caesar opinionem habebat; in errore certe fuit Herzogius, cum locis modo commemoratis contrarium probari diceret. Eandem sententiam pronuntiavit pr. Cluent. 61, 171; pr. Mil. 37, 101; sed pr. Arch. poët. 12, 30, si quidem eius orationis auctor est, certe dubius haeret: *Ego vero omnia quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem abfutura est, sive ut*

ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed, per 21
deos immortalis! quamobrem in sententiam non addidisti,
uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An, quia 22
lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civi-

---

sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione speque delector. Postea vero cum accuratius tractasset philosophiam, in eam opinionem adductus est, ut certe animos cum corporibus non interituros esse arbitraretur; cfr. d. amic. 4; de sen. 21 sqq.; Tusc. I, 30. Iuvat hic ascribere Drumanni verba V, p. 379: „*Noth, Leidenschaft und Muth sind furchtbare Elemente der Empörung; nur grössere Gewalt oder ein sittlich religiöser Sinn geben ein Gegengewicht. Die Religion der Römer sollte das Räderwerk der Staatsmaschine im Gange erhalten. So lange ein priesterlicher Adel den Einfluss der Religion auf das bürgerliche Leben vermittelte, nährte er die Ehrfurcht vor den Göttern; als seine Geheimnisse enthüllt und auch Plebejer Priester waren, legte er die Maske ab; die äussere Scheu vor dem Heiligen verschwand; mit einer halben Bildung kam überdies der Zweifel und mit der Entartung sogar der Wunsch, dass die Rechnung hier geschlossen werde.*" Et de Caesare T. III, p. 748 extr.: „*Ueber einen so starken und hochgebildeten Geist hatte der Volksglaube keine Gewalt und er wurde ihm durch keinen bessern ersetzt.*"

21. *in sententiam*] Quod in Vat. a. Eins. Guelf. 5. Leid. m. Struv. legitur *in sententia*, sic explicandum esset: quamobrem, cum sententiam diceres, mortis poenae a te decretae non addidisti. At proba est vulgata scriptura, in qua hoc inest: cur non sententiae, quam dixisti, inculcasti.

22. *lex Porcia*] De ea lege Liv. X, 9: *Porcia tamen lex sola pro tergo lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit,* cum quibus verbis concinunt Cic. loci in Verr. A. II, L. V, 63, 162; pr. C. Rabir. 4, 12. In ea lege etiam de provocatione sanctum fuisse, — id quod quidam negarunt, maxime nisi Livii l. c., qui certe non probat, de provocatione nihil in ea scriptum fuisse — intelligitur ex inscriptione denarii ap. Eckhel. Doctr. Num. 5, 286 et ex Cic. d. Rep. II, 31, 53, qui tradit per eam legem in lege Valeria, qua cautum erat, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret, nihil novatum esse praeter poenam, qua qui eam migrasset, multaretur. Ex eadem illa inscriptione constat Porcium quendam Laecam huius legis auctorem fuisse. Eum Drum. V, p. 95 sq. suspicatur fuisse P. Porcium Laecam tribunum plebis a. 199 a. Chr. nat. Sed Cic. d. Rep. II, 31, 54: *Neque*

23 *bus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An, quia gravius est verberari quam necari? Quid autem acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris*

---

vero, inquit, *leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quidquam praeter sanctionem attulerunt novi.* Ex quo loco apparet legem Porciam, cum primo lata esset, a duobus eiusdem gentis hominibus renovatam esse; quemadmodum Valerii id semper sui officii esse arbitrati sunt, ut legem a proavo suo latam de provocatione, si antiquata esset, renovarent. Igitur si quas partes in ea lege ferenda susceperat M. Porcius Cato Censorinus, aut ei suffragatus est aut eam fortasse mutatis nonnullis renovavit (Fest. s. v. *pro scapulis* p. 206 Lindem.). Ac satis quidem manifestum est, cur Caesar Porciam legem potius quam Valeriam commemoret, cum aperte eam debeat proferre, qua novissime et gravissime de illo iure sanctum erat. Ceterum cum illa lege etiam id cautum esset, ne quis civis adversus provocationem necaretur (quamquam et ex iis, quae attuli, et quae Salustius Caesarem dicentem fecit, efficitur, etiam illud sanctum fuisse, ne, qui necaretur, antea verberaretur; cfr. Göttling, Gesch. d. Röm. Staatsv. § 139, p. 427 sqq.), ad eam legem videntur pertinere ea quoque, quae paulo post Caesar dicit: *Qui convenit in minore negotio legem timere, quom eam in maiore neglexeris?* — *aliae leges*] Quas leges Caesar dicat, nescimus. Sunt vero, qui ex Cic. in Cat. IV, 5, 10: *At vero C. Caesar intelligit, legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam, qui autem rei publicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse*, h. l. de ea lege cogitent. Lege Sempronia de capite civium Romanorum, lata a C. Graccho trib. pl., haec sancta fuisse constat: *ne de capite civis Romani iniussu populi Romani iudicaretur;* deinde: *si quis magistratus iudicio quem circumvenisset, ut de eius capite populi esset animadversio.* Nihil in ea lege de mortis poena (eam sublatam esse lege Gracchi censuit etiam Göttling. l. c. p. 436), de exilio, de verberibus contentum fuisse, sed latam esse eo consilio, ut crudelitas P. Popilii Laenatis et puniretur et in posterum impediretur, demonstravit E. A. I. Ahrens. exc. ad M. Tullii Ciceronis quae fertur oratio quarta in Catilinam; Coburgi 1832 p. 214 sqq. Hanc legem igitur h. l. nullo modo intelligi posse, luculentum est. Sed tamen potuit a Caesare commemorari aut certe timere debebat Cicero ne ea lege contra se adversarii uterentur. Quid aliud enim fecit Cicero, quam iudicio circumvenit coniuratos, quamquam non singulos iudices coegit, sed ad omnem senatum retulit? Iam quae leges illae fuerint, quae condemnatis exilium permiserunt, ignoramus. Antiquis quidem temporibus licebat unicuique, nec tamen nisi

convictos? Sin, quia levius est; qui convenit in minore 24
negotio legem timere, quom eam in maiore neglexeris?

---

antequam condemnatus esset, poenam exilio subterfugere (cfr. Nieb. Histor. Rom. T. II, p. 75); postea etiam condemnatis id concessum fuisse et ex hoc Sal. loco (coll. infr. § 40) et ex aliis apparet (locupletissimus testis est Cic. pr. Caec. 34, 99). Id autem omnibus in criminibus ac iudiciis licitum fuisse, ne credamus, ratio dissuadet, — quid enim profuissent leges, si cuique poenam exsilio vitare licuisset? Cfr. Nieb. T. II, p. 419. Quare verissimum illud videtur, quod Drum. II, p. 487, ann. 9 ex Diek. criminal. Unters. protulit, paulatim in usum venisse, ut pro crimine perduellionis (cuius qui condemnati essent, iis exilium patuisse vix credibile est) crimen maiestatis substitueretur. Quo iure Göttling. l. c. p. 118 eum morem primo per leges Porcias in civitatem introductum esse coniecerit, ipse defendat. Illud nemo negabit, minus accurate rem significasse Salustium. Et videntur sane per civiles dissensiones leges, instituta, mores maiorum ita perturbata et commixta fuisse, ut error facilis esset. — Ceterum in nonnullis libris post *sed* intersertum legitur *in*. Id nihili esse, vix est, quod pluribus moneatur; sed adducor ad eam coniecturam, ut a Salustio scriptum fuisse credam: *sed is* (i. e. iis) *exsilium permitti.*

24. *Sin quia levius est*] *Sin* particulae ibi locum esse constat, ubi praecedenti condicionali sententiae altera, quae illi contraria est, opponitur; cfr. supr. 8; 52, 16 (vid. tamen ad 58, 10); Iug. 8, 2; 10, 6; 31, 19; 33, 4; 50, 6; 58, 3; et Iug. 1, 4, quo loco *sin* relatum est ad praecedens *ubi*, in quo inest condicio. Eadem ratio est Iug. 58, 3: *sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati; sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere*, ubi condicio inest in participio *tela eminus missa*, quod est: si tela eminus mitterentur. Interdum autem *sin* ponitur, ubi praecedit non condicionalis enuntiatio, sed tale quid, quod sine condicione cogitari non possit, quod est, ubi quid imperatur aut fieri debere dicitur. Sic Iug. 35, 4: *imperat, pretio sicuti multa confecerat, insidiatores Massivae paret, ac maxume occulte; sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat*, ubi non statuendum est cum Kritzio, condicionem inesse in adverbio *maxume*, sed inest in toto enuntiato: *si possit, insidiatores paret; sin id parum procedat* cet. Eadem ratio est Iug. 46, 4: *uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent.* Nec magis quisquam dubitabit, quin h. l. *sin* recte dictum sit, cum in omni interrogatione speciem condicionis inesse, neminem fugiat. — Quam sententiam Wexius in libello scholastico Suerini 1833 edito pronun-

25 *At enim quis reprehendet, quod in parricidas rei publicae decretum erit? Tempus, dies, fortuna, cuius lubido*

---

tiavit, *quia* delendum esse, eam falsam esse perspexit iam Orellius (vid. praefat. eius). Etenim cur tandem, quae ellipsis in praecedentibus bis admittitur, iam tertio non admittatur: Sin quia levius est, in sententiam non addidisti —? Qua ratione ea admissa deleatur egregia orationis concinnitas? Item Orellius recte monuit, post *est* non interrogationis signum, sed semicolon ponendum esse. Illud si poneretur, deberet interrogativa apodosis cogitari — neque enim condicionalis enuntiatio ipsa interrogativa esse potest, sed eius apodosis —; at apodosis est illud enuntiatum quod sequitur. Ceterum non satis recte Orellius hoc enuntiatum ita interpretatus est: si contra levius est, nec quidquam rei publicae refert. Cum enim *gravius* idem esse atque *acerbius*, *crudelius*, appareat ex eo, quod oppositum est, per *levius* contrarium significari manifestum est. Hoc igitur dicit Caesar: An in sententiam non addidisti — quia gravius est verberari, quam necari, ne poenam gravem etiam graviore cruciatu addito augeres? — Nihil nimis grave est in homines tanti facinoris convictos. Sin quia levius est, nihil igitur referre videbatur, ut poenae per se gravi levior adderetur, eo magis debebas legem timere, ne contra eam in illos graviorem poenam decerneres. Vides igitur repetita ea opponi, quae iam primae interrogationi opposita erant.

25. *At enim*] Per *at enim*, sive in oppositione simplici, sive in occupatione sententiae alterius, opponi praecedentibus aliquid ita, ut prius rei caussa, quam res ipsa dicatur, et oppositio cum argumentatione in unum coniungatur, demonstravit optime Hand. Tursell. I, p. 444 sqq. Hoc loco apparet a Caesare occupari id, quod ab aliis opponi posset: Cur tandem tu reprehendis, quod in illos decretum erit? Inest igitur ellipsis, ut plerumque esse solet, in una particula *enim* ac sententia plene sic fere diceretur: At — nam sic iure quis quaerere potest — quis — reprehendet? De vocabulo *parricida* vid. ad 14, 3. — *Tempus, dies, fortuna*] Aperte Caesar pro sua sententia hoc argumento utitur, periculum esse, ne ex eo exemplo, quod in Lentulum ceterosque edatur, postea multa mala oriantur; igitur futura („*die Zukunft*“) dicit reprehensura esse, quod in illos decretum fuerit. Iam illud per tria vocabula expressit, quorum ultimum quo modo a prioribus diversum sit, vix est monendum. At *tempus* et *dies* quomodo differant, difficilius est dictu. Mea quidem sententia *tempus* significat omnino rerum decursum (ut hoc vocabulo utar); *dies* certum quoddam finibus circumscriptum temporis spatium, quare tam saepe dictum est de eo tempore, ad quod sive quo quid fieri debeat. Id

gentibus moderatur. Illis merito accidet, quicquid eve- 26

---

maxime intelligitur ex loco Liv. II, 45 init.: *diem tempusque forsitan leniturum iras sanitatemque allaturum;* ubi manifestum est, *diem* esse, quod nos dicimus „*der veränderte Zeitpunkt*," tempus „*die Länge der Zeit.*" Eodem modo illa vocabula coniuncta sunt Liv. XXII, 39, 12 med.: *meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque faciet.* Tria igitur commemorantur a Salustio, quae continentur eo, quod nos dicimus „*die Zukunft*," *tempus*, i. e. temporum continuitas („*die Länge der Zeit*"), *dies*, i. e. temporis momentum („*der veränderte Zeitpunkt*"), denique *fortuna*, cuius sunt rerum mutationes.

26. *ceterum*] Hoc adverbio frequentissime usus est Salustius, frequentius quidem in Iugurtha, ubi quinquagies, quam in Catilina, ubi ter tantum invenitur. Constat eius hanc vim esse (cfr. Hand. Tursell. II, p. 33 sqq.), ut praecedentibus addat, quod eiusdem rei pars est, qua quidem addita res plena sit. Quoniam vero, quae eiusdem rei partes sunt, quamquam pares, tamen inter se diversae sunt, apparet duplicem esse huius adverbii vim, ut et adiungat, et simul id, quod adiungat, opponat. Itaque usurpatur 1) ubi praecedentibus additur, quod praeter illa fuit; Cat. 17, 6: *ceterum iuventus pleraque — Catilinae inceptis favebat*, i. e. praeter eos, qui commemorati sunt; Iug. 15, 4: *M. Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callidissime occultans* (i. e. praeter commemorata in M. Scauro etiam hoc fuit, ut vitia sua callidissime occultaret); 75, 3: *igitur omnia iumenta sarcinis levari iubet, nisi frumento decem dierum, ceterum utres modo et alia aquae idonea portari.* 2) ubi ad novum aliquid transgreditur oratio, quod quidem cum praecedentibus cohaeret necessarioque, ut res recte intelligatur, addendum est. Interpretari poteris aut: his missis factis, aut: ut hoc addam, vel: ne quid omittam, vel: hoc enim monendum videtur. Cat. 20, 6: *Sed ego quae mente agitavi, omnes iam antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur* cet., i. e. nolo igitur illa iterum exponere, hoc autem mihi monendum videtur; Iug. 4, 1, ubi est: ut missa iam longiore disputatione ad id transgrediar, quod propius rem meam accedit; 10, 7, ubi etiam sic poteris interpretari: ex his igitur, quae exposui, vos de hoc monendos puto; 13, 1; 17, 7 (hoc enim pro re monendum est): 18, 8 (ut hoc addam); 41, 1 (ut rem a principio repetam accuratiusque de eâ exponam); ibid. 6 (ut de ratione certaminis dicam); 43, 4; 51, 1; 58, 3; 73, 4; 75, 9 (neque enim hoc omittendum est); 78, 1, 79, 6; 87, 1; 91, 1; 95, 1; 98, 4

nerit; ceterum vos, patres conscripti, quid in alios sta-

(postquam quid egerit Marius dixit, iam quo modo singula instituerit, addit); 110, 6 (ab iis, quae ad solum Sullam pertinebant, Bocchus transgreditur iam ad ea, quae ad rem publicam spectant. Praeter haec duo nihil respondere poterat); 113, 1 (ne hoc omittam). Huc refero eos locos, de quibus non satis recte iudicare videtur Handius l. c. p. 38, nr. 10: Iug. 20, 8 et 29, 2; quorum in illo Sal., postquam commemoravit, Iugurtham maiore exercitu comparato bellum suscepisse contra Adherbalem, iam qua ratione bellum gesserit exponit; in altero, quod sciri necesse est, additur, quo administro ea, quae agitaverit, gesserit. Oppositio quaedam gravior in eo adverbio inest Iug. 85, 38: *ceterum homines superbissumi procul errant*, i. e. nolo plura; hoc unum monendum videtur; 102, 14: *ceterum vetera omittere* („*Doch er lasse das Alte bei Seite*"); 105, 5: *Senatus et populus Romanus benefici et iniuriae memor esse solet. Ceterum Boccho delicti gratiam facit;* 106, 4, Sulla negavit, se fugam capessiturum esse, tum pergitur: *ceterum ab eodem monitus, ut noctu proficiscerentur, consilium approbat;* 107, 4 Bocchi filius Sullam obtestatus est, ne id sibi suoque dolo tribueret, quod per calliditatem Iugurthae factum esset, tum, cum pergit: *ceterum — credere*, id sibi monendum videri dicit, ne nimis a Iugurtha sibi suisque timeat. 3) *ceterum* dicitur, ubi, quod ex aliqua re provenerit, enarratur; nos: „*das Resultat war.*" Sic Iug. 82, 2: *non temere neque omnibus locis pugnandi copiam facit; ceterum haut procul ab Cirta castris munitis reges opperitur* („*endlich aber*"); 104, 3: antea de consilio dictum, sequitur quid factum sit. Eadem ratio est locorum 111, 4 et 112, 3. Sequuntur hoc genus 4) ii loci, in quibus ab altero ad alterum transit oratio, quales sunt Iug. 12, 3: *Quem ille promissis onerat impellitque, uti — portarum clavis adulterinas paret, ceterum ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum;* 29, 4, ab iis, quae Iugurtha fecit, transitur ad ea, quae consul egit; 94, 1, ubi iis, quae Marius fecit, opponuntur, quae qui ab eo missi erant, egerunt. 5) in talibus oppositio interdum tam gravis est, ut interpretari possis „*auf der anderen Seite*"; quemadmodum in eo ipso loco, unde exorsi sumus, ubi illis et patres conscripti et alii opponuntur; Iug. 2, 4: *Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum et ignaviam aetatem agunt, ceterum* („*dagegen*") *ingenium — incultum atque socordia torpescere sinunt;* 14, 12: *qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse;* 22, 3 multa se recte fecisse gloriatur Iugurtha; ad-

tuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta 27

---

iungit, *ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare* („*dagegen sei auch die Folge davon*"; vid. supr. 3); 46, 41 opponuntur ea, quae palam regi nuntianda sunt, iis, quae secreto cum legatis transacta erant; 48, 1: *quippe cui verbis pax nuntiabatur, ceterum re bellum asperrumum erat;* 52, 1: *ipsi pares, ceterum opibus disparibus;* 55, 7: *ubi vi opus erat, cuncti aderant, ceterum* (i. e. si illud non erat, „*sonst*"), *quo fuga atque formido cresceret, divorsi agebant;* 70, 5: *Iugurthae exitium adesse, ceterum suane an virtute Metelli periret, id modo agitari;* 76, 1: *simulabat, sese negoti gratia properare; ceterum proditionem timebat* („*in der Wahrheit aber*"); 83, 1: *omne bellum facile sumi, ceterum aegerrume desinere;* 92, 4: *aliam rem — non eadem difficultate, qua Capsensium, ceterum haut secus difficilem;* 108, 1: *ex gente Masinissae, ceterum genere materno impar* („*aber*"). Ceterum facile concedo, unum alterumve locum ad aliud genus, quam quo ego retuli, referri posse; vel ipsa genera fortasse alios aliter distincturos esse; equidem satis habui demonstrare, quam saepe quaque ratione eo adverbio Salustius usus sit. Quodsi alios historicos consideraveris, illius adverbii usum apud eum multo quam apud reliquos frequentiorem esse, facile invenies; nec quisquam erit, qui in eo miram quamdam orationis simplicitatem non cognoscat. — *in alios*] Ablativum ferri posse, iam ad 9, 2 significavimus; sed omnes libri, uno excepto, accusativum tuentur.

27. *exempla*] „*Exemplum* Herzogius sine genitivo, quo accuratius definiatur, positum ubique censet poenam irrogatam vel inflictam significare; sed hoc nemo concedet in vocabulo ipso inesse, quod in universum est: facinus aliquod conspicuum, quod alii intueantur, ut vel imitentur vel vitent. Quare sententiarum tantum nexu eam potestatem accipere potest, quam ille vocabulo propriam putat, velut Tac. Ann. VI, 10 extr.; XIV, 44 extr." Kritz. In sequentibus *ex rebus bonis* exhibent Bas. 1 (b). 2. 4. uterq. Fabr. Eccard. Erlang. Paris. a (p). b. c. d. (in e. et Leid. d. e. h. Bas. 3. ordo mutatur); inc. 2. Acad. Vin. 2. Heuss. Struv. Guelf. 2. 4. 8. 9. 10. 12. Bern. 2. Leid. a. b. c. f. i. k. l. (l)., omnes Wassii libri. Vatic. A (v). *ex rebus domesticis orta sunt* quod ediderunt Gruterus et Wassius, confirmant Guelf. 1. 3. 5. Vin. 1. plures Leid. Eins. (e). *ex domesticis rebus* Tur. 1 (t). *ex bonis initiis* Aldina. Guelf. 7. inc. 1. Leid. m. Arond. Bern. 1. 2. *ex bonis* Guelf. 11. Fabr. 1. in margine Palat. 8. 9. 10. *bonis ex rebus domesticis* Guelf. 6. Documento hic locus est, quam saepe etiam probatissimi libri interpolati sint. Caesaris sententia

sunt. Sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad

---

aperte haec est: omnia mala exempla ex bonis mala facta sunt; quae antea bona exempla fuere, postea mala facta sunt. Id dici non potuit *ex bonis rebus*. *Res* enim *bonae* sunt non quae bene et recte fiunt, sed quae secundae, felices, non turbatae sunt; sed recte dicitur *ex bonis*, ad quod cum *exemplis* supplendum esse non intelligerent librarii, alii ante, alii post *bonis* addiderunt *rebus*, alii *initiis*, alii denique cum *rebus* scriptum invenissent, id per *domesticis* explicandum putarunt. Pari modo infra cum *ignaros* absolute dictum non intelligeretur, in nonnullis libris *eius* (vpe.) additum idque in permultis in *cives* mutatum est. Quamquam id non recte scriptum esse moneri poterant loco 2, 6: *imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur*. Et libere quidem fatemur, *ignaros* obscurius dictum esse, quod nonnullos commovit, ut *ignavos* corrigerent; nec tamen quisquam dubitabit, quin hoc dicat Caesar: ubi imperium ad eos pervenit, quorum intelligentia (utar enim hoc vocabulo docendi caussa) minima, maxima inscitia est, qui dignos et idoneos ab indignis et non idoneis distinguere nesciunt (quare ipse § 36 dixit: *potest aliquid falsum pro vero credi*). Paulo diversus est locus, quem Fabrius comparavit Iug. 91, 1: *ignaris omnibus parare, quae mox usui forent*; ibi enim, quid supplendum sit, ex ipsis verbis additis intelligitur, hoc loco *ignarus* animi intelligentiaeque defectum, inscitiam, significat. Ceterum non mirum est, in orationibus ap. Sal. plures inveniri interpolationes, cum eas a grammaticis et rhetoribus multum tractatas esse constet. Quin huic mori illorum videmur debere, quod ex Historiis orationes quaedam longiores atque epistolae nobis servatae sunt. — Non sine caussa Herzogius in *sed* offendit et pro ea particula explicativam, ut *nam*, *quippe* desiderari dicit. At, si quid video, *sed* sententiam non praecedentibus opponit, sed iis, ad quae etiam referenda sunt verba *novum illud exemplum*. Quo enim consilio ea, quae praecedunt, Caesar dixit? Scilicet, ut persuaderet senatoribus, timendum esse, ne quod nunc decreturi essent, in futuro tempore malum evaderet. Quare plene sic dixisset: Illis merito accidet, quidquid evenerit; vobis considerandum est, quid in alios statuatis, i. e. quod exemplum in aliis imitandum proponatis. Quod vos decernitis, quamvis sit novum, dignum erit illorum scelere; sed, ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, illud novum exemplum cet. Facile autem apparet, illam sententiam ideo a scriptore omissam esse, quod bis idem dicere nollet; intelligetur autem ex his, cur ego ante *sed* maiorem interpunctionem posuerim. — *idoneis*] *Idoneus* proprie dicitur de

indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii de- 28

---

iis hominibus sive rebus, in quibus est aliqua ad rem quamdam opportunitas. Quare dicitur de hominibus, qui ad aliquam rem peragendam aut viribus animi vel corporis, aut studio suo utiles sunt (cfr. 39, 6; Iug. 62, 4; 73, 2), deinde de rebus, in quibus est aliqua utilitas, ut infra 38: *quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur;* Iug. 57, 1: *nullius idoneae rei egens;* 75, 3: *et alia aquae idonea.* Inde fit, ut omnino, quod utile sit, recteque fiat, *idoneum* dicatur, ut Iug. 95, 2: *idoneum visum est, de natura cultuque eius disserere.* Quemadmodum autem de locis dicitur, in quibus recte aliquid fieri potest (Iug. 76, 3), ita ad homines transfertur, in quibus recte aliquid exercetur, ut h. l. *idonei* dicuntur, in quos recte crudelitas exercetur, quibus recte aliqua poena irrogatur. Sic Cic. d. Off. II, 15, 54 scripsit: *et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum est*, i. e. talibus hominibus, quibus recte praestetur misericordia, recte tribuatur beneficium. Videmus igitur *et idoneos* praegresso *dignos* illustrandi caussa additum esse. —

28. Lysander, dux Lacedaemoniorum, receptis in dicionem Athenis (a. a. Chr. 404), eam legem pacis scripserat, ut oligarchica rei publicae forma institueretur. Igitur populus triginta viros creavit, qui leges patrias conscriberent et secundum eas rem publicam tractarent (Xen. Hellen. II, 3, 2), inter quos nobilissimi erant Critias et Theramenes. Sed illi neglecta legum conscriptione senatum magistratusque omnes ex lubidine sua constituerunt (Xen. l. c. 12); *ἔπειτα μὲν*, pergit Xen., *πρῶτον μὲν, οὓς πάντες ᾔδεσαν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἀπὸ συκοφαντίας ζῶντας καὶ τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς βαρεῖς ὄντας, συλλαμβάνοντες ὑπῆγον θανάτου καὶ ἥ τε βουλὴ ἡδέως αὐτῶν κατεψηφίζετο οἵ τε ἄλλοι, ὅσοι ξυνῄδεσαν ἑαυτοῖς μὴ ὄντες τοιοῦτοι, οὐδὲν ἤχθοντο.* Postea vero cum concupivissent, ut tota res publica prorsus in sua potestate esset, ab Lysandro impetrarunt, ut Callibius harmosta cum praesidio armatorum Athenas mitteretur. A quo omnibus in rebus adiuti, atque ex civibus, quos sibi fidissimos arbitrabantur, tribus millibus electis, quibus corporum suorum custodias mandarent (Xen. l. c. 20), reliquos omnes, ut arma, tela sibi traderent, coëgerunt, quosque sibi adversos esse intelligerent (l. c. 14), in vincula coniiciebant. Praesidiis illis freti, *ὡς ἐξὸν ἤδη ποιεῖν αὐτοῖς, ὅ,τι βούλοιντο, πολλοὺς μὲν ἔχθρας ἕνεκα ἀπέκτεινον, πολλοὺς δὲ χρημάτων* (l. c. 21). In omnibus his crudeliter iniusteque factis Theramenes Critiae adversatus, sed ab illo calumniis circumventus veneno necatus est. Quo sublato etiam

victis Atheniensibus triginta viros imposuere, qui rem
29 *publicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare; ea po-*
30 *pulus laetari et merito dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubidinose inter-*
31 *ficere, ceteros metu terrere. Ita civitas servitute op-*
32 *pressa stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostra memoria victor Sulla, quom Damasippum et alios eiusmodi,*

---

impudentiores facti *οἱ τριάκοντα, ὡς ἐξὸν ἤδη αὐτοῖς τυραννεῖν ἀδεῶς, προεῖπον μὲν τοῖς ἔξω τοῦ καταλόγου μὴ εἰσιέναι ἐς τὸ ἄστυ, ἦγον δὲ ἐκ τῶν χωρίων, ἵν' αὐτοὶ καὶ οἱ φίλοι τοὺς τούτων ἄγρους ἔχοιεν* (Xen. l. c. III, 4, 1). Et ut ait Xenophon l. c. 21: *ἰδίων κερδέων ἕνεκα ὀλίγου δεῖν πλείους κατεκτόνασιν Ἀθηναίων ἐν ὀκτὼ μησὶν ἢ πάντες Πελοποννήσιοι δέκα ἔτη πολεμοῦντας*, a quo non dissentit Isocr. Paneg. 32: *αὐτοὶ πλείους ἐν τρισὶ μησὶν ἀκρίτους* (i. e. indicta caussa) *ἀποκτείναντες, ὧν ἡ πόλις ἐπὶ πάσης τῆς ἀρχῆς ἔκρινε.* Sed a Thrasybulo eiusque sociis nono post imperium susceptum mense urbe expulsi et paulo post enecati sunt. — Utrum Salustius verba *devictis Atheniensibus* pro ablativis, an pro dativis haberi voluerit, nemo facile diiudicabit. Utrumque recte fit, cum *imponere* et absolute dicatur (cfr. ad Iug. 100, 2) et cum dativo iungatur; facile autem Kritzio concedes, simplicissimam esse eam rationem, qua pro dativis habeantur. Nec vero recte idem vir doctus *eorum* propterea positum esse dixit, quod illi triginta viri non suam, sed alienam rem publicam tractassent. Nam vix credibile est, a Caesare sive Salustio, quamquam is veterum rerum non admodum gnarus fuit, ignoratum fuisse, illos triginta viros cives Athenienses fuisse; sed necessario dicendum fuit *rem publicam eorum*, cum sententia sit: qui eorum omnes res suo arbitrio regerent, sive: qui iis imperarent. De locutione *rem publicam tractare* vid. ad 39, 2.

29. *ea — laetari*] Cfr. Z. § 385; Rsh. § 132, 2, p. 390. Magis mirandum, quod Salustius scripsit Iug. 14, 22: *laetandum magis quam dolendum puto casum tuum.*

32. C. Marius minor, cos. cum Cn. Papirio Carbone, cum a. 82 ad Sacriportum a Sulla proelio superatus, de victoria desperasset, antequam ipse periret, adversarios suos quam atrocissime ulcisci voluit. Igitur eius iussu L. Damasippus, praetor urbanus (Iuniae gentis videtur fuisse ex Appian. b. c. I, 407; cfr. Drum. II, p. 463, not. 3), convocato in curiam Hostiliam senatu, adversarios partium Marianarum, Q. Mucium Scaevolam, pontif. max., P. Antistium, C. Papirium Carbonem Arvinum, alios homines nobilissimos,

qui malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam 33
uti quisque domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi 34
mors laetitiae fuerat, paulo post ipsi trahebantur, neque

---

partim in ipsa curia, partim in fuga necavit, necatorum corpora per urbem rapta, in Tiberim coniecit. Postea in proelio, ad urbis Romae portas facto, occisus est (a. 81); cfr. Dio Cass. fragm. 135; Drum. l. c. p. 467. Salustius cum diceret: *iugulari iussit* aliam narrationem secutus videtur; cfr. § 34; nec prorsus ea spernenda atque abiicienda. — *eiusmodi*] Sic scripsi cum plet., quamquam in plerisque libris legitur *huiusmodi*. Nam cum Salustius nusquam *huiusmodi*, semper gravius ac numerosius *huiuscemodi* scripserit (Cat. 15, 1; 20, 1; 32, 3; 50, 5; 51, 40; 52, 1; 57, 6; Iug. 2, 2; 4, 8; 5, 3; 9, 4; 30, 4; 32, 1; 84, 4; 86, 1; 102, 4), quod in plerisque libris *ce* syllaba omissa est, videtur documento esse, a librariis, ut tam multis aliis locis, pronomen *is* in *hic* mutatum esse. — *qui malo rei publicae creverant*] „Recte Cortius *malo* pro ablativo habet; sententia enim multo gravior redditur, si illorum potentia pernicie rei publicae illata niti, quam si parata magnitudo ad perniciem rei publicae fuisse dicitur." Kritz. Cfr. § 3: *quae populi Romani opibus creverat.* Simili modo Graeci *αὔξεσθαι* de potentia in civitate nanciscenda dicunt.

33. *magnae initium cladis*] Latinos solere inter duos genitivos substantivum interponere, a quo illi pendent, a multis grammaticis est observatum. Plerumque id fit propterea, ut, quod est praepositum vocabulum, cum ab eo, quocum arctius cohaeret, separetur, graviori numero efferatur. De *postremo* cfr. ad 14, 6. — *ut is*] Pronomen *is* addidit Sal., ne qua ambiguitas nasceretur, simul quod hoc, *ut in proscriptorum numero esset*, ad ipsum hominem pertinet, cum in praecedentibus tantum de eius bonis dictum sit. Cfr. ad 49, 3. Ceterum, qui *uti* propter hiatum decurtare fortasse audacius iudicaturi sunt, eos moneo, hoc loco mihi suffragari egregios libros Bas. 1. et Vat. a. (bv.).

34. *paulo post*] *Paulo* adverbio *post* et praeponi potest et postponi. Ubi praeponitur, apparet magis urgeri, breve esse illud tempus, quod inter duas res intercesserit; ubi postponitur, magis efferri notionem *post*, cui appositionis loco addatur *paulo* (cfr. Kritz. ad Cat. 33, 5). Sic h. l. aperte Caesar maxime illud efferri

prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divi-
35 *tiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio, neque*
his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et
36 *varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule,*

---

vult, non multum temporis intercessisse, cum illi, quod modo laetati essent, lugere incepissent. Eandem rationem intelliges esse locorum Cat. 28, 1; Iug. 36, 2; 71, 5. *Post paulo* sine varietate legitur Cat. 18, 3, et recte quidem scriptum est, cum ibi non tam brevitas temporis premenda esset, quam ad praecedens aliud postea accessisse. Eodem modo recte scribitur Iug. 56, 3; 74, 1; 106, 3, quamquam libri variant. Videntur autem librarii, cum iis insolentius videretur *post paulo*, ad mutandum proclives fuisse. Neque illud omittendum est, ap. Sal. nusquam legi *ante paulo*, quod num alius scriptor dixerit, nescio. — *Trahi* saepe dictum esse de iis, qui ad supplicium ducerentur, non est, quod pluribus moneamus. — *omnis suos divitiis explevit*] i. e. satiavit. Cfr. Iug. 13, 6: *ut veteres amicos muneribus expleant*, et 20, 1. —

35. *Atque ego*] *Atque* ab oratoribus, maxime a Cicerone, in initio periodorum ponitur, ubi suam sententiam, quae quidem praecedentibus nititur, exponunt. Vid. Hand. Tursell. vol. I, p. 497. Exempla ex Sal. Iug. 4, 3; 14, 3; 31, 21; 85, 12, iam Fabrius attulit, non prorsus recte tamen de vi particulae iudicans. Quodsi pronomen maiore vi efferendum est, additur *quidem*, velut Cat. 3, 2. Ceterum attendas, per brevia incisa omnem orationem procedere, quae conglutinari sic potuit: His igitur exemplis usus, tametsi haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor, tamen vos moneo, cum in magna civitate multa ac varia ingenia sint, alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi posse. Quod si reputaveris, etiam magis quam similis hic locus sit 3, 2, intelliges. — *in M. Tullio*] Iam Handius Tursell. III, p. 269, nr. 34 contra Kritzium verissime monuit, earum locutionum, in quibus verbum aut dicendi aut accusandi aut coarguendi, omnino quod cogitationem aut animi permotionem indicet, cum *in* et ablativo iunctum sit, quae vulgo ita explicant ut *in* sit: quod attinet ad, eandem rationem esse, atque illarum, quas ad 9, 2 illustravimus. Etenim in iis quoque praepositio *in* significat, in quo quid apparuerit, in quo cogitatio aut animi permotio versetur, ut possis interpretari per enuntiatum secundarium. Sic h. l. *in M. Tullio haec non vereor* est proprie: metus harum rerum non in M. Tullio consistit, i. e.: Haec non vereor, cum qualis sit M. Tullius, reputo; et supra § 15: *in hominibus impiis* est = cum de hominibus impiis agitur.

cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi; ubi hoc exemplo per senati decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur?
Maiores nostri, patres conscripti, neque consili 37
neque audaciae umquam eguere, neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur.
Arma atque tela militaria ab Samnitibus, 38
insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt;

---

36. *Finem statuere* est facere, ut desinat in cives crudeliter saevire; *moderari* autem facere, ut intra iustos fines se contineat, modum non excedat. Sententia igitur haec est: tantum abest, ut quis illum desinere, ut ne modum quidem tenere cogere possit.

37. Quorsum haec dicat Caesar, apparet ex § 41 et 42. Cum enim demonstrare velit, a maiorum institutis non recedendum esse, ita ratiocinatur: Maiores nostros fortissimos et sapientissimos homines fuisse nemo negabit. Ii non detrectabant, ab aliis populis multa accipere, in quibus fuit etiam illud, ut in cives verberibus animadverteretur et de condemnatis supplicium sumeretur. Hunc peregrinum morem postea antiquarunt, cum intellexissent, in seditionibus discordiisque civilibus eum saepe et perfacile in crudelitatem atque atrocitatem evadere. Nosne igitur, qui illis multo minus prudentes ac fortes sumus, cum illi imperium ex minimo maximum effecerint, nos parta vix retineamus, illos non imitabimur, qui quae proba essent, ab aliis sumere non detrectabant? quae a maioribus nostris, sapientissimis hominibus instituta sunt, contemnemus? Atqui illi a peregrinis acceptum morem, ut cives verberarentur et enecarentur, ipsi postea abolitum voluerunt. Ergo si eum nos sequemur, nonne in vitiis illis pares esse malimus, quam in virtutibus? — *eguere* — *obstabat*] „Perfectum necessarium est propter generalem particulae *umquam* vim; contra est in *obstabat*, quo res continuata significatur.“ Kritz.

38. *arma atque tela*] Nieb. T. III, p. 113 dubium esse indicat, quod h. l. Caesarem dicentem fecit Salustius, cum Samnitium armaturam seculo post urbem conditam quinto eandem fuisse ac veterum Graecorum constet. Sed cum Romani illis temporibus nondum cum Graecis tanta commercia haberent, neque eorum armatura tantopere ab illorum differat, haud prorsus incredibile est, eos arma atque tela militaria, tantum non omnia, a Samnitibus sumpsisse, quos et splendide et optime armatos fuisse narrat Liv. IX, 38; cfr. Nieb. l. c. p. 289 sqq. Nec vero quisquam dubitabit, *pleraque* in fine enuntiati non solum ad *insignia*, sed etiam ad *arma* referendum esse. — *ab Tuscis*] De hac re plerisque veteribus

postremo quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur; imi-
39 *tari quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tem-*

---

scriptoribus cum Salustio convenit, Liv. I, 8; Dion. Hal. III, 61 et 62; Plut. Rom. 16; Strab. V, 2, p. 355; Flor. I, 5; Diod. V, 40; Macrob. Sat. I, 6; de illo tantum in diversas sententias abiverunt, num insignia, quae primo reges, deinde consules gestaverunt, a Romulo, an ab Tullo Hostilio, an ab L. Tarquinio Prisco Romam perlata sint. Quodsi reputaveris, Tarquinium Priscum ex omnibus, quae de eo memoriae prodita legimus, apparere Etruscae originis fuisse, veteresque rebus postmodo institutis quam antiquissimam originem vindicare solere, haud veri dissimile videbitur, ab eo primo illa insignia assumpta posterisque tradita esse. Atque quamquam iam sub Romulo Etruscos Romae domicilia habuisse, certum est, tamen non minus certum, eos (Luceres) per L. Tarquinium Priscum demum pares ac reliquas gentes, Latinos et Sabinos (Ramnenses et Tities), in civitate honores nactos esse. Cfr. Göttling. l. c. p. 49, coll. p. 35; O. Müller. Etrusc. I, p. 116 sqq. — *ubique*] *Ubique* h. l. nullo modo pro *et ubi* dictum accipi potest. Quid enim hoc est: quod et ubi id idoneum videbatur? An eo loco, ubi idoneum erat, exsequebantur? Apparet sententiam esse: Ubicunque aliquid idoneum inveniebant, id imitabantur. Recte id exprimitur per *ubique* (vid. ad 21, 1; 27, 1; 37, 5). Etenim ex omnibus locis, ubi quid idoneum iis videbatur, sumebant. Verba *apud socios aut hostis* vim adverbii *ubique* illustrant. — *cum summo studio*] Vid. Z. § 472. Verum est, quod Fabrius observavit, a Salustio praepositionem *cum* nusquam inter adiectivum et substantivum positam esse; cfr. Cat. 58, 13; 59, 6; Iug. 66, 1; 68, 1; 69, 1; 85, 3; 92, 8. Cognosces ex eo quoque simplicitatem orationis. — *imitari quam invidere bonis*] Structuram bene interpretes illustrarunt comparato exemplo Iug. 1, 5: *neque regerentur magis, quam regerent casus. Bonis* enim ex sequentibus alio casu ad praecedens assumendum est. Magis dubitatum est a doctis, utrum *bonis* pro masculino an pro neutro habendum esset; sed cum hoc loco non tam quos, quam quae Romani imitati sint, agatur, recte plerique interpretes neutrum esse statuerunt. Et quamquam rarius verbum *invidere* cum dativo rei coniungitur, quippe qua constructione plerumque ad homines refertur, tamen ex Cic. Tusc. III, 9, 20 (vid. supr. ad 6, 3) apparet, illis temporibus male Latinum habitum esse, si cum simplici accusativo rei coniungeretur, a quo longe diversum est, si homo et res una componuntur. Sic igitur Sal. scripsit Iug. 85, 18: *invident honori meo, ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis* (cfr. Cic. d. leg.

pore, Graeciae morem imitati, verberibus animadverte-

---

agr. II, 37, 103: *qui honori inviderunt meo*). Ceterum manifestum est, his verbis non praecedentia repeti (*quod — exsequebantur*), id quod Kritzius censuit, sed illa: *neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta imitarentur.* Etenim superbus aliorum bonis invidere solet, sed nimia animi elatione, nimioque suarum rerum amore, quominus imitetur, impeditur. Praeterea facile senties, his verbis acerbe perstringi ab oratore senatores, qui quidem maioribus inviderent rem publicam florentem, ignavia tamen eorum prudentiam ac fortitudinem imitari nollent.

39. Multum de hoc loco a doctis dubitatum est. Ac primum quidem quaesitum est, de quonam tempore Caesar dicat. Facile vero ad intelligendum est, eum non de certo quodam temporis momento dixisse, sed de omni illo longiore spatio, quo Romani, cum nondum cuncta in civitate recte et bene instituta essent, ab aliis populis optima quaeque sumpserunt. Sed multo magis dubium est, quo iure Caesar morem verberibus in cives animadvertendi a Graecia repetiverit. Fuerunt, qui eum de Draconis legibus cogitasse arbitrarentur. At quamquam illae ita severae fuisse perhibentur, ut sanguine scriptae viderentur (Plut. Sol. c. 17), tamen verberum in iis, quae nobis tradita sunt, nullum vestigium reperitur (Wachsmuth. Hell. Alterthsk. II, 1, p. 239); ex Solonis legibus certum est nefas fuisse, eos, qui necarentur, verberari, omninoque civem verberibus affici (Demosth. d. Chersonn. § 51; adv. Androt. § 55; Wachsm. l. c. p. 254 sq.), quamquam moris fuit, ut condemnati clavo necarentur (τυμπάνῳ Wachsm. l. c.). De reliquis Graeciae civitatibus nihil certi traditum est. Apud Lacedaemonios quidem scimus Cinadonem, cum rebus novis studuisset, fustibus ad mortem usque verberatum esse (Xen. Hell. III, 3, 11); sed in ea ipsa re novum poenae genus videtur decretum fuisse. Praeterea traditum est, pueros quotannis ad aram Dianae Orthiae verberari solitos esse eumque morem usque ad Romanorum imperatorum tempora permansisse (Wachsm. l. c. II, 2, p. 21); at ea verbera non fuerunt poena. Legimus, apud Corcyraeos flagellum in usu fuisse, sed num is usus legitimus fuerit, nescimus (Wachsm. l. c. I, 2, p. 92). Plato deinde in iis, quae de Re publica scripsit, verbera poenam constituit, magis, credo, quod quae in pueros servosque exercerentur, ab indignis civibus prohibere nollet, quam quod id suae aut aliarum civitatium legibus iuberi vidisset. Heynius (Opusc. acad. III, p. 184 sqq.) Graeciam magnam dici putavit, quod ab eius terrae civitatibus multa in leges duodecim tabularum translata esse in iisque ut verberibus cives multarentur sanctum fuisse constaret. Sed in illis legibus XII tabb., quamquam nonnulla ex

bant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam res publica adolevit, et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia

---

Graecis transsumpta esse constat (cfr. Göttling. l. c. p. 313 sqq.), tamen verberationis poenam non primum institutam fuisse, apparet ex lege Valeria et ex iudicii formula ap. Liv. I, 26. Quae formula etiamsi fortasse rege Tullo posterior, certe multo post demum perscripta est, tamen rem antiquissimam fuisse demonstrat. Mortis poenam apud Graecos a condemnatis haud raro sumptam, in nonnullis civitatibus maximeque a foedissimis tyrannis cum crudelissimo cruciatu coniunctam fuisse, satis compertum habemus (cfr. Wachsm. l. c. II, 1, p. 186); sed illud mihi certe persuaderi non poterit, eam poenam una cum verberatione Romanos a Graecis accepisse, cum praesertim utrumque iam ante decemvirale imperium in usu et quidem perduellionis poenam fuisse constet. Aut igitur orator, sive Salustius sive Caesar, in ea re erravit, aut callide finxit, quo, cum eum morem ne Romanum quidem esse affirmaret, animos magis ad suam sententiam permoveret. — *summum supplicium*] Tenendum est, *supplicium* omnino non esse mortis poenam, sed quodque poenae genus, corpore luendum. Quare *summum supplicium* est maximum ac gravissimum poenae genus, non mortis poena cum crudelissimo cruciatu sumpta. Eodem modo Caes. B. G. VI, 17, 5 scripsit: *gravissimum ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.*

40. *adolevit*] Eadem metaphora usus est Sal. Iug. 18, 11: *sed res Persarum brevi adolevit.* — *multitudine civium factiones valuere*] Verissime Sal. multitudinem civium in caussa fuisse iudicat, ut factiones valerent. Ipse Iug. 41 id factum esse tradidit maxime post Punica bella, nec tamen tantopere multitudo civium, quam civium inopum ac perditorum, qui plerique a nobilibus patriis suis agris expulsi, Romam confluxerant, nihilque habebant, quo honeste vitam sustentare possent, simulque optimatium luxuria, avaritia, superbia effecerant, ut non amplius iure, sed factione omnia agerentur. — *circumveniri*] Infinitivus passivi, quem optimi libri vl. tuentur, recte scribitur, cum, ut vere monuit Kritzius, si infinitivus activi legeretur, nimis dura atque impedita constructio esset, quippe cum ad *coepere* aliud quam quod postea positum est subiectum mente assumi deberet. De verborum *coepi* et *coeptus sum* usu hanc sibi legem Salustius videtur scripsisse, ut si verbum passivum non tam passiva, quam mediali vi esset, nec tam quid homines egissent, quam quid factum esset, diceretur, activum *coepi* poneret. Id optime intelligitur ex locis Cat. 12, 1 et Iug. 41, 10, quorum in utroque cum infinitivo pas-

huiuscemodi fieri coepere; tum lex Porcia aliaeque leges

---

sivi infinitivus activi coniunctus est, et in ultimo *moveri* non est: ab aliis perturbari, sed se movere. Neque alia est huius loci ratio, cum aperte *fieri* eadem natura sit atque verbum *esse*. Praeterea Iug. 92, 1: *Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo patravit, magnus et clarus antea, maior et clarior haberi coepit*, *haberi* idem est atque: hominum opinione esse (nos: „*gelten*"), pariter ut Cat. 12, 1. Et fragm. inc. 168: *Aliquot dies contra morem fiducia augeri nostris coepit, et promi lingua*, patet *augeri* significatione non differre a *crescere* et *promi* idem esse, ac *prompta esse*. Fragm. Histor. III, 37 nolo commemorare, cum scriptura admodum incerta sit. Contra Iug. 27, 1 recte cum plurimis optimisque libris scribitur: *et res in senatu agitari coepta*, cum verbum *agitari* rem significet a hominibus factam. — *tum*] Fuerunt, qui post *coepere* maiore distinctione interpungerent, protasin verbo *valuere* finitam volentes. Quod ut facerent, ea potissimum caussa videntur moti esse, quod cum duo membra per *et* coniuncta praecederent, his tertium sine copula non recte adiungi crederent. At manifestum est, cardinem rei in eo versari, quo tempore quibusque de caussis mos ille supplicii sumendi antiquatus sit; igitur rectius verba *circumveniri* — *coepere* cum protasi coniungi. Deinde recte priora duo membra per *et* coniuncta sunt, hisque tertium ἀσυνδέτως additum, cum illa unum efficiant, contineantque res, quibus factum sit, ut innocentes circumvenirentur, alia huiuscemodi fierent; igitur inter haec sit oppositio quaedam, quae ex sermonis legibus asyndeton admittit. Postremo *tum* saepe apodosin post enuntiata temporalia orditur, quo maiore vi, quae inter praegressum et consecutum necessitudo sit, efferatur, qua in re plerumque quidem *vero* adiectum est; cfr. Cat. 2, 2: *postea vero quam — tum demum;* Iug. 106, 6: *Quod postquam auditum est, tum vero;* Cat. 61, 1: *sed confecto proelio tum vero cerneres*. Nec diversi sunt loci, in quibus praecedit apodosis, ut Cat. 52, 4: *tum persequare, ubi facta sunt;* coll. Iug. 94, 3, ubi vide. — In sequentibus quoniam *leges* Guelf. 10. Leid. f. Bern. 2., *legibus* Fabr. 2. inc. 2. Guelf. 3. plures Rivii et Wassii libri, Bern. 1. omittunt, alii illud, alii hoc deleri voluerunt, idem vocabulum ter repeti aegre ferentes. Quos neutros ne sequeremur, movit nos cum magnus reliquorum librorum consensus, tum hae caussae. Primum si Salustius idem vocabulum bis ponere noluisset, certo credo, non scripsisset: *lex Porcia aliaeque*, sed simplicius *leges Porcia aliaeque*. Tum verissime Kritzius monuit, idem substantivum, quod in primario enuntiato est, post relativum repeti a scriptoribus, ubi rem aliquam, quam recte sciri vel teneri multum

paratae sunt, quibus legibus exsilium damnatis permis-
41 *sum est. Ego hanc caussam, patres conscripti, quo mi-*
nus novum consilium capiamus, in primis magnam puto.
42 *Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui*
ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis,

---

ipsorum intersit, ita velint inculcare, ut penitus mente fixa haereat neque negligatur, aut ubi orationis perspicuitati consulendum putent; cfr. Z. § 743, 4; Rsh. § 158, N. 2, p. 556. Frequentissimus is usus est apud Caesarem (Held. ad B. G. I, 6, 1; B. C. II, 25, 4), nusquam frequentior, quam in libris rhetoricis ad Herennium. Ac quamquam apud Salustium nullum aliud eius usus exemplum novi, aptissima est h. l. substantivi repetitio, cum aperte Caesar id potissimum agat, ut legibus mortis poenam repugnare demonstret. Praeterea incertum est, num *quibus legibus* etiam ad legem Porciam pertinere voluerit; sed ad § 22 demonstravimus, nullum esse vestigium, in legibus Porciis exsilii mentionem factam esse, quamquam rectissime hoc loco commemorata est, cum ea sanctum esset, ne quis adversus provocationem civem Romanum necaret, igitur per eam senatus moneretur, ne illis provocationis ius eriperet. Quodsi relativum enuntiatum ad *aliaeque leges* tantum referendum est, — quod mihi quidem persuasi — etiam haec caussa Salustio videtur fuisse, ut substantivum repeteret. Praeterea videtur solemne fuisse in legibus commemorandis post relativum repeti substantivum (cfr. Caes. B. C. l. c.), et quaeri poterit, annon Salustius Caesaris stylum quam accuratissime exprimere voluerit. Ceterum verbum *parare* prorsus eodem modo dictum est, quo supra § 8 *comparare*. —

41. *Ego hanc caussam*] Retinui cum Gerlachio et Orellio eum ordinem verborum, quem plurimi libri, in quibus optimi Vat. A. et Bas. 1., muniunt. Manifestum enim est, non tam hanc caussam aliis minus gravibus Caesarem opponere, quam suam sententiam reliquorum sententiae, qui eam caussam prorsus negligendam putaverant. — *quo minus*] *Caussa* duplicis generis est, aut quae nos moveat, aut quae impediat. Quoniam autem h. l. cum *quo minus* coniunctum est, cui particulae tantum post verba obstandi et impediendi locus est (Z. § 543; Rsh. § 182, 2, p. 759), apparet, h. l. impedientem caussam esse: cfr. exemplum a Fabrio allatum, Liv. XXXIV, 56: *quibus emerita stipendia aut morbus caussae essent, quo minus militarent.*

42. *ea bene parta*] „Haec sensu tantum, non grammatica ratione ad antegressam vocem *imperium* referuntur; quae enim antea in unum complexus erat, ea nunc in suas partes disiuncta

qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos di- 43
mitti et augeri exercitum Catilinae? Minume; sed ita

---

cogitat, quod recte monuit Rsh. (Gr. Lat. § 158, 1, d, p. 550)." Kritz. Nec tamen ego cum Ramshornio tantum multas terras, quas tum Romani sub imperio tenebant, cogitaverim (fines enim imperii non solum obtinebantur, sed eo ipso anno per Cn. Pompeium longissime prolati sunt), sed omnia, quae cum imperii magnitudine coniuncta sunt, opes, divitias, gloriam. In explicando hoc loco nihil iuvamur talibus locis, in quibus pluralis praedicati loco ad collectivam locutionem relatus est, quales sunt loci Caes. B. C. I, 69 extr.: *nemo erat, quin putarent;* coll. I, 79; III, 81. Nullo modo huc referri potest Tac. Annal. IV, 5, 3: *dehinc initio ab Syria usque ad fluvium Euphraten, quantum ingenti terrarum situ ambitur, quatuor legionibus coercita;* ibi enim *coërcita*, quod Pichena e cod. dedit, non ad verba: *quantum — ambitur* tantum spectat, sed, ut recte explicavit Bachius, praecedentia: *cetera Africae — Aegyptus —*, arctius cum sequenti enuntiato coniungenda sunt atque *coërcita* ad omnia illa tria referendum est. Diversum est etiam Cic. pr. Mil. 4, 9: *Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt,* cum *si — ullum* collectiva dictio sit. Rectiorem explicandi viam praeiverat iam Herzogius. Quemadmodum enim *is* cum substantivo iunctum saepe sic ponitur, ut ex praecedentibus qualis res intelligatur, exputandum sit (vid. ad 8, 5), sic h. l. neutrum pluralis, quod per se substantivi naturam habet, ad ea relatum est, quae praecedentibus continentur; verissime autem viri docti senserunt *bene parta* ideo adiectum esse, quo per oppositum verba *vix retinemus* magis efferrentur. Similis sententia est Cic. d. imp. Cn. Pomp. 5, 12: *Videte, ne ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperi gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, quod accepistis, tueri et conservare non posse.*

43. *Igitur* verissime Fabrius monuit, h. l. esse aliquid obiicientis, comparatis exemplis or. Aem. Lep. 24; Iug. 31, 18; or. Macri Lic. 14. — *augeri*] Kritzius *augere*, quod codd. Leid. K. et N. exhibent, verum iudicavit, quia, cum de condemnatis maxime ageretur, perquam incommode novum subiectum *exercitus* inferretur; clarum enim esse, rei indignitatem non in eo versari, si exercitus paucorum hominum incrementum caperet, sed si parricidae rei publicae, summo supplicio afficiendi, eum augerent. Simul multa addidit exempla, in quibus simili modo infinitivi activi et passivi ad idem subiectum relati essent. Quibus argumentis sibi non persuasum esse dicens Gerlachius, simul, quod saepius a librariis infinitivus passivi in activi mutatus esset, *augeri* edidit, nec tamen

censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis

Orellium ad obsequium perduxit. Equidem mihi hanc legem scripsi, ne, nisi gravissimae caussae obstarent, a librorum fide recederem. Iam illud largior Kritzio, non tantopere illud agi, ne numero augeatur Catilinae exercitus — quamquam illi non se solos, sed una clientes, servos, amicos adiuncturi erant —, quantopere ne per illos augeatur; sed id ipsum nonne expressum est, etiam si passivum scribatur? An tum alia est sententia, quam haec: Placet igitur iis dimissis augeri exercitum Catilinae? Quin necessario mihi videtur *augeri* scribendum fuisse. Intellexit enim Caesar, hoc interrogaturos esse adversarios: Quid igitur censes? dimittendos illos impunitos? exsilium iis permittendum? Nonne illi homines audacissimi, perditissimi, ad facinus quodque parati, ad Catilinam potius, quam in exsilium proficiscentur? Nonne si bona sua retinent — eorum enim publicatio neutiquam cum exsilio coniuncta erat — suis copiis ad illum adiuvandum utentur? Nonne igitur nos, qui illum hostem patriae iudicavimus belloque persequendum decrevimus, ipsi illius opes ac copias aucturi sumus, si his exsilium permittimus? Eam ipsam ob caussam Caesar pecunias eorum publicandas, ipsos in vinculis retinendos censuit, ne quidquam contra rem publicam cum illo agere possent. Quae si vera sunt, intelliges, non sine caussa subiectum mutatum esse, quo utrumque, et praecedens et consequens, gravius efferretur. — *eorum pecunias*] *Pecunias* dixit pro *bona*, quemadmodum saepe eo vocabulo usos esse Latinos Lexicographi docuerunt; idque eo facilius h. l. fieri potuit, quod quae illi bona praeter numeratam pecuniam habebant, vendenda, pecuniaeque pro iis solutae in publicum (aerarium) redigendae erant. Ceterum omnia fere verba solemnia in sententiis dicendis fuisse, *referre ad senatum*, *agere cum populo* (i. e. ad populum promulgare rogationem), *aliter facere*, *senatum existumare* (i. e. iudicare, decernere), *contra rem publicam et salutem omnium facere*, exemplis demonstrando supersedere videmur posse.

Iam quaerendum videtur, utrum haec oratio Caesaris, an Salustii habenda sit. Quae quaestio ab alia pendet, multo difficiliori. Exstat enim Ciceronis oratio (Catilinaria quarta), qua Caesari respondisse perhibetur, antequam Catonem sententiam rogavit, et Tib. Claud. Nero eam sententiam dixit, in quam pedibus ivit D. Iunius Silanus. Sed eam orationem cum nonnulli alii, tum maxime E. A. I. Ahrens (vid. ad § 22) subditiciam esse demonstrare conati sunt. De qua re cum fusius disputare ab hoc loco videatur alienissimum, breviter dicam. Et primum quidem, quae ex sermone petita sunt argumenta, ea argutiora quam veriora,

habendos per municipia, quae maxume opibus valent; neu quis de iis postea ad senatum referat, neve cum po-

minimeque ad comprobandam illam sententiam idonea esse, locupletissimi testes, Ciceroniani sermonis elegantissimi intelligentissimique existimatores, Madvigius (op. Acad. p. 192) ac Klotzius (ed. orat.) iamdudum demonstrarunt. Quae vero ex rebus ipsis aliorumque scriptorum testimoniis argumenta sumpta sunt, ea etiamsi in nonnullis dissentias, pleraque tamen ita removit Drumannus l. c. V, p. 512—24, ut nihil tanti momenti relictum sit, propter quod Ciceronem illius orationis auctorem esse dubitemus. Quod Salustius eam non commemoravit, non mirabitur, qui quod in scribendo consilium secutus sit, secum reputaverit. Cum enim quam brevissime de Catilinae coniuratione exponere vellet, magisque id ageret, ut qui fuerit illis temporibus rei publicae status, qui fuerint coniuratorum mores, quibus de caussis, qua spe, quibus copiis negotium susceptum, qua ratione gestum sit, quemque finem habuerit, recte iudicare cupientibus demonstraret, quam ut singulas quasque res cum anxia quadam curiositate enarraret iis, qui magis oblectationem, quam veram scientiam ab historia peterent, omnia praetermisit, quae ad universam rem recte cognoscendam nullius momenti viderentur. Igitur quoniam Ciceronis oratio aperte non tantam vim ad reiiciendam Caesaris sententiam habuit, quantam Catonis, hanc exhibere satis habuit, illam ne commemorandam quidem duxit, quemadmodum etiam de secunda et tertia Catilinaria or. mentionem non fecit. Iam in illa Ciceronis oratione unum tantum invenitur, quod orationem non sic a Catilina habitam esse demonstret, uti tradidit Sal. Quam enim rem Cic. 4, 8 commemoravit: *adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit*, eius ap. Sal. ne mentio quidem facta est. At id re vera a Caesare in sententiam additum fuisse, vix quisquam dubitabit. Praeter hoc nihil invenies. Nam quae 5, 10 de lege Sempronia proferuntur, ita sunt dicta, ut eam legem a Caesare nominatam esse, neutiquam certo dici possit. Nec magis inde quidquam efficies, quod compluria, quae ap. Sal. Caesar dixit, a Cicerone non pluribus refutata sunt. Orationis formam si consideraveris, profecto dicendi brevitas, verborum gravitas, sermo per brevia incisa potius, quam rotundas periodos procedens, sententiarum saepe abrupta coniunctio, magis Salustii, quam Caesaris, quale eius ingenium in libris ab eo relictis expressum est, esse videbuntur. Praeterea Salustium quoque eam consuetudinem secutum esse, cui omnes veteres rerum scriptores, auctore ac principe Thucydide (I, 22), addicti fuerunt, ut orationes tales fingerent, quemadmodum optime ac commodissime quique locuturi fuisse viderentur, quam religio-

pulo agat; qui aliter fecerit, senatum existumare, eum contra rem publicam et salutem omnium facturum."

---

sissime tenentes, quae vere dicta esse constaret, cum orationes, quas a Catilina habitas scripsit, tum Catonis, de qua infra dicetur, luce clarius demonstrant. Quamobrem equidem cum summis viris, Niebuhrio H. R. III, p. 113 et Drumanno III, p. 170; V, p. 507, hanc orationem a Salustio compositam esse iudico; sed item assentior Drumanno, pleraque vere Caesaris haberi posse censenti. Nec mihi veri dissimile videtur, eam orationem a Caesare scriptam editam esse. Nam cum eo consilio dixisset, ut nobilitatem impugnaret, quamque superbe leges contemneret, demonstraret, quo ipse vere popularis haberetur (cfr. quae verissime monuit Drum. V, p. 507 coll. III, p. 113), profecto ut sua oratio non in curia concluderetur, sed quam latissime longissimeque evulgaretur, cupere debebat, praesertim cum adversarii acerrimi Catonis orationem Ciceronem perscribendam atque evulgandam curasse haud sit veri dissimile (cfr. Plut. Cat. 23, quem tamen tempora confudisse recte censet Drum., cum fidem illius scriptoris omnino non tanti faciens, tum illud incredibile iudicans, Ciceronem iam antequam Cato diceret, notarios, quae dicturus esset, perscribere iussisse). Quae suspicio si vera est, etiam magis credibile est, Salustium ipsa Caesaris oratione usum esse. Ceterum, quam nobis reliquit, oratio dignissima est Caesare, homine omnium Romanorum callidissimo et prudentissimo (Drum. l. c. V, p. 507: „*sie beurkundet seine geistige Ueberlegenheit*"). Nihil dico, quanta arte singula argumenta inventa, quam callide ac subtiliter conclusa, quanta vi singulae sententiae dictae sint; supra iam singula cognovimus; nonnulla tamen paulo obscuriora, ex quibus ars oratoris cognoscatur, indicanda puto. Ac primum quidem laudandus est animus ab omni perturbatione ac cupiditate liber. Nullum enim verbum invenies, quo singulos laeserit, nihil aequo vehementius atque acerbius dictum, nihil quod a caussa alienum sit; nihil denique de sua persona orator iactat. Tum quoniam arrogantiae tribui solet, si quis alios vult de vero edocere, ita semper Caesar agit, ut non tam refutare adversariorum sententiam, quam eos admonere videatur. Quare id ipsum, quod maxime obiectare potuit adversariis, imperii dominationisque studium flagrantissimum, quippe illos non tam rem publicam, quam suam potentiam, auctoritatem, divitias defendere, prorsus omittit, timorem qui eos maxime permovit, ita commemorat, quasi is omnino adesse non possit; sceleris atrocitate eos permotos esse declarat; ita semper agit, ut non tam adversarios impugnet, quam suam sententiam defendat. Deinde eam suspicionem, qua se non carere

LII. Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assentiebantur; at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit: „*Longe mihi* 2
alia mens est, patres conscripti, quom res atque peri-

---

sine dubio intellexerat, quasi ipse Catilinae incepta probaret, callide a se removet, nihil indignius, nihil atrocius, nihil magis nefarium illo consilio esse, affirmans, ac, quam ipse poenam proponit, multo graviorem esse quam mortem, simul vero legibus convenire ostendens. Quo artificio Caesar sine dubio vere usus erat; certe quantis difficultatibus implicuerit adversarios, luculentissime apparet ex Ciceronis oratione Catilinaria quarta. Praeterea, quamquam nusquam popularem suum animum iactat, tamen efficit, ut nemo magis popularis, quam ipse haberi possit. Cum enim populus nullius rei tenacior esset, quam provocationis iurisque decernendi, eum acerrimum suum defensorem habiturus erat, qui illa iura contra superbiam optimatium defenderet. Neque ulla re, quamquam tecte, magis terret adversarios; quamobrem Cicero in oratione illa tam multa verba de suo periculo facit. Atque etiam alio modo iis terrorem incutit, monens, ut caverent, ne eo exemplo, quod edituri sint, ipsi postea trahantur. Quae minae eo maiorem vim tum habebant, quo pluribus Pompeii potentia formidolosa erat, quoque magis verebantur, ne Sulla alter futurus esset. Profecto, si Caesar talem orationem habuit, qualem Salustius composuit, non miramur, quod tot homines, quique consuli proximi essent, ut Quintus frater, ad aliam sententiam perducti sunt.

LII. 1. *verbo*] Cfr. ad 50, 4. — *varie*] „non spectat ad *verbo*, sed ad *alius alii*, neque varios verbo assentiendi modos, sed diversas assentiendi caussas, prout cuiusque erat ingenium et sententia, significat.“ Kritz.

2. Comparatum est initium Demosth. or. Olynth. III: *οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν πρὸς λόγους, οὓς ἀκούω. τοὺς μὲν γὰρ λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γιγνομένους, τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε, ὅπως μὴ πεισόμεθα πρότερον κακῶς, σκέψασθαι δέον.* Cato hoc dicit: aliae me cogitationes subeunt, cum res atque pericula considero, aliae, cum sententias nonnullorum mecum reputo. Sententiae enim, quae ab aliis dictae sunt, quo modo coniurati puniendi sint, monent, at res, ut quae poena illis sit decernenda, prorsus omittamus, magisque consultemus, quo modo mala ab illis imminentia caveamus. Igitur Cato ita obsistit adversariis, ut summum supplicium ab illis non pro poena sumendum, sed morte eorum alia maiora mala cavenda esse, demonstret. Qua re id

cula nostra considero, et quom sententias nonnullorum
3 *mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de*
poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis

---

consequitur, ut Caesarem refutare non necesse habeat. — *mecum ipse*] Retinui eum ordinem verborum, quem in Tur. 1. et Eins. esse, pro certo testatum est. Etenim *ipse*, ubi cum pronomine personali reflexivo coniungitur, aperte praeponendum est, si qui quid agit, aliis opponitur; contra postponendum, ubi maior vis est in reflexivo, ut non tam, qui agat, quam quid agat, efferendum sit. Hanc regulam, quam ratio praecipit, usus confirmat. Cfr. Cat. 20, 6: *nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem*, quo loco quamquam scripturam libri Vaticani A. propterea restituimus, quod in eo cardo rei versaretur, ab illis non alios exspectari debere, tamen recte *ipsi* postpositum est, quoniam etiam maior vis est in eo, qui sint in libertatem vindicandi, quam qui vindicare debeant. Duae res sunt; prima: ut in libertatem vindicentur, altera ut a se ipsis vindicentur. Cat. 23, 2: *neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare;* Iug. 4, 8: *per se ipsa;* 8, 2: *suamet ipsum pecunia;* 14, 4: *tuta per se ipsa probitas est;* 18, 7: *semet ipsi Numidas appellavere;* 31, 6: *suomet ipsi more praecipites eant;* 41, 9: *quoad semet ipsa praecipitavit.* At Iug. 6, 1: *plurumum facere, minumum ipse de se loqui*, apparet hoc dici: Iugurtham facta sua ab aliis potius laudari, quam ipsum ea praedicari maluisse, unde anteponendum erat; ibid. 58, 6: *quom alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent*, illud maxime efferendum fuit, non eos ab aliis, sed a se ipsis impeditos esse; 85, 31: *Non sunt composita verba mea; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit* (i. e. non eget laude); 113, 1: *sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae* (quae antea fuerunt, eaedem mox contrariae fiunt). Iam in illis locutionibus, in quibus verbum cogitandi cum praepositione *cum* coniungitur, manifestum est, non tam premi, aliquem ipsum cogitare, quam ita cogitare, ut quasi secum solus sit, non ab aliis ad alias res abstrahatur. Quare et hoc loco *mecum ipse* scripsi, et supra 32, 1: *multa secum ipse volvens*, qui verborum ordo neutiquam librorum fide destitutus est; cfr. Iug. 62, 9: *interdum secum ipse reputaret;* 113, 1: *Haec Maurus secum ipse diu volvens, tandem promisit;* ibid. 3: *remotis ceteris dicitur secum ipse multa agitavisse*, qui locus maxime probat, eam rationem, qua nos hunc usum explicavimus, veram esse.

3. *aris atque focis suis*] Cfr. 59, 5. Quam plerique interpretes, auctore Ernestio (Clav. Cic.) proposuerunt explicationem,

suis bellum paravere; res autem monet, cavere ab illis
magis, quam quid in illos statuamus consultare. Nam 4
cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc,
nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia
implores; capta urbe nihil fit reliqui victis. Sed, per 5
deos immortalis! vos ego appello, qui semper domos,
villas, signa, tabulas vostras pluris quam rem publicam
fecistis; si ista, cuiuscumque modi sunt, quae amplexa-

---

ut *aram* in impluvio fuisse Penatibus sacram dicerent, *focum* autem in atrio Diis Laribus dicatum, per utrumque nomen igitur significari aedes privatas, quae, cum religione sacratae essent, unicuique non minus, quam patria ac parentes carae esse deberent, eam refutavit G. A. B. Hertzberg De Diis Romanorum Penatibus, Halae 1840, p. 64 sq. demonstravitque, sola dignitate haec nomina differre; *aram* enim esse focum, quatenus Deorum cultui dicatus sit, *focum* editum locum, ubi ignis alatur; igitur ubi coniuncta sint, aram esse publicam, focum privatum; quamquam ipse v. d. concessit (p. 64) cum in amplioribus aedibus plures fuerint foci, alii profanis usibus destinati, alii Deorum cultui reservati, verisimile esse, illam formulam de privatis aedibus interdum acceptam esse. — *monet cavere*] Quam Herzogius protulit sententiam, verbum *monere*, ubi cohortandi notio praevaleat, *ut* vel *ne* particulas asciscere, infinitivum contra recte subiici, ubi significet: in memoriam revocare, eam autem significationem rariorem esse, quamquam sagaciter et cum quadam veri specie inventa est, tamen neque iis probatur, quae ad 5, 9 attulimus, neque eo, quo ipse usus est, exemplo, Cic. d. Inv. II, 22, 66: *pietatem, quae erga patriam aut parentes officium conservare moneat.* — *in illos*] Nulla profecto videbatur caussa esse, cur *in illos*, pro quo duo tantum neque optimae fidei libri *in illis* exhibuerunt, mutaremus.

4. *ubi facta sunt — ubi evenit*] Perfecta non tenent locum futuri exacti, sed sententia est communis, cum dubitatione quadam prolata. Non igitur praecipit Cato, quid futuro tempore sequendum sit, sed in praesenti, quid fieri possit, quid non possit, demonstrat. Quare equidem etiam *provideris* non pro futuro exacto, sed pro coniunctivo perfecti habuerim.

5. *ista*] Non mirum est, hoc pronomen rarissimum esse apud Sal. Cum enim natura sua id significet, quod eius est, quocum loquimur (quare non iniuria pronom. demonstr. secundae personae a grammaticis appellatum est), ei non in rerum narratione, sed ibi tantum locum esse apparet, ubi cum alio quid transigitur. Cfr. infr. § 27 et 40, 3. — *sunt*] Indicativum, quem

mini, retinere, si voluptatibus vostris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rem publi-
6 *cam. Non agitur de vectigalibus, neque de sociorum*

---

constans Latinorum usus efflagitat (cfr. Z. § 521; Rsh. § 165, N. 2, p. 610), plurimi et optimi libri magno consensu tuentur. — *voluptatibus vostris otium praebere voltis*] Quemadmodum otium alicui praebere dicitur de eo, qui, a re publica remotus, quodcunque vult agendi potestatem nanciscitur, sic hoc loco translate *voluptatibus otium praebere* dictum est, quasi ipsae voluptates ea licentia, quam praebet otium, fruiturae sint. — *aliquando*] Quoniam, quod aliquando fit, contrarium est ei, quod numquam, hoc adverbium in cohortationibus ibi usurpatur, ubi iam occasione oblata, ut id fiat, imperatur, quod iamdudum frustra est speratum. Cfr. Hand. Turs. T. I, p. 250; Iug. 14, 21; 62, 1; 102, 5. Habet igitur in talibus locis *aliquando* fere eandem vim atque *tandem aliquando*, quo Sal. in Cat. et Iug. non usus est. — *capessite rem publicam*] Solemnis haec dictio est de iis, qui in rem publicam omnem operam ac curam impendunt; cfr. Iug. 85, 47. —

6. *Non agitur de vectigalibus*] Sententia est: Non vectigalia, quae in aerarium redigenda erant, subrepta sunt; neque sociis, quos tueri ac defendere debemus, iniuriae illatae sunt, sed libertati et animae nostrae periculum imminet. Quam explicationem veram esse et infra § 12 demonstrat et locus simillimus Iug. 31, 25: *Non peculatus aerari factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae, quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita senatus auctoritas, proditum imperium vostrum.* Frequentissime autem a Salustio negativae priori sententiae per *neque* alteram ita addi, ut vertere possis „*auch nicht*“ (interdum adiicitur *vero*, ut Cat. 4, 1), iam Kritzius monuit. Cfr. Cat. 13, 3; 33, 4; 52, 10, 29; 54, 6; Iug. 10, 4; 25, 10; 31, 25; 86, 2; 89, 8; 91, 7; 97, 4. Anaphorae vero (cfr. 7, 5; Rsh. 208, 1, N. p. 1015) ea vis est, ut singula membra maiore vi efferantur, quippe inter se non coniuncta, sed singulatim posita. — *in dubio est*] Salustianae orationis brevitas maxime ex eo cernitur, quod neutris adiectivorum (de masculinis alio loco dicetur) pro substantivis tam saepe usus est. Cuius usus exempla, quae collegi, hic afferam, omissis iis, quae minus memorabilia videntur; maxime in quibus est pluralis, quem pro substantivo omnes veteres scriptores saepissime usurparunt. Cat. 5, 4: *alieni appetens, sui profusus;* 16, 4: *largius suo usi;* (12, 2: *sua parvi pendere, aliena cupere;* Iug. 86, 3: *cui neque sua curae;* 31, 8: *plebi sua restituere*). *Bonum* dicitur et id, quod laudandum atque sequendum est (cfr. ad 9, 1), et id,

iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est. Saepe- 7

---

quod utile, ut Cat. 38, 3: *bonum publicum* (i. e. rei publicae utilitas), coll. Iug. 25, 3; Cat. 43, 3: *maxumum bonum in celeritate putabat*; Iug. 88, 1: *Marius — cognoscere, quid boni utrisque aut contra esset*; Iug. 22, 4: *non recte neque pro bono facturum*, ubi vid. Pluralis *bona* fortunas, divitias significat, et res secundas, ut Cat. 31, 7: *ut omnia bona in spe haberet*; praeterea beneficia, ut Iug. 102, 2: *multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es*; tum quae utilia, bene instituta sunt, Cat. 51, 38, ubi vid., et virtutes, Iug. 73, 4; 85, 23; 108, 1 (*ob ingeni multa bona*). Pari modo id, quod contrarium est, *malum* usurpatur de calamitate Cat. 29, 1: *ancipiti malo permotus*; Cat. 37, 7: *malum publicum* coll. 51, 32: *malo rei publicae*; Cat. 37, 11: *id malum*; Iug. 91, 5: *malum improvisum*; 100, 5: *pudore magis, quam malo exercitum coërcebat*; 102, 8; deinde de vitio Iug. 64, 1: *commune nobilitatis malum*; 73, 4; 85, 23. — His adiungo *commodum*, Cat. 10, 5: *non ex re, sed ex commodo aestumare*; Iug. 82, 1: *ex commodo pugnam facere*; 102, 2: *de populi Romani commodo*. Contrarium est *incommodum* Iug. 92, 1: *sine ullo suorum incommodo*. Aeque frequens est *verum*; cfr. Cat. 8, 1: *ex lubidine magis, quam ex vero*; 38, 3: *uti paucis verum absolvam*; 48, 5: *alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant* (tenendum omnino est, ubi neutrum praedicati loco ad substantivum alius generis refertur, semper adiectivum substantivi naturam induere; nam si adiectivum esset, substantivi genus assumeret); 51, 2: *Haut facile animus verum providet*; cfr. Iug. 16, 1; 35, 8 et plur. Iug. 33, 4: *si vera aperiret*. Huc referendum est etiam Cat. 51, 36: *aliquid falsum pro vero credi*, quo loco *pro* significat id, quod alius rei loco est; quod falsum est, ita creditur, ut loco veri sit, i. e. quasi verum sit. Quae explicandi ratio cadit etiam in has dictiones, Cat. 15, 2: *pro certo creditur*, ubi vid.; 52, 17: *pro certo habetote* et Iug. 22, 4, ubi *pro bono facere* est ita facere, ut quod fiat, locum boni teneat, i. e. ut bonum habeatur. Porro commemorandum est *aequum*, Cat. 51, 11: *multi eas gravius aequo habuere* (vid. ad 9, 1) et *honestum* (vid. ibid.). Pluralia affero Cat. 26, 5: *extrema omnia experiri*; Iug. 10, 2: *alia magna atque egregia tua*; 11, 2: *iusta magnifice fecerant* (solemnis locutio de funeribus); 14, 10: *iure omnia saeva patiebamur*; 31, 9 et 20: *divina et humana omnia* (cfr. Cat. 12, 2; Iug. 5, 1 al.); 73, 6: *sua necessaria*; 89, 2: *mediocria gerebat*; ibid. 3: *maiora et magis aspera*; ibid. 5: *praeter oppido propinqua*; *seria* Iug. 96, 2; Fragm. III, 22, 4: *certaminis*

numero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine

---

advorsa. Praeterea frequentissimum est *in unum* Cat. 17, 2; Iug. 31, 4; 50, 5; 51, 3; 80, 2; 98, 4, cum quo cohaerent illa, quae de tempore dicuntur, *in praesens* Cat. 18, 3; *in reliquum* Iug. 42, 4, in quibus *in* tempus significat, quo ut aliquid fiat, sive observetur, constituitur. Modus significatur Iug. 48, 3: *in immensum pertinens*, i. e. pertinens eo usque, ut modum et finem non invenias, coll. 92, 5: *in immensum editus*, cum quibus locutionibus cohaeret *in maius celebrare* Iug. 73, 5. Adiungo his ea adiectiva, in quibus partis notio inest; velut Cat. 51, 15: *postrema meminere;* Cat. 6, 3: *sicuti pleraque mortalium habentur;* coll. Iug. 102, 9: *quoniam humanarum rerum Fortuna pleraque regit;* Iug. 21, 2 et 109, 4: *ubi plerumque noctis processit;* 51, 2: *multum diei processerat;* ibid. 45, 2: *in medio adesse;* 68, 4: *in primo;* 46, 7: *in postremo curabat;* 59, 2: *in proxumo locati fuerant;* 66, 6: *milites prope summa ceperant* (muri); 93, 2: *ad summum montis*, cum quibus compono Fragm. II, 12: *inter laeva moenium*. Cum illis, quae modo commemoravi, concinunt Iug. 21, 2: *quia diei extremum erat* et 90, 1: *aestatis extremum erat*. Sed *extremum* saepe dicitur de eo, quod nos dicimus „*der äusserste Punkt, die äusserste Spitze*“, de eo loco, unde longius progredi non possis, nisi ruere velis, ubi commutatio ac conversio rerum maxime necessaria est; cfr. Cat. 52, 11: *eo res publica in extremo sita est;* Iug. 23, 2: *omnis suas fortunas in extremo sitas*. Omnino neutra adiectivorum saepius rerum condiciones significant, ut Cat. 51, 12: *qui demissi in obscuro vitam habent — in excelso aetatem agunt;* ad quod genus pertinet is locus, unde exorsi sumus: *in dubio est*, i. e. in eo loco est, ubi dubium sit, utrum ea retenturi simus, necne; cfr. Iug. 5, 3: *quo ad cognoscendum omnia illustria magis, magisque in aperto sint;* deinde *in incerto esse, in incerto habere* vid. ad Cat. 41, 1. Verbum *habere* in his non alia significatione est, quam Iug. 103, 6: *dona omnia in benignitate habebantur*, i. e. dona omnia in iis habebantur, quae ex benignitate proficiscerentur, quae per benignitatem fierent, igitur ipsa quasi benignitatis partes essent. Quod in incerto habeo, iis adnumero, quae in incerto sunt. Longe ab his diversum est Cat. 13, 3: *pudicitiam in propatulo habere*, nisi quod *propatulum*, neutrum adiectivi, substantivi naturam accepit. Praeterea huc trahenda sunt *de improviso* (Cat. 28, 1; Iug. 38, 4; 99, 1; 107, 6) et *ex improviso* (Iug. 14, 11, 16; 20, 3; 53, 1; 58, 1), in quibus praepositiones *de* et *ex* id significant, unde aliquid provenit. Quod ex improviso accidit, inde provenit, unde proventurum esse non provideras. Cum *de improviso* comparari

feci, saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea caussa advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gra- 8
tiam fecissem, haut facile alterius lubidini malefacta con-

---

poterit *de integro* Iug. 62, 9, et cum *ex impr. ex occulto nostros invadit* (Pluralis *occulta* substantivi loco est Iug. 113, 3: *occulta pectoris*), unde etiam explicandum est illud, quod supra commemoravi *ex commodo pugnam facere*, i. e. ex eo loco pugnam facere, unde id commodum sit. Ab illis *in aperto* et similibus non absonum est Iug. 53, 6: *nihil languidi, neque remissi patiebatur*, ubi *languidum* et *remissum* tenent locum substantivorum abstractorum. Pertinent huc etiam illa *nihil pensi, sancti, moderati habere*, de quibus ad 5, 6 dictum est. De neutris participiorum passivi, substantivorum loco usurpatis, alibi exponetur.

7. *multa verba feci*] Bene Herzogius monuit, *multa* non sine iusta caussa adiectum esse, quamquam minus recte dixit, Catonem se velle eo vocabulo tamquam accusare frustra habitarum orationum. Id minime in eo vocabulo inest, sed potius in totius sententiae conformatione et in sequentibus verbis: *ea tametsi vos parvi pendebatis*. Multis verbis nemo sanus utitur, nisi qui de re gravi dicit et de ea aliis persuadere suumque animum declarare cupit. Quare sententia haec est: Saepenumero iam, p. c., vos ad ea sequenda permovere studui, quae mihi maxima et gravissima videntur; saepenumero vobis, qui sit animus meus, demonstravi, atque ut vos eodem sitis, cohortatus sum. — *ea caussa*] Respondent haec verba prorsus nostris „*aus diesem Grunde*“, et pronomen *is* ea ratione positum est, de qua ad 8, 5 exposuimus. Ablativus per se id indicat, quo aliquid effectum est; quare praepositione *ex* vel *de* careri potuit, quarum utraque significaret, ex quo initio res provenerit. De simili locutione *ea gratia* vid. ad Iug. 54, 4.

8. *Qui fecissem*] De coni. adeas Z. § 564; Rsh. § 183, 1, p. 764 sqq. — *mihi atque animo meo*] Ei, quod latius patet, adiicitur, quod distinctius est. Id propterea factum videtur, quo gravior esset oppositio inter *mihi* et *alterius*. *Animum*, cum proprie sit id in homine, quo vivit, tum maxime ea pars, qua cupiditas et voluntas continetur, apparet h. l. esse voluntatis ad aliquid propensionem, igitur diversum esse a *lubidine*, quae est impotens atque improba cupiditas. Eodem modo opposita sunt *delicta* et *malefacta*. *Delinquere* enim, factum a *linquere*, unde est *relinquere*, respondet prorsus nostro „*fehlen*“ magisque erroris est ac pravi iudicii, quam malae voluntatis. Id verum esse omnibus locis comprobatur; cfr. Cat. 51, 12; 52, 26 (ex quo loco maxime, quid sit *delinquere*, intelligitur); Iug. 28, 4; 85, 4 et

9 *donabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen res publica firma erat; opulentia neglegentiam tolerabat.*
10 *Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus viva-*

---

subst. Cat. 3, 2; 52, 21; Iug. 3, 2; 27, 3; 32, 1; 38, 2; 39, 2; 45, 3; 102, 12; 104, 5. Etiam *gratiam facere* a *condonare* differt. Illud enim proprie est: facere, ut quis in gratia sit, i. e. dare, ut quidquid facias, tamen ne gratiam amittas; quare et eius est, qui cum quid factum est, eius rei nullam adhibet memoriam (ut ap. Liv. III, 56: *Virginius Appio ait: Omnium igitur tibi, Appi Claudi, quae impie nefarieque per biennium alia super alia es ausus, gratiam tibi facio, unius tantum criminis — in vincula te duci iubeo*), et qui, ut aliquid fiat, permittit (Suet. Aug. 38: *Equitibus reddendi equi gratiam fecit;* vid. Baumg. Crus. Clav. Suet. p. 390). Est igitur, quod nos dicimus „*nachsehen*". At condonare est: aliquem poena, quam pro scelere sumere et possis et debeas, liberare et ita quidem, ut nullum inde ei damnum exsistat; cfr. Iug. 27, 2; 79, 9. Duplici igitur modo hic locus accipi poterit, ut sententia sit aut: qui mihi nullum umquam delictum permisissem, aut: qui nullius umquam delicti poenam mihi non irrogassem. Apparet autem, multo graviorem sententiam esse, si Cato ab omnibus delictis se semper abstinuisse affirmet, quam si dicat, se, si quid deliquisset, semper poenam subiisse. Ceterum hac sententia Cato se veteris illius Catonis aemulum ostendit, de quo, ut Gerlachius monuit, Lucilius cecinit Sat. lib. XIV: *Nam vetus ille Cato lacessim appellare* (quae verba quamquam corrupta sunt, tamen quae sententia sit, perspicuum est), *quod conscius non esset sibi.*

9. *Opulentia neglegentiam tolerabat*] Langii ratio, qui *opulentia* ablativum esse putavit, certe non refutatur eo, quod hoc enuntiato praecedentis caussa contineatur, et commendatur comparatione loci 24, 3. At si pro nominativo habeas, et simplicior constructio est, et augetur sententiae gravitas, cum ita hoc enuntiatum per se positum sit. Recte vero dicitur *neglegentiam opulentia tolerasse.* Cum enim qui aliquid tolerat, id ita perferat, ut ipse non frangatur, sententia est: opulentia par erat negligentiae illi sine incommodo perferendae, i. e. opulentia per illam negligentiam non fracta neque imminuta est.

10. *bonisne an malis moribus*] Interrogationis duplicis duabus tantum formis Salustius in Iug. et Cat. usus est. Aut enim *ne — an* posuit, aut in primo membro interrogativam particulam omisit; numquam dixit *num — an* (*num* omnino praeter Iug. 85, 10 et 28 non legitur), neque *utrum — an.* Primae interrogationis omissae haec sunt exempla: Cat. 25, 3: *pecuniae an famae*

mus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec cuiuscumque modi videntur,

---

minus parceret, haut facile discerneres; 52, 10: *nostra an nobiscum una hostium futura sint;* Iug. 24, 3: *ferro an fame minus urguear;* 31, 5: *verum id frustra an ob rem faciam;* 38, 5: *postremo fugere an manere tutius foret;* 46, 8: *absens an praesens, pacem an bellum gerens perniciosior esset;* 70, 5: *praemia an cruciatum mallet;* 74, 1: *virtuti an fidei popularium minus crederet;* 85, 14: *facta an dicta pluris sint;* 95, 4: *fortior an felicior esset — pudeat magis an pigeat disserere;* 108, 3: *Iugurtham Romanis an illi Sullam traderet;* 109, 2: *pacem an bellum agitaturus foret;* 113, 1: *dolo an vere cunctatus.* Alterius formae haec collegi: Cat. 1, 5: *vine corporis, an virtute animi;* Iug. 14, 17: *nationesne, an reges* (appellem); 14, 23: *tuasne iniurias persequar, an regno consulam;* 30, 1: *probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subvorterent;* 54, 2: *cum paucisne esset, an exercitum haberet;* 67, 3: *id misericordiane, an pactione, an casu ita evenerit;* 70, 5: *suane an virtute Metelli periret;* 79, 5: *id socordiāne, an casu acciderit;* 85, 16: *mene an illos ex se gigni voluerint;* 88, 6: *id simulaverintne, quo improvisus gravior accederet, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus;* 93, 1: *omitteretne inceptum, an fortunam opperiretur.* Quos locos si comparaveris, animadvertes, interrogativam particulam plerumque omitti, ubi quae opponuntur, inter se prorsus contraria sunt; quare plerumque omissa est, ubi duo tantum vocabula sibi opponuntur, numquam, ubi nihil utriusque membri commune est. Per se autem apparet, veram esse Herzogii observationem, necessariam esse particulam, ubi sententia flagitet, ut prius membrum maiore cum vi posteriori opponatur; quamquam rectius dices, non necessariam esse, ubi per se iam satis clare oppositio eluceat. Iam eo loco, unde exorsus sum, cum non solum plerique, sed etiam optimi libri *ne* addant, nemo hanc particulam retinere dubitabit. — *haec cuiuscumque modi videntur*] Tmesin *cuius haec cumque modi videntur* deteriores libri tuentur; nam num in optimo Leidensium sit, ambigere sese Gerlachius in ed. minore apposito interrogationis signo indicavit. Et dubitandum sane videtur, num Sal. talem tmesin admiserit, qui et alias semper *quicumque* (Cat. 14, 2; 37, 10; 38, 3; 39, 6; Iug. 5, 4; 13, 6; 44, 5; 90, 1; 103, 3) et supra § 5 *cuiuscumque modi* scripserit. Neque inde, quod 5, 4: *cuius rei lubet*, legimus, concludi poterit, hanc quoque tmesin admittendam esse, cum *lubet* verbum illa aetate in usu fuerit, *cumque* nemo a relativis separatum scripserit.

11 *nostra, an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iam-*

Accedit, quod sententia flagitat, ut in *haec* gravissimus numerus sit, quoniam refertur ad omnia ea, quae tum praesentia erant, quae tum civitas obtinebat. Prorsus similis est § 5.

11. *Hic* significat: *in tali rerum condicione, quae cum ita sint.* Saepe sic usurpatum est, ubi orator, quod ex iis, quae modo exposuit, nullo modo exspectari possit, tamen ab alio aut obiectum est, aut ne obiiciatur, verendum est, cum indignatione quadam aut graviore reiectione commemorat. Cfr. Cic. pr. leg. Man. 13, 39: *Neque enim potest exercitum continere imperator, qui se ipse non continet, neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult. Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris?* in Verr. II, 44, 109; Phil. VIII, 4; ad Fam. VII, 13; d. Nat. Deor. II, 37, 93; Hand. Tursell. III, p. 80. — *quisquam*] Pronominis *quisquam* eam naturam esse, ut per se nisi in negativa sententia poni non possit, negaverant Heindorf. ad Hor. Sat. I, 4, 35; Matth. ad Cic. or. in Cat. I, 5, 16. Eam sententiam cum improbasset Grysar. Theor. d. Lat. St. p. 110, N. 1, defenderunt Geist in Nov. Ann. philol. et paed. 1832, 9, p. 14 et Schmidt d. pron. Gr. et Lat. p. 59. Et sane ad argutias confugiendum est ei, qui sententiam negativam esse demonstrare velit in locis talibus, ut Ter. Eun. Prol. 1—3: *si quisquam est, qui placere se studeat bonis quam plurimis et minime multos laedere, in his poëta hic nomen profitetur suum;* Cic. in Verr. II, 5, 26: *Si est quisquam, qui acute in caussis videre soleat, is es profecto tu;* Nep. Ages. 6: *Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quemquam ad hostem transfugere conari.* Hoc loco Salustii id absurdum esset. Cum enim, id quod bene intellexerunt interpretes, his verbis Cato Caesarem perstringat, qui (51, 12 sqq.) ut caveret senatus, ne iusta ira in coniuratos superbia appellaretur, monuerat, sententia negativa esse non potest. Quis enim, cum a certo quodam homine aliquid factum esse dicere vult, significabit, sese non metuere, ne quis id faciat. Prorsus similis est locus Cic. d. N. D. II, 37, 93: *Hic ego non mirer, esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida et individua, vi et gravitate ferri,* ubi apertum est, *quisquam* ad certum quendam philosophum referri. Intelligitur vero etiam ex his, pronominis *quisquam* eam vim ac naturam esse, ut maxime negativis sententiis conveniat. Nam cum indefinito *quis* is utatur, qui rem vel hominem esse fingat, aut ponat, *quam* autem amplificationem quandam et exaggerationem contineat (cfr. Schmidt. l. c. p. 91 sq.), *quisquam* proprie eum significat,

pridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus; quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo res publica in extremo sita est.
Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex 12
sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerari; ne illi sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis

---

de quo paene dubitandum videatur, num sit, necne, ideoque et in talibus sententiis locum habet, in quibus aliquem esse miramur, et negativis inprimis est aptum. — *Mansuetudo et misericordia* eodem modo coniuncta sunt Cat. 34, 1; 52, 27; 54, 2. Apparet illud nomen, ut adiectivum *mansuetus*, significare animi mitigatam violentiam et continentem irae moderationem. — *vera vocabula rerum*] Quem nos auctoribus Gerlachio atque Orellio secuti sumus verborum ordinem, eum et optimi libri defendunt, et Latinorum fere constans consuetudo vocabula ab eodem sono incipientia iuxta ponendi. Praeterea sententia videtur flagitare, ut et *vera* et *rerum*, quamquam hoc minore, numero efferatur, quod melius fit, cum separata, quam cum coniuncta sunt. Post *amisimus* maiorem interpunctionem posui. Nam si membrum *quia — vocatur* cum praecedente enuntiato coniungitur, caussa ab effecto non est diversa: amisimus vera vocabula, quia veris non utimur; rectius diceretur: quia amisimus iam pridem vera vocabula rerum, iam bona aliena largiri liberalitas cet. Tum maior vis in illa sententia est per se posita. Deinde ultimum enuntiatum: *eo res publica in extremo sita est*, cum praecedentibus non coniunctum, aliquid languidi habet atque abrupti; certo multo maior eius sententiae gravitas est, cum ante eam caussa, qua id factum sit, iterum atque distinctius quidem profertur.

12. *in furibus aerari*] Vid. ad 9, 2. Ablativum h. l. omnes libri tuentur. Illustrant hunc locum ea, quae Iug. 31, 9 leguntur: *superioribus annis taciti indignabamini, aerarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere* (cfr. ibid. § 25 et Cat. 20, 7). Qui in provinciis omni modo pecunias exigebant, quibus ad populum aut iudices corrumpendos uterentur, lepide *ex sociorum fortunis liberales* dicuntur; *fures aerari* graviter ii vocantur, qui peculatum commiserunt, i. e. aut praedam ab hostibus captam surripuerunt, aut pecuniam ex aerario ad aliquam rem perficiendam numeratam suum in usum converterunt, aut aurum, argentum, aes publicum miscendo peius fecerunt. — *ne illi*] *Ne* h. l. propriam suam vim vetandi atque prohibendi habet. Ut fere idem sit, ac *modo ne*, non in ipsa particula inest, sed efficitur ratione, qua haec sententia praecedentibus opponitur. Deinde *illi*, quod non

13 *sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo, falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca*
14 *tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque*

---

minus boni libri, quam *illis* defendunt, verum esse demonstravit Kritzius, monens, si *illis* legatur, id non posse non ad fures aerarii referri, quod repugnaret sententiae; tum orationem multo fieri acerbiorem nominativo *illi* posito, quo tam perversae sententiae auctores cum gravi quadam indignatione notarentur („*jene so nachsichtigen Leute*"); denique orationis concinnitatem augeri, si *largiri* sine obiecto poneretur, cum ita haec sententia non ad certos quosdam referretur, sed in universum pateret, et hoc diceretur: ne sint liberales ex sanguine nostro. — *dum*] Hanc particulam, quae proprie significat, rem aliquam per idem tempus factam esse, atque aliam, interdum a Latinis scriptoribus ibi usurpatam esse, ubi inter duo enuntiata etiam alia atque temporis coniunctio intercedat, demonstravit Hand. Turs. II, p. 305, huius loci Salustiani non immemor. Vid. ad Iug. 4, 9. — *perditum eant*] Vid. ad 36, 4. Sententia eadem legitur Iug. 31, 27: *ne ignoscendo malis bonos perditum eant.*

13. *credo, falsa existumans*] Temere a Cortio contra libros ordinem verborum sic mutatum esse: *falsa, credo, existumans*, recte a novissimis editoribus est intellectum, cum et ab aliis scriptoribus *credo* antepositum sit iis, ad quae pertinet, et ab ipso Salustio Iug. 90, 1: *Igitur consul, omnibus exploratis, credo, dis fretus.* Constat autem, *credo* et *opinor* interdum orationi a scriptoribus interseri, quo in re mira sibi ita videri significent; unde fit, ut, ubi ad alterius iudicium respicitur, cum scriptor sibi de ea re vix persuaderi significet, ironicam vim nanciscantur. In sequentibus *a bonis* apparet coniungendum esse cum *divorso itinere*, nec tamen propterea *a bonis* pro *a bonorum itinere* dictum putandum est. Nam cum quis in itinere pergit, quod ab aliorum itinere diversum est, iter eius ab illis ipsis diversum est. Cfr. exempl. Lactant. infra comm. Deinde pro *habere* propter praecedentia exspectes: *in loca tetra devenire;* sed maluit Salustius pro hoc statim illud ponere, quod ex eo consequitur, quam licentiam et Graecos et Latinos haud raro sibi sumpsisse constat. Quae hoc loco Cato dicit, et vulgi opinionibus et Stoicorum sententiis conveniunt, quibus illum addictum fuisse constat. Zenonem certe, Stoicorum principem, ita praecepisse tradit Lactantius VII, 7, 13: *esse inferos Zeno Stoicus docuit, et sedes piorum ab impiis dis-*

censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos, videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam

---

cretas, et illos quidem quietas et delectabiles incolere regiones, hos vero luere poenas in tenebrosis locis atque in coeni voraginibus horrendis. Catonem animos immortales esse credidisse, certe sibi persuadere voluisse, illud documento est, quod antequam mortem sibi ipse conscisceret, Platonis Phaedonem legit; cfr. Drum. l. c. V, p. 195 sq. Contra Caesarem haec eo gravioris momenti erant, quod qui haec negabat, sacra a maioribus accepta violare videbatur, id quod Caesari eo magis vitio dari potuit, quod pontifex maximus erat.

14. *Videlicet*] Eadem fere vi haec particula est, atque *scilicet.* Cum enim compositum sit ex *vide* et *licet*, proprie usurpatur de re, quam is, quocum sermo collatus est, dummodo velit, statim intelligere debeat. Est igitur demonstrantis et asseverantis et respondet nostro: „*offenbar, doch wohl*". Plerumque in eo ironia quaedam inest, quod etiam in hunc locum cadere, apparet ex iis, quae postea dicentur. Cfr. infr. 28 et 31; Iug. 107, 3.

15. *Quasi vero*] *Vero* h. l. propriam suam affirmativam vim retinet: „*in der That als ob*". — *et non*] De particularum *et non* et *neque* usu non errabunt tirones, si haec teneant, *neque* esse negativam coniunctionem, igitur per eam particulam tolli coniunctionem et separari alterum ab altero, contra per *et non* negativam sententiam cum praecedente coniungi. Cfr. Cat. 51, 27: *ad indignos et non idoneos;* Iug. 84, 4: *Et eos non paulum oratione sua Marius arrexerat.* Unde intelligitur *neque* ab h. l. alienum esse, quippe cum haec sententia negativa (pertinet autem negatio tantummodo ad verba *per totam Italiam*) cum praecedente affirmativa unam efficiat. Sed quibusdam elegantius est visum, *et* hoc loco omitti, quam addi. Etenim *non* sine copulativa particula ibi ponitur, ubi praecedenti, quod ab eo exclusum est, opponitur; cfr. Cat. 43, 3: *facto, non consulto opus est;* 51, 20: *in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse;* Iug. 4, 7; 22, 2; 31, 10; 16; 49, 2; 63, 6; 85, 30, 35, 40, 44; 89, 6; 93, 5; 102, 4; 111, 1; 112, 3; 114, 2. Hoc igitur loco *et* omitti non potuisse, nemo profecto contendet. Sed elegantius *et* additur, quippe quo sententiae, per se diversae ac contrariae, ita coniunguntur, ut alteram priori parem esse appareat. Itaque solent Latini, maxime in talibus sententiis, in quibus aliquid po-

sint, aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defen-
16 *dendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc*
consilium est, si periculum ex illis metuit; sin in tanto
omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi
17 *atque vobis timere. Quare quom de P. Lentulo ceteris-*
que statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu

---

nitur, quod falsum esse apertum est (hypotheticis vel ironicis), particulis *et non* sive *ac non* uti, cum si primum falsum sit, alterum necessario verum esse contenditur, quibus in locis proprie vertendum est: „*und also nicht, und folglich nicht*", pro quo ex sententiae ratione poni potest: „*und nicht vielmehr*". Cfr. Matth. ad Cic. pr. Rosc. Am. 33, 92; Hand. Turs. I, p. 473; Iug. 4, 8: *proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est;* Cic. ad Fam. III, 2, 6: *Si res verba desideraret ac non per se ipsa loqueretur.* —

16—19. Acerbissime his verbis Caesarem Cato perstringit. Cum enim eius consilium tale esse demonstraverit, ut, si periculum ex illis timeret, perversissimum foret, in verbis *sin in tanto omnium timore solus non timet*, quamquam hypothetice expressa sunt, tamen hoc inest: videtur solus non timere. Atque etiamsi Cato, quae de timore ille dixerat 51, 10, aperte non tangit, tamen vix dubium est, quin eorum auditores reminisci voluerit. Cum igitur iam his in Caesarem suspicio mota sit, tum augetur iis, quae adiiciuntur. Nam cum Cato dicit, quod Caesar solus non timeat, eo magis cavendum esse, quis non sentit illum insimulari, quasi societatem cum coniuratis inierit eorumque eripiendorum consilium habeat? Ex quibus etiam illud intelligitur, quo nexu haec cum sequentibus contineantur. Aperte his indicatum est, praeter illos deprensos et eos, qui cum Catilina arma cepissent, esse, qui cum illis coniurassent; sequitur igitur talis sententia: Hanc ob caussam eo magis vos hortor, ut de P. Lentulo ceterisque summum supplicium sumatis; pro certo enim habetote, cum in illos statuatis, simul de Catilinae exercitu deque omnibus, qui ad rem publicam subvertendam coniuravere (Caesarem his significari apertum est), vos decernere. Quo gravior illorum poena erit, eo minus hi audebunt; sin in illos levius decreveritis, eo vehementius ad delendam rem publicam nitentur. — *statuetis*] *Statuere de aliquo* verbum iudiciale fuisse constat. Cfr. Freund. Lex. s. v. III, B. β. Diversum esse a *iudico* apparet ex legis verbis ap. Cic. ad Att. XVI, 16 B, 1: *ut de actis Caesaris cognoscerent, statuerent, iudicarent.* Etenim *statuere* eius est, qui quid in aliquem fieri debeat.

Catilinae et de omnibus coniuratis decernere. Quanto 18 *vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paululum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis* 19 *rem publicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset,* 20 *multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia quam illis est. Sed alia fuere, quae* 21 *illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos habe-* 22

---

decernit, *iudicare* vero eius, qui num quid recte ac iure factum sit, annon, sententiam dicit. — *attentius ea agetis*] i. e. quanto attentius de illis statuetis. Attente autem is agit, qui omnem ingenii vim in rem impendit, omnique opera, ne quid negligatur, curat. — *feroces aderunt*] *Adesse* et de iis dicitur, qui aliquem adiuvant (Iug. 85, 4: *praesidio adsunt;* 103, 7) et de iis, qui impugnant (Iug. 50, 4: *infensi adesse atque instare*). *Feroces* praedicatum esse, verissime Herzogius monstravit.

20. *eam nos haberemus*] Latini ea vocabula, quae maxime numero efferenda essent, alterum in initio, alterum in fine sententiae collocare solebant. Cfr. Grysar. Theor. p. 630. Apparet igitur, Salustium h. l. ideo *nos* paene in fine sententiae collocasse, ut aeque ac *pulcherrumam* numero efferretur. — *quam illis est*] *Est* non recte quidam eiiciendum iudicarunt, quia in nonnullis libris in eo variaretur, in aliis deesset. Quae regula si ubique sequenda esset, profecto quarta fere parte Salustii libri decurtarentur. Sed videntur iam veteres Grammatici, cum opinione praecepissent, Salustium brevitatis amantissimum fuisse, omnibus verbis, quibus careri posset, expulsis, eius orationem saepius depravasse, quam emendasse. Certe hoc loco, quod sequitur *alia fuere*, ut *est* retineatur, suadet.

21. *alia fuere, quae — fecere*] Vid. ad 19, 4. — *nulla sunt*] Comparavit Fabrius Iug. 86, 3; Fragm. I, 15, 9: *Itaque illa quies et otium cum libertate nulla sunt;* iussit praeterea adiri Z. § 688; Rsh. § 203, I, 2, c. p. 948. — *neque delicto neque lubidini obnoxius*] De *obnoxius* vid. ad 48, 3. *Delicto* in consulendo obnoxius est, qui quoniam deliquit, quominus recte vereque iudicet, timore aut sceleris conscientia impeditur. Falsus autem est Herzogius, cum ordinem inversum et *lubidinem* ante *delictum* positum exspectari dicit. Nam *lubido* non est ἐπιθυμία, sed sui

mus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis

---

impotens effrenataque cupiditas. Qui deliquit, peccavit (vid. ad § 8); at lubidine paritur non delictum, sed consuetudo quaedam ac quasi necessitas peccandi. Debebat sane Salustius delicto opponere non lubidinem, sed quae cum eo coniuncta est, vitiositatem. Cfr. Cic. Tusc. IV, 15, 30: *Huic igitur virtuti contraria est vitiositas (sic enim malo quam malitiam appellare eam, quam Graeci κακίαν appellant; nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est, vitiositas omnium), ex qua concitantur perturbationes, quae sunt, ut paulo ante diximus, turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae; important enim aegritudines anxias atque acerbas, animosque affligunt et debilitant metu, iidem inflammant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum lubidinem dicimus, impotentiam quamdam animi, a temperantia et moderatione plurimum dissidentem.* Ceterum opponitur haec sententia ei, quam Caesar pronuntiaverat. Ille enim virtutem et sapientiam maiorum laudibus extulerat, idque eo confirmaverat, quod ex parvis opibus tantum imperium fecissent (51, 42); suis aequalibus minorem audaciam, minorem sapientiam esse dixerat. At Cato illorum morum sanctitatem, rei publicae firmissimum praesidium, splendidissimum decus, praedicat, suis aequalibus vitiositatem opprobrio dat, quae caussa sit infirmitatis rei publicae.

22. *laudamus divitias, sequimur inertiam*] *Laudamus* est: optandas iudicamus, vehementer cupimus, summum bonum putamus. Sententiarum hunc nexum esse apparet: Apud nos luxuria atque avaritia dominantur, quo fit, ut res publica egena sit (cum omnes sibi, rei publicae nemo opes paret, et vel aerarium expiletur, non modo igitur nullae opes rei publicae afferantur, sed etiam quae sunt, surripiantur); privati opulentissimi sumus. Ad divitias autem conquirendas non optimis artibus, labore atque industria, utimur, sed, ignavia corrupti, inertes fraude, dolo, furto divites fieri malumus. Quae cum ita sint tantum abest, ut boni tantum honores accipiant, ut pessimus quisque honoris studiosissimus virtutis atque industriae praemia praeripiat. — Verbum *possidere* cum proprie de eo dicatur, qui alicuius rei usum fructum, non dominium habet (Nieb. Hist. Ro. II, p. 161), aptissimum hoc loco est, quoniam honores non perpetuo et quasi iure obtinebantur, sed in tempus populi benevolentia concedebantur. Quoniam vero possidet is, qui aliquam rem occupavit, sententia est: ambitio omnia virtutis praemia occupavit, non optimus quisque

praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut impe- 23

---

ea nanciscitur, sed ambitiosissimus; honores non iis contingunt, qui per virtutem alios antevenire certant, sed iis qui furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia nituntur (Iug. 4, 8). Monendum autem est, *ambitionis* vocabulo semper ita usum esse Salustium, ut sit honorum vel gratiae cupiditas, quae illa virtutis praemia non modeste exspectet, sed quovis modo arripere gestiat; cfr. Cat. 3, 4; 4, 2; 10, 5; 11, 1; 52, 26; Iug. 45, 1; 63, 6; 85, 9; 86, 3; 96, 3; 100, 5.

23. *separatim sibi quisque*] Cfr. Caes. B. C. I, 76, 2: *postulat, ut iurent omnes, se exercitum ducesque non deserturos, neque prodituros, neque sibi separatim a reliquis consilium capturos.* Sententiae ita cohaerent: Nec mirum est, quod pessimis artibus imperia atque honores parantur. Cum enim nemo rem publicam defendat, omnes sua commoda pluris faciant, quam civitatis salutem, eo fit, ut mali homines summa rerum sese potiri posse sperent idque perficere audeant. — *ubi*] Vix dici potest, quam saepe Salustius particula *ubi* ad tempus designandum usus sit. Hoc loco certe alii scriptores *quom* cum coniunctivo posuissent, quia inter protasin et apodosin ea necessitudo intercedit, quae inter caussam et effectum. At facile intelligitur, scriptorem magis id curare, ut, quo tempore quid fiat aut factum sit, dicatur, quam qui nexus inter singulas res sit. Quid sit rerum scriptoris, memor, id ipsum lectoris iudicio submittere solet. Praeterea hoc loco maxime illud premi voluit: *eo tempore, quo;* nec recte vertit Herzogius: „*wann — so kommt es dahin;*“ debebat potius: „*sobald ihr — fröhnt, so kommt es dahin.*“ Sententia est: Ubi vos, separatim sibi quisque, consilia capitis, et privatis vestris magis quam rei publicae commodis movemini, statim ea vestra discordia atque ignavia quidam occasionem sibi datam arbitrantur, qua impetum in rem publicam facere possint. Revertitur igitur his verbis oratio quodammodo ad ea, quae supra § 18 dicta erant; nam etiam his cohortatio continetur, ne senatores langueant. Et si verum est, illa verba ad suspicionem in Caesarem movendam pertinere, haec quoque ad eundem spectare apertum est, videturque Cato eum, a quo impetus metuendus sit, tecte Caesarem significare. *Vacuam* dici *rem publicam*, quod nemo ad eam defendendam adsit, quisque videt. Nec minus in aperto est, per *fit, ut* non tantum verbi notionem cum gravitate quadam circumscribi — quae vulgaris hominum opinio est — sed illud efferri, eam rem ex altera provenire. Quae exempla Kritzius protulit, Cic. Off. I, 3, 5:

24 *tus fiat in vacuam rem publicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere, Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum accersunt, dux hostium cum exercitu supra caput est:*
25 *vos cunctamini etiam nunc et dubitatis, quid intra moe-*

---

atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum esse officium definiant; d. Orat. III, 10, 39: *sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur*, probant certe eiusdem vocabuli repetitionem a Latinis non semper evitatam esse, diversa tamen sunt ab hoc loco, quod in illis ita verbum repetitur, ut in finali enuntiato ad idem subiectum spectet, hic non tam in *fiat*, quam in *impetus* vis posita est.

24. *coniuravere incendere*] Vid. ad 5, 9. — *infestissumam nomini Romano*] Iam ab aliis monitum est, hanc famam ab incendio illo, quo urbs Roma a. a. Chr. 390 deleta est, mansisse. Aucta est bello Cimbrico; Cimbros enim et Teutones cum alii, tum ipse Salustius Iug. 114, 2 Gallicae gentis esse crediderunt. — *Nomen* constat ita usurpari, ut omnes comprehendat, qui eiusdem gentis sunt ab eaque nominantur. Diverso modo Sal. usus est Iug. 5, 4 et 58, 3. De *nomine Latino* vid. ad Iug. 39, 2. — *supra caput est*] Hanc locutionem, proximum atque instans periculum significantem, frequenter a Latinis esse usurpatam, iam alii viri docti demonstrarunt; dubitari vero poterit, utrum imago sumpta sit a nube, quae cum supra caput est, maxime est metuendum, ne fulminis vis tangat, an ex re militari, ubi difficillimum est, impetui ex editiore loco facto resistere.

25. Maxima est in libris varietas. Gerl. in ed. min. haec notavit: „*vos cunctamini etiamnunc dubitamini* (spl. *tis*) t. *vos cunctamini* (spl. *dubitatis*) *etiamnunc dubitatis quid* e. *et dub.* bpl. (v?);“ in mai.: „*et dubitatis* omiserunt Fabr. uterq. Bas. 2. Acc. Leid. i., neque in sex aliis libris legi testes sunt Gruter. et Putsch.“ Inde plerique editores *et dubitatis* glossam esse iudicarunt, ab interprete adscriptam, qui ignoraret, *cunctari* haud raro pro deliberare, haesitare dictum esse (Suet. Oct. c. 8: *diu cunctatus an proximas legiones imploraret;* coll. Domit. 2 et 17. Poterat etiam ipsius Sal. exemplum afferri infra § 31: *vos de crudelissumis parricidis statuatis, cunctamini*). At primum optimi libri haec verba tuentur; tum in sententia nihil est, quod vituperes. Cum enim Cato antea opprobrio dedisset senatoribus, quod, suorum tantummodo commodorum curas agentes, ubi de re publica agatur, langueant, minime ab hoc loco aliena est talis sententia: Cum periculum tantum adsit, tamen vos cunctamini, rei publicae

nia deprensis hostibus faciatis? Misereamini censeo — 26

servire, et etiam dubitatis, quam poenam ab deprehensis hostibus sumatis? Quodsi quis pro sua sententia § 31 afferat, huic statim opponam § 28: *inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini.* Minus profecto illis refragarer, si scriptum esset: *vos etiamnunc cunctamini, quid — faciatis*, cum Latini scriptores non sine idonea caussa ab ea lege recesserint, quam natura ipsa praescribit, ut id, quod pendeat, cum eo, a quo pendeat, quam artissime coniungatur; ille verborum ordo, quem omnes libri tenent, mihi quidem indicio videtur esse, prima verba a sequentibus separata fuisse. In sequentibus cum plerisq. ed. retinui *deprensis*, quod certe non minorem a libris commendationem habet, quam *apprehensis.* Hoc verbum cum omnino de capiendis hominibus raro dictum sit, tum significat: aliquem, qui aut transire aut latere cupiat, capere et quominus effugere possit, impedire („*auffangen, festnehmen, arretiren*), ut apparet ex Gell. N. A. V, 14: *a militibus visus apprehensusque sum; deprehendere* autem potissimum de iis dictum esse constat, qui cum quid agunt, in eo ipso negotio capiuntur. Igitur *apprehendere* rectius diceretur, si illi clam in urbem venissent aut effugere conati essent. Ceterum *deprensis hostibus* ut pro dativis habeamus, eo cogimur, quod monuit Kritzius, non id agi, quid, cum coniurati deprehensi sint, iam providendum sit, sed, quae in illos poena decernenda sit. Cfr. Cat. 55, 2; Iug. 85, 17; Z. § 491; Rsb. § 141, c. extr. p. 424.

26. *Misereamini censeo*] Gerlachius cum in vbl. (et in p. m. II) *miseremini* inventum esset, Comm. II, p. 140 id verum esse iudicavit, dictitans, ubi *opinor*, *credo*, *spero*, *censeo* orationi interponerentur, indicativum poni, id quod cum innumerabilia exempla ap. Plaut. et Ter. comprobarent, tum Cic. in Cat. IV, 6, 13: *veremini, censeo, ne in hoc scelere tam immani aliquid severe statuisse videamini, cum multo magis sit verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.* Cui cum Kritzius oblocutus esset, acerbissime ei respondit praef. ed. min. p. XXVII. At rectissime ille monuerat, *censeo* non posse orationi eadem ratione interseri, qua *credo*, *spero*, similia. Cum enim hoc verbum significet: aestimando aliquid constituere (qua significatione solemne erat de censura), necessario inde sequitur, neminem eo uti potuisse, ubi suam quamdam suspicionem aut opinionem commemoraret, sed ibi tantum, ubi constitueret, quid in aliqua re sequendum aut verum iudicandum esset (ut solemne est de sententiis senatorum). Quamquam in Ciceronis loco *veremini* rectius scribi puto, quam *vereamini*,

deliquere homines adulescentuli per ambitionem — atque
27 *etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mansuetudo et*

---

neque imperativum esse, sed indicativum, cum sententia aperte sit: censeo, vos perverse agere, cum veremini —, cum potius verendum sit. Sed illo loco ap. Sal. indicativum propter sequens *dimittatis* ferri non posse, iam ipse intellexit Gerlachius; ego vel alienum iudico indicativum propterea, quod haec verba aeque ac sequentia § 28 ironice dicta esse manifestum est. Nihilominus tamen ille *miseremini* retinuit, sed coniunctivum verbi *miserari* esse dixit. Ad quam sententiam defendendam quod protulit, *misereri* vix ullo loco absolute dictum esse, nihili est, cum manifestum sit, quodque verbum absolute dici posse, modo ne, quod obiectum cogitandum sit, in obscuro sit. Deinde quamquam libenter concedimus, quae de discrimine inter duo illa verba intercedente tradiderunt Festus (Paul. Diac. p. 92 Lindem.), Non. V, 69 et auct. inc. ap. Putsch. p. 2206, *miserari* esse conqueri aliena incommoda, *misereri* miserum sublevari, parum probabilia esse, tamen, quod Döderlinius statuit (Syn. II, p. 171), *misereri* ad misericordiae sensum, *miserari* ad misericordiae significationem pertinere, et rationi et usui convenit. Quod si verum est, apparet *misereamini* h. l. aptius esse, cum non tam dicendum sit: significetis illam misericordiam, quam: misericordia permoti, illos poena levetis. — *adulescentes*] Vid. ad 3, 3. P. Lentulus cum illo anno praeturam gereret, si quidem eo anno, quo primum licebat ex lege Villia annali (Beier. ad Cic. d. Off. II, 17, 59) et Cornelia Sullae (Drum. II, p. 482) petere, eum honorem nactus est, annum aetatis quadragesimum agebat. Aperte Cato significat, hoc argumento quosdam pro illis uti posse, quod adolescentes, quippe animis mollibus atque aetate fluxis (14, 5), dolis capti essent. — Particulae *atque* vis h. l. adiecto *etiam* aucta est. Cfr. Hand. Turs. I, p. 506; qui tamen non recte interpretatus est: atque igitur. Apparet autem *etiam* non ad *dimittatis*, sed ad *armatos* pertinere. —

27. Plerique libri *ne* cum coniunctivo exhibent. Per se quidem talis sententia prohibitiva minime inepta est, sed nemo infitias ibit, multo gravius Catonem dicere, si haec ex misericordia proventura pro certo affirmet. Quare cum antiquitus in libris hunc locum turbatum esse, documento sit, quod in deterioribus libris *vereor*, *timeo*, *cavete* ascriptum legitur, non dubitavi indicativum futuri unius libri Riviani auctoritate restituere. Sed ne errarent tirones, *nae* scripsi, quamquam non immemor eorum, quae Schneider. Gr. Lat. I, 1, p. 55 monuit, quemadmodum apud Graecos ex *ναί νή* ortum sit, sic etiam apud Latinos pro *nae ne* et scriptum

misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortet. Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis 28
eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi, qui hanc rem publicam saepe in maxumis periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebri- 29
bus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene

---

et pronuntiatum esse videri. Constat hanc particulam, pariter ac Graecorum ναί, esse eius, qui cum gravitate quadam aliquid aut de se aut de aliis affirmet, unde factum est, ut ab optimis scriptoribus semper cum pronomine coniungeretur (cfr. Heindorf. ad Cic. d. N. Deor. I, 20, 52; Z. § 360), quem morem Salustium quoque secutum esse ex h. l. et Iug. 14, 21 et 85, 2 cognoscitur. Praeterea *convortet* scripsi pro *vortet*, cum et optimi libri id suaderent, et compositum simplici verbo significantius videretur, quippe quo rem totam mutatum iri exprimeretur. Vid. ad 6, 7. De pronominum coniunctione vid. ad 24, 4. Intercedit autem h. l. inter duo illa pronomina interior quaedam necessitudo, cum sententia sit: si misericordia vos moveri patiemini, ea vestra misericordia (vid. ad § 5) vobis ipsis in miseriam convertet.

28. De *scilicet* vid. ad Iug. 4, 6. De *asper* ad 10, 2 dictum est. — *ipsa*] „Consulto Sal. pron. posuit, quia senatus iudicium rei opponitur hoc sensu: res per se quidem spectata aspera est, ita ut alios terreat; sed vos, quippe fortiores, non timetis eam.“ Kritz. — *alius alium exspectantes cunctamini*] Commode Gerlachius comparavit Tac. H. I, 55: *ceteri silentio proximi cuiusque audaciam exspectantes, insita mortalibus natura, propere sequi, quae piget inchoare.* — In sequentibus praestantissimorum codicum fide pro *in maxumis saepe periculis* scripsi *saepe in maxumis periculis.* Etenim censui, si ille verborum ordo teneretur, *saepe* non tam ad verbum pertinere, quam cum verbis *in maxumis periculis* in unum coalescere, ut sententia esset: in maxumis periculis, quae saepe inciderunt; contra, si *saepe* anteponeretur, hoc dici: *saepe* et in maximis quidem periculis; maior autem aperte inde nascatur fiducia necesse est, quod et saepe et in maximis periculis Dii rem publicam conservarunt.

29. *suppliciis*] Alia significatione h. l. est, quam 9, 2. Manifestum enim est vel ex apposito *muliebribus*, significari non sacrificia, sed preces, quibus a supplicibus, i. e. in genua procumbentibus, Dii fatigantur. De talibus precibus, ad homines factis, dictum est Iug. 46, 2 et 66, 2. — *prospera omnia cadunt*] Vid. ad 26, 5.

consulendo prospera omnia cedunt; ubi socordiae te at-
que ignaviae tradideris, nequicquam deos implores; irati
30 *infestique sunt. Apud maiores nostros T. Manlius Tor-*
quatus bello Gallico filium suum, quod is contra impe-
31 *rium in hostem pugnaverat, necari iussit, atque ille*
egregius adulescens immoderatae fortitudinis morte poe-
nas dedit; vos de crudelissumis parricidis quid statuatis
cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri
32 *obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudici-*

---

30. Praenom. T. unus Guelf. 11 tuetur, reliqui omnes A. exhibent. Cum omnes reliqui scriptores (Liv. VIII, 7; Gell. IX, 3; Cic. d. Off. III, 31, 112; d. Fin. I, 7, 23; Flor. I, 14) in *Titus* consentiant, errorem, quem fortasse ipse Salustius commisit, correxi. De re cfr. Nieb. H. R. III, p. 154 sq. Erravit autem Sal. etiam in eo, quod rem illam bello Gallico accidisse narravit, quam bello Latino factam esse, ceteri memoriae prodiderunt; nec cum eo consentit Dionys. Hal. VIII, 79: *καὶ μετὰ τοῦτο Μάλλιος, ὁ τῷ Γαλατικῷ πολέμῳ στρατηγῶν, τὸν υἱὸν ἀριστεύοντα κατὰ πόλεμον τῆς μὲν ἀνδρίας ἕνεκα τοῖς ἀριστείοις στεφάνοις ἐκόσμησεν, ἀπείθειαν δ' ἐπικαλῶν ὅτι οὐκ ἐν ᾧ ἐτάχθη φρουρίῳ ἔμεινεν, ἀλλὰ περὶ τὴν ἐπιταγὴν τοῦ ἡγεμόνος ἐξῆλθεν ἀγωνιούμενος, ὡς λειποτάκτην ἀπέκτεινεν*, cum manifestum sit, verba *ὁ τῷ Γαλατικῷ πολέμῳ στρατηγῶν*, quo qui fuerit ille notaretur, adiecta esse, non quo tempus significaretur. Errorem bene Cortius suspicatur inde ortum esse, quod Sal. bellum, quo gloriam et cognomen invenit T. Manlius, confuderit cum eo, quo filium suum ipse capitis damnavit.

31. Ex optimis libris scripsi *cetera vita* pro *vita cetera.* Etenim Romani hanc legem, quam natura ipsa praescripsit, diligentissime secuti sunt, ut quod vocabulum gravissimum esset in principio sententiae ponerent. Singularis adiectivi *ceterus* haec exempla notavi: Cat. 13, 3: *ceterique cultus; cetera multitudo* 36, 2; 43, 1; *ceterum exercitum* 59, 5 (Iug. 61, 2 dubitari poterit, utrum adi. an adv. sit); *cetera* (aqua) *pluvia* Iug. 89, 6; *ceteram planitiem* Iug. 92, 5. Probatur etiam his locis vera esse, quae de huius adiectivi vi monuit Hand. Turs. II, p. 33 sqq.; vid. supr. ad 51, 25. Sententia est: Vos cunctamini quid de crudelissimis parricidis statuatis; videlicet ceteram illorum vitam cum hoc scelere comparantes, propter illam hoc condonandum putatis. *Obstat* igitur est: huic sceleri a vobis opponitur.

32. Qui alicui rei parcit, eam integram et inviolatam conservat; igitur Lentulo opprobrio datur per ironiam, quod pudi-

tiae, si famae suae, si dis aut hominibus umquam ullis
pepercit; ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi iterum iam 33
patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, 34
Caepario loquar? quibus si quicquam umquam pensi fuis-
set, non ea consilia de re publica habuissent. Postremo, 35

---

citiam violaverit. Propter idem flagitii genus obiurgatur a Cicerone.

33. Optimi et plerique libri *iam* tenent, non pauci tamen pro *iterum alterum* exhibent. Ex quo qui concludendum arbitrati sunt, *iam* ex glossa natum esse, cum librarii *iterum* per *alterum iam* explicassent, argutius mihi, quam verius videntur disputasse. Fateor autem non satis me intelligere, quid Kritzius sibi voluerit, cum scriberet: „cum h. l. de sola facinoris repetitione, non de aliqua enumeratione agatur, plane absona est. *iam* particula." Adverbium *iam* ex pron. *is* natum est (cfr. Schmidt. d. pron. p. 90; Hand. Turs. III, p. 111). Proprie significat, rem aliquam ad aliam, quae quidem modo commemorata est, accessisse. Plerumque ad tempus refertur, et praeteritum, et praesens, et futurum, denotatque quod post aliam rem statim accidit. Quare non prorsus falsum est, quod grammatici quidam docent (velut Grysar. l. c. p. 530), *iam* nihil aliud significare, quam rem celeriter incidisse. Nam quoniam quod aliud excipit, saepe inexspectato accidit, *iam* haud raro eam vim habet, ut aliquid spe celerius evenisse indicet („*schon, bereits*"). Sed eam ipsam ob caussam haud raro etiam ibi usurpatum est, ubi aliquid factum esse, cum gravitate affirmatur. Qua vi cum hoc loco sit, aptissimeque vim adverbii *iterum* augeat, neutiquam delendum videtur.

34. *Nam* ita dictum est, quasi praecederet talis sententia: Satis est haec commemorasse. Agnosces orationis gravitatem, quae singula concinne atque apte connectere negligit. In sequentibus animadvertant tirones, *non* pertinere tantum ad pronomen *ea* et hoc dici: alia (longe diversa) consilia habuissent.

35. His verbis Cato orationem suam quasi interrumpit atque breviter quidem, sed cum summa gravitate id argumentum proponit, quod ad commovendos auditorum animos maxime idoneum arbitratur. *Postremo* igitur eandem vim habet, atque in illis exemplis, quae ad 14, 6 congessimus: Nolo plura dicere; hoc unum postremo loco proferam, quod omnia reliqua, quae protuli aut proferre possum, superat. — *mehercule*] Hanc obtestandi formulam, qua qui utitur, Herculi se devovet, nisi vera dicat, viris tantum concessam fuisse, non feminis, quippe quas Herculis sacris initiari nefas esset, testatur Gellius N. A. VI, 11. Eam formulam cum Romani mediae

patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urguet, alii intra moenia atque in sinu urbis

---

orationi (plerumque post primum vocabulum) inserere consuevissent, factum est, ut interdum post condicionalem particulam collocaretur, quamvis non ad condicionem, sed ad apodosin pertineret. Nec tamen perverse id factum est. Cum enim id, quod apodosi continetur, fieri non possit, nisi antea, quod pro condicione positum est, factum sit, intelligitur, eum, qui loquatur, maxime debere urgere, quam condicionem ponat. Igitur in talibus locis eadem vis est, ac si post enuntiatum hypotheticum adverbium, quod condicionem repeteret, positum esset, huicque addita affirmatio, quod factum est ap. Plaut. Aul. I, 1, 17: *si hercule tu ex isto loco digitum transvorsum aut unguem latum excesseris, aut si respexis, donicum ego te iussero, continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.* Praeter hunc locum Cortius comparavit Vatin. in Cic. Ep. ad Fam. V, 10, 2: *si mehercule Appii os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem;* Liv. XXVIII, 44, 12: *Si hercule nihilo maturius hoc, quo ego censeo, modo bellum perficeretur, tamen ad dignitatem populi Romani — pertinebat, non ad defendendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Africae arma videri nobis animum esse.* Alia exempla collegit Hand. Turs. III, p. 58. Apud Ciceronem rectius scribi *mehercule*, quam *mehercules* inde coniecerunt docti, quod ipse Orat. 47, 15 id sibi magis placuisse dicit, et quod in palimpsesto librorum de Rep. A. Maius eam formam se ubique invenisse testatus est. Hoc Sal. loco *mehercules* Eins. *mihi hercule* Paris. opt., et Iug. 85, 45 *mehercules* ex Vat. et Tur. annotatum est; quid in reliquis libris inventum sit, ignoramus, nisi forte ex Gerlachii silentio, qui utroque loco *mehercule* exhibuit, concludere licet, eos ab hac forma non discrepare. — *Peccato* non satis recte explicatur: errori in iudicando et consulendo. Dicit potius Cato, senatores officio defuturos esse, si ab illis poenam capitalem sumere nolint. In sequentibus *mea*, quod in nonnullis libris post *verba* additum est, recte reiecerunt editores. Sententia generalis aptissima est et comparari poterit nostrum proverbium: „*Wer nicht hört, muss fühlen.*“ — *faucibus urguet*] Nihil dicam de iis, qui *fauces* dici putarunt angustas vias Romam ducentes vel aditus urbis. Propius verum accesserunt, qui intellexerunt locorum angustias et verba sic explicarunt: nos ita urget, ut quasi faucibus, ex quibus expedire nos non possimus, inclusos teneat. Quam explicationem cum Latini sermonis legibus

sunt hostes, neque parari neque consuli quicquam oc-
culte potest; quo magis properandum est. Quare ita ego 36
censeo: quom nefario consilio sceleratorum civium res
publica in maxuma pericula venerit, iique indicio T. Vol-
turci et legatorum Allobrogum convicti confessique sint,
caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia faci-

---

repugnare nec satis poëtarum illo *vox faucibus haesit*, defendi sentirent, quidam *in* ante *faucibus* inserendum censuerunt, quod a libris non satis munitum est. Rectissime iam Cortius difficultatem expedivit, monens *fauces* de gula intelligendum ablativumque eius generis esse, de quo egit Zumptius § 457. Quam rationem veram esse, comprobant loci, quos comparavit, Cic. pr. Cluent. 31, 84: *istam conciliationem gratiae Staienus tum recenti re, cum faucibus premeretur, excogitavit;* etiam magis Val. Max. V, 3, 3: *qui pestifera Tib. Gracchi manu faucibus apprehensam rem publicam strangulari non passus est;* et Plaut. Casin. V, 3, 4: *manifesto faucibus teneor.* Praeterea multo gravius periculum proponitur, si Catilina iam in eo esse dicitur, ut civium gulam perfringat, quam si tantum inclusam et obsessam urbem tenere. Verissime autem Kritzius monuit, non opponi *faucibus urguet* et *intra moenia*, sed potius *cum exercitu urguet* et *intra moenia hostes sunt*, ut Cato dicat, et extrinsecus periculum urbi imminere et intus esse. — *atque*] „Aptissima haec vocula gradationi, qualis hic est, ubi ab universa urbe ad senatum, qui sinu urbis significatur, transitus fit; pari plane sensu in eadem re Cic. *atque adeo* dixit in Cat. I, 2, 5: *ducem hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus.*" Kritz. — *occulte potest*] Gerl. et Orell. *potest occulte.* Quibus quo minus obsequerer, prohibitus sum et libri praestantissimi Vaticani fide et quod *occulte* satis numero elatum videbatur, ante *potest* collocatum, natura autem aeque ac Latini sermonis consuetudo, ut adverbium ante verbum collocetur, poscit neque in hunc locum cadit, quod in Cic. pr. leg. Man. 7, 17: *quorum vobis — habenda est ratio diligenter.*

36. *iique*] Ex praestantissimis libris vp. cum Gerl. et Or. *iique* scripsi pro *hique.* Cum enim nec coniurati in senatu adsint, nec in praecedentibus satis distincte notati (facilius cederem, si *scelerati cives* subiectum esset), aptius est pronomen determinativum, quam demonstrativum. — *aliaque se*] *Se* si ante *caedem* collocatum esset, nimis a verbo *paravisse* remotum esset; sin ante *paravisse*, nimis graviter efferretur. Quare Salustius eo loco inseruit, quo neque a verbo nimis separatum, neque maiore numero efferendum esset, et quae necessario coniungenda erant, separans

nora in civis patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumundum."

---

efficeret, ut illa praeter cetera in pronuntiando premerentur. — *sicuti de manifestis rerum capitalium*] *Res capitales* talia crimina sunt, quae capite i. e. vita aut libertate luenda sunt (Walter, Röm. Rechtsgesch. p. 818). *Manifestus* autem factum est a *manus* et *fendo*, ut *infestus* ab *infendo*, proprieque significat id, quod manibus prehendi potest. Quare, quemadmodum *furtum manifestum* est id, quod deprehenditur, dum fit (*αὐτόφωρον*: Massur. ap. Gell. N. A. XI, 18; Ulp. Dig. XLVII, 1, 3), aut ita deprehenditur, ut negari non possit (Göttling. l. c. p. 116, n. 4), sic *manifesti sceleris* sunt, qui aut in ipso scelere deprensi, aut talibus indiciis ac testimoniis convicti sunt, ut quin noxii sint, nullo modo dubitari possit. Cfr. 41, 5: *dentque operam, ut eos quam maxume manifestos habeant*, quem ad locum vere Kritzius: „*Manifestos habeant* non explicaverim cum Cortio: certo scirent, qui essent, sed manifesto teneant, i. e. talia coniurationis initae documenta sibi praeberi curent, ut coniuratis nulla negandi aut evadendi copia sit." Iug. 35, 8: *At Iugurtha manifestus tanti sceleris*, coll. 33, 4: *tamen velle manifesta magis ex illo habere.* De genitivi ratione si doceri vis, adeas Z. § 446, N. 1; Rsh. § 110, II, p. 326.

Plut. Cat. min. c. 23: *Γενομένης δὲ τοιαύτης τῆς τροπῆς καὶ ἁπάντων ἐπὶ τὸ πρᾳότερον ῥυέντων καὶ φιλανθρωπότερον, ὁ Κάτων πρὸς τὴν γνώμην ἀναστὰς εὐθὺς ἵετο τῷ λόγῳ μετ' ὀργῆς καὶ πάθους, τόν τε Σιλανὸν κακίζων τῆς μεταβολῆς καὶ καθαπτόμενος τοῦ Καίσαρος, ὡς σχήματι δημοτικῷ καὶ λόγῳ φιλανθρώπῳ τὴν πόλιν ἀνατρέποντος καὶ δεδιττομένου τὴν βουλήν, ἐφ' οἷς αὐτὸν ἔδει δεδιέναι καὶ ἀγαπᾶν, εἰ τῶν γεγονότων ἀθῷος ἀπαλλάξαι καὶ ἀνύποπτος οὕτω περιφανῶς καὶ ἰταμῶς τοὺς κοινοὺς ἐξαρπάζων πολεμίους καὶ τὴν παρ' οὐδὲν ἐλθοῦσαν ἀπολέσθαι πατρίδα τοιαύτην καὶ τοσαύτην ὁμολογῶν μὴ ἐλεεῖν, ἀλλ' οὓς ἔδει μὴ γενέσθαι μηδὲ φῦναι, δακρύων καὶ ἀνακλαιόμενος, εἰ φόνων καὶ μεγάλων κινδύνων ἀπαλλάξουσι τὴν πόλιν ἀποθανόντες*, testis est, nonnulla a Catone commemorata esse, quae omisit Salustius; cfr. Caes. 8 et Cic. 21. Eam orationem suis temporibus exstitisse, adiectis verbis declarat: *τοῦτον μόνον, ὧν Κάτων εἶπε, διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ' ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος.* In quibus, ut illud fal-

LIII. Postquam Cato assedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad coelum ferunt, alii alios increpantes timidos vocant, Cato clarus atque magnus habetur, senati decretum

sum sit, per tachygraphos perscriptam esse Catonis orationem, exstitisse tamen eam haud temere negaverim. Nam si quid video Ciceronis quam maxime interera, ut illa oratio ederetur, quo et alii ad eandem sententiam perducerentur, et ipse sibi in posterum defensionem pararet. Hoc certum est, a Salustio hanc orationem compositam esse; nec dubium est, quin Catonem iisdem argumentis utentem fecerit, quibus ille revera usus erat. Nec minus bene eius ingenium et mores expressit. Certe summum animi fervorem, morum severitatem, in alios, quos depravatos arbitraretur, acerbitatem (Drum. V, p. 186) quivis facile agnoscet; nec minus animi magnitudo, qua Cato, quamvis non immemor esset, quantum periculum subiret, tamen sententiam suam defendit (Cic. pr. Sest. 28 extr.), in eo cernitur, quod tam graviter ignaviam atque socordiam iis opprobrio dat, qui aliter censeant. Verba autem, quamquam asperitatem quandam et austeritatem sonant, tamen concinna sunt et ad commovendum magis quam ad persuadendum apta, ita ut prorsus Catonis eloquentiae, qualem eam ex aliis scriptoribus cognovimus, conveniant (Drum. V, p. 194). Ceterum maximo cum fructu leges, quae Drum. de hac oratione scripsit V, p. 527 sqq., coll. III, p. 173 sqq.

LIII. 1. *Consulares omnes*] Nominat hos Cic. ad Att. XII, 21, 1. Consularium maximam fuisse in senatu auctoritatem, satis notum est; sed, cum ipsi senatores essent, exspectaveris fortasse, in sequentibus ad *senatus* addi *reliqui;* sed in *itemque* inest: *et praeter eos.* — *alii alios timidos vocant*] Haec verba haud satis recte videtur percepisse Drumannus V, p. 530, scribens: „*Lauter Beifall belohnte den kühnen Mann, während die Senatoren, welche für Gefängniss gestimmt hatten, einander der Feigheit beschuldigten.*“ Immo apertum est, haec verba ad omnes senatores pertinere. Etenim etiam illi, qui mortem decreverant, nec sententiam mutaverant, quod fecit D. Silanus, sed indignari sese significaverant, ut Q. Catulus (Plut. Cic. 21), tamen non ausi erant, tam graviter Caesaris sententiam reiicere, suam defendere. — *clarus atque magnus*] Haud exigua librorum pars: *magnus atque clarus.* Cum per *atque* semper praecedenti adiungatur, quod maius, gravius, potius sit (cfr. quae Hand. Turs. I, p. 465 disputavit contra Herzog. Obss. i. n. vet. script. loc. Part. I, Gerae 1828, p. 23), utriusque adiectivi vis expendenda est. Iam apparet, *magnum* aliquem haberi propter res singulari virtute et

2 fit, sicut ille censuerat. Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae
3 res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, saepenu-

---

felicitate gestas aut propter opes, quibus fit, ut alii eum admirentur, vereantur, metuant (cfr. ad 31, 3); *clarum* autem esse eum, qui quasi splendeat, i. e. maxima in laude ac dignitate sit (vid. ad 54, 4). Vides igitur, recte dici posse *magnus atque clarus* (id quod legitur Iug. 92, 1), cum splendor ex rebus gestis vel opibus prodeat, nec tamen minus recte *clarus atque magnus*, cum quod quis clarus est, eo efficiatur, ut alii eum magnopere admirentur et vereantur. Quare cum, utrum praeponendum sit, pendeat ex scriptoris sensu, nolui ab eo ordine recedere, quem optimi libri videntur commendare. Ceterum *habere* h. l. significare: putare, et simul amplecti eam notionem: laudibus praedicare, iam ab aliis monitum est. — Caesar etiam post Catonis orationem in sententia sua perstitit, gravissime a se eam suspicionem removens, quasi cum coniuratis societatem haberet, et, ut captivis ex legibus ad populum liceret provocare, flagitans. Frustra hoc, sed illud impetravit, ne in sententiam adderetur, ut bona coniuratorum venirent; cfr. Drum. V, p. 530. Decretum ex Catonis sententia scriptum est, quod non ita intelligendum, quasi in senatus consulto perscriptum sit, Catone sententiam dicente senatum decrevisse — certe in iis senatus consultis, quae integra nobis servata sunt, nullum eius rei exemplum invenitur — sed senatus consultum, quamvis non nominato Catone, iisdem verbis perscriptum est, quibus ille censuerat, quod, ut huic honorificum, sic Silano, qui primus mortem decreverat, ignominiosum fuit. Ceterum eodem Catone auctore Ciceronis maximae laudes in eo senatus consulto perscriptae sunt (Drum. l. c. p. 531).

2. *quae fecit*] Coniunctivum nemo, Latini sermonis peritus, requiret. Fecit Salustius, quod saepe Graeci et Latini scriptores, ut substantivum, quod enuntiato primario addendum esset, relativo intersereret. Sententia enim est: multa praeclara facinora audienti, multa legenti, quae populus Ro. fecit. — *sustinuisset*] *Sustinere* cum proprie de oneribus dicatur, „*in die Höhe halten*", ad quamque rem difficilem nec sine magno labore administrandam transfertur. Sic Iug. 85, 3 Marius: *Neque me fallit*, inquit, *quantum cum maxumo beneficio vostro negoti sustineam;* et 4, 8 legitur: *proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara atque magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est.* Quoniam autem, quod sustinetur, non cadit, interdum est: prospero successu admi-

mero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse, cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.

---

nistrare. Ita h. l. aperte sententia est: qua re factum sit, ut tanta negotia feliciter peragerentur. Alio modo hoc verbo usus est Iug. 14, 2: *homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus*, ubi vid. Ceterum attendas, quam diligens Sal. in temporum usu fuerit. Nos ex nostri sermonis consuetudine coni. pf. exspectamus; at Sal., quoniam *lubuit* praeteritum est, quae ante id facta erant, plusquamperfecto expressit.

3. *legionibus*] Nomen in re militari Romanorum solemne, ad aliorum populorum instituta transfertur. Comparavit iam Cortius Iug. 79, 4 et Liv. III, 3, 3 et admonuit Fabrius similis translationis Iug. 49, 2. — *parvis copiis*] Vere Fabrius monuit, non intelligi exercitus, sed belli subsidia, opes, ut apparet ex opposito *opulentis regibus*. Etiam magis id intelligitur ex sententiarum nexu, quem Kritzius explicavit his verbis: „Tenendum est, non diversas sententias a Salustio proferri, sed singulis idem consilium, eandem mentem esse; hanc nempe, ut demonstret, quae vulgo magnitudinis caussae putentur, ea omnia Romanis defuisse. Non habebant enim magnos exercitus et copiarum vim, non perpetua fortunae gratia gaudebant, sed saepe eius violentiam toleraverant, neque eloquentiae laude Graecos aut belli gloria Gallos aequabant, sed harum rerum loco Romanis paucorum civium egregia virtus fuit, quae omnia patravit.“ Recte haec, minus vere illud dixit, *violentiam tolerare* non esse: violentiae resistere, sed violentiam experiri, cum in *tolerare* semper insit perferendi notio. Etenim neglexit, his verbis praeclara facinora Romanorum enumerari. Magnas hostium legiones vicerunt parva manu; quamvis ipsorum copiae parvae essent, tamen cum opulentis regibus prospero successu bella gesserunt; saepe fortuna in eos saevivit; sed eius violentiam sustinuerunt (ita pertulerunt, ut non frangerentur); facundia a Graecis superabantur, tamen ab his victoriam reportarunt; belli gloria Gallis inferiores erant; tamen etiam eos profuderunt. Quanam igitur re factum est, ut multitudinem paucitas, divitias paupertas, fortunae vim humana imbecillitas, maximam facundiam dicendi rusticitas, belli gloriam summam minor militaris virtus superarent? — Manifestum est in his *facundiam* eam ob caussam commemorari, quod per eam et doli nectuntur et auxilia ab aliis persuadendo parantur. Est enim haec potissimum facundiae vis, quam Deorum versutissimo, Mercurio, ab Horatio tribui constat. — *ante — fuisse*] Hac locutione praestantiam signi-

4 Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egre-
giam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, uti divitias
5 paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam
luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus res publica
magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia su-
stentabat, ac, sicut effeta ** parentum, multis tempestatibus

---

ficante historici tantum et poëtae usi sunt, Cicero abstinuit. Cfr. Hand. Turs. I, p. 386.

4. Observes *eo*, pro quo qui politiore stylo utuntur, ad virtutem respicientes *per eam* aut simile quid posuissent.

5. De subst. *luxus* cfr. ad 13, 4. — *rursus*] Iamdudum inter grammaticos convenit, hoc adverbium factum esse ab *re* et *verto* proprieque significare *retro vorsum*, i. e. et eum motum, qui ad locum, unde exitum erat, redit, et motum contrarium. Inde translatum et rem denotat, quae aliquo intermisso tempore, repetitur, igitur quasi revertitur, et, quod post aliam rem ita fit, ut ei contrarium sit. Apparet h. l. oppositam esse virtutem vitiis. Forma *rursus* praeter h. l. legitur Cat. 18, 6; 27, 3; Iug. 55, 8; 62, 8; 73, 1; 83, 3; 97, 2; 103, 2, ad quorum locorum nullum Gerl. quidquam varietatis notavit. Uno loco Iug. 69, 1 *rursum* in Bas. 1. Fabr. 1. Struv. Senat. 1. Guelf. tribus legitur. Unde si quid coniicere licet, Salustium semper *rursus* scripsisse veri simile est, nisi malis, quod uno loco altera forma in paucis libris servata est, eam in ceteris a librariis suae aetatis consuetudinem secutis mutatam esse. — Verbo *sustentare* Sal. duplici modo usus est, primum de iis, qui alios, ne succumbant, adiuvant (Iug. 56, 6: *milites paulisper a rege sustentati;* 109, 1: *At Iugurtha dum sustentare suos et prope adeptam victoriam retinere cupit*); tum de rebus, quarum impetui non ceditur, ut Iug. 97, 5: *atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.* Eadem significatione h. l. est: res publica tantas opes habebat, ut vitiis imperatorum atque magistratuum, quae ei perniciem machinabantur, non deleretur. Vitia quasi impetum in rem publicam faciunt, ei tamen res publica non cessit. Quodsi haec cum iis, quae supra ad § 2 commemoravi, comparaveris, facile intelliges, Sal. frequentativo ibi tantum usum esse, ubi maior quaedam vis ac contentio sustinendi significanda esset. — *effeta parentum*] Vera philologorum crux hic locus est. Reliqui eam scripturam, quam quantum compertum habeo, praeter Guelf. 7, qui *parente* exhibet, omnes libri tenent. Quam scripturam fateor mihi nullo modo ferendam videri, quamquam Gerlachius, praef. ed. min. p. XXIX, ita eius patrocinium suscepit, ut a posteris derisum iri

haut sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed me- 6

---

diceret, qui eam explicari posse negaret. Nam, ut concedam, Salustium, cum res potissimum spectaret, interdum orationem non satis perpolivisse, tamen si talem anacoluthiam admisisset, qualem statuit Gerl., profecto turpissimae negligentiae, ne dicam insipientiae coargueretur. Quis enim, cum dicere licet: sicut mater effeta non parit, ita Roma multis tempestatibus haud sane quemquam magnum virum genuit, id ita exprimet, ut in primo membro verbum omittat, in altero autem non eam rem ponat, quae comparari debet, sed quae ex illa consecuta est? Lectori hoc imputare, ut ad subiectum alterius membri verbum suppleat, quod in altero membro multis ac magnis ambagibus investiget, id mihi quidem omnem modum licentiae videtur excedere. Tantum crimen removendum est a Sal., cuius orationem etsi nonnullis locis duram, difficilem, austeram esse concedas, tamen perversam et ineptam esse, nullo modo evincetur. Accedit, quod *effeta parentum* pro *effeta parens* dictum non solum inconcinnum est, verum etiam rationi adversatur. Certe ii loci, qui allati sunt, diversi sunt. Etenim Liv. XXX, 9, 1: *Postero die Scipio Laelium Masinissamque cum omni Romano et Numidico equitatu expeditisque militum ad persequendos Syphacem atque Hasdrubalem mittit*, manifestum est genitivum propterea positum esse, quod equitatui cuncto opponuntur pedites, ii vero non omnes, sed ex iis delecti missi sunt; et Vell. II, 80, 2: *non ab aliis veteribus Romanorum ducum quicquam ausum fortius*, non minus facile apparet, sententiam esse: non ab aliis, qui quidem inter Romanos duces veteres essent, quicquam ausum fortius. Hoc loco cur Roma non cum quavis potius effeta parente comparetur, quam cum una parentum, quae quidem effeta sit, non intelligo. Eam ob caussam etiam Cortii coniecturam, a Kritzio receptam, *effetae parentum* comprobare nequeo, praesertim cum ei illud obstet, quod *effetae* genitivus subiectivus est, *Romae* autem magis locum significat, id quod ipse Kritzius sensit. Melior est cod. Guelf. 7. scriptura, quam a Victorio expressam esse testatus est Orell. Qua recepta, sententia est ea, quam recte explicavit Fabrius: Uti cum mater effeta est, liberi non gignuntur, sic Romae multis tempestatibus haud sane quisquam virtute magnus natus est. Sed obstat reliquorum librorum consensus, praesertim cum non intelligatur, quamnam ob caussam genitivus pluralis a librariis pro ablativo singularis scriptus sit. Quam difficultatem ut removeret, Müllerus coniecit, a Sal. scriptum fuisse: *in multis tempestatibus* (eodem modo, quo Iug. 96, 1: *Sulla postquam in Africam — venit, rudis antea et ignarus belli, solertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est*)

moria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo,

---

et ex praepositione *in* cum ultima praegressi vocabuli syllaba commixta genitivum pluralis a negligentibus librariis factum esse. Quod quamquam ingeniose excogitatum, tamen veri simile non est. Quae cum ita sint, cum neque *effeta* substantivum habeat, ad quod referatur, neque genitivus *parentum*, unde pendeat, non vereor, ne in temeritatis crimen incurram, cum substantivum excidisse coniiciam. Fuit id, nisi fallor, *aetate*, cuius primae syllabae, praesertim cum pro *ae* antiquitus *e* scriberetur, ultimis praegressi verbi ita pares sunt, ut librarium aberrasse, non sit quod miremur. Quod si accipitur, sententia optima est. Comparantur illae tempestates, per quas Romae nemo fere magnus virtute fuit, cum effeta aetate parentum, qua viribus exhaustis, nulli aut infirmi partus eduntur. Etiam facilius comparationis ratio ita perspicitur: Uti cum aetas parentum est effeta, robusti et firmi liberi non gignuntur, sic Romae multis tempestatibus haud sane quisquam virtute magnus natus est. *Effeta aetas* autem ne offendat, admoneo illius Virgiliani Aen. VII, 440: *Sed te vita situ verique effeta senectas.* Scriptura *effoeta*, quantum equidem scio, nullo libro commendatur, quamquam Gerl. in ed. mai. commemoravit ex Paris. a. Quam scribendi rationem quamquam probavit Döderl. Syn. IV, p. 330, tamen, cum aperte a *feo* ductum sit, neque Ovid. Fast. IV, 632 *oe* scriptum novisse videatur, cum Wagnero ad Virg. vol. V, p. 437 s. v. *fetus effeta* scribendum putavi. Praeterea, ne quid omittam, *velut*, quod cod. Paris. a. exhibet, neutiquam ob eam caussam reiiciendum videtur, quam quidam proposuerunt, cum *veluti* levem quandam similitudinem indicare, *sicut* iustae comparationi inservire dicerent. Etenim, cum per *vel* semper inferatur, quod scriptor pro altero substitui posse iudicet (vid. Grysar. l. c. p. 504), apparet *velut* ibi potissimum usurpari, ubi scriptor affert, quod ad comparationem iure adhiberi aut alteri par poni posse iudicet, aut, quod alius par esse putaverit. Respondet igitur prorsus nostro: „*gerade wie, ganz wie*“. Quod cum rationi conveniat, tum confirmatur Salustii usu. Cat. 1, 1: *ne vitam silentio transeant, veluti pecora;* 3, 2: *ea veluti ficta pro falsis ducit;* 42, 2: *inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agebant;* 45, 4: *velut hostibus, sese praetoribus dedit;* 48, 1: *velut ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat;* Iug. 31, 23: *postremo sociis vostris velut hostibus, hostibus pro sociis utuntur;* 32, 4: *tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat;* 38, 2: *uti — in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur;* 53, 7: *strepitu velut hostes adventare;* 58, 4: *clamorem veluti tumultum hostilem ab tergo*

M. Cato et C. Caesar; quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere; magnitudo animi par, item gloria, sed alia

---

accepit; 92, 5: *nam mons omnis natura velut opere ac consulto praeceps.* Igitur *velut* h. l. minime ineptum esset; sed cum reliquorum omnium librorum consensus unius auctoritati obstet, nemo facile *sicut* mutandum esse arbitrabitur. —

6. *obtulerat* — *non fuit consilium*] Vere Fabrius monuit, perf. h. l. prorsus eadem ratione positum esse, qua in epistolis poni solitum sit (cfr. Z. § 503; Rsh. § 164, 1, p. 594), eamque ob caussam etiam plusquamperfectum *obtulerat* scribendum fuisse, coll. Iug. 30, 4; 95, 2 (quamquam praes. usus est scriptor Iug. 79, 1). —

LIV. 1. *Igitur* verissime Fabrius monuit propterea positum esse, quod scriptor iam ad ea aggrederetur, quae antea se facturum esse promisisset, coll. Iug. 95, 3. — *genus*] Iulia gens antiquissima fuit. Iam Romulo regnante Iulios Romae fuisse, memoriae proditum est, et iam a. 489 a. Chr. (265 a. u.) C. Iulius Iulus consul fuisse perhibetur. Constat eos ab Aeneae filio Iulo nominis sui et gentis originem repetivisse. Vid. Drum. III, p. 113—120. Porciorum gens, quanquam vetustate minore fuit (primi enim Porcii plebeii ordinis seculo ante Chr. tertio commemorantur, et Catonum primus honores maximos adeptus est M. Cato Censorius, nat. a. 234 a. C. (520 u. c.), mortuus 149 a. C. (605 u. c.); cfr. Drum. V, p. 98), tamen illis temporibus dignitate, claritudine, gloria non inferior Iulia. — *aetas*] Natus est C. Caesar C. Mario VI. L. Valerio Flacco coss. (100 a. Chr., 654 a. u.) a. d. IV. Id. Quintil. (Drum. III, p. 129 sqq.); M. Porcius Cato quinque tantum annis minor fuit, cum natus esset a. u. c. 659, a. C. 95 (Drum. V, p. 153). — *eloquentia*] De Caesaris eloquentia Quintilianus, sagacissimus et peritissimus huius artis magister, sic iudicat Inst. or. X, 1, 114: *C. vero Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis erat, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia;* cfr. Drum. III, p. 751 extr. De Catone autem Cic. Brut. 31, 118: *perfectissimum Stoicum,* inquit, *in quo summam eloquentiam non desiderem.* Vid. quae ad 52 extr. protulimus. — *magnitudo animi*] Quid sit *animi magnitudo*, ita definit Cicero

2 alii. Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia

orat. part. 22, 75: *Sed hic locus virtutum atque vitiorum latissime patens ex multis et variis disputationibus nunc in quandam angustam et brevem concludatur. Est igitur vis virtutis duplex, aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nam, quae prudentia, quae calliditas, quaeque gravissimo nomine sapientia appellatur, haec scientia pollet una. Quae vero moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus laudatur, eius est munus in agendo, cui temperantiae nomen est. Atque illa prudentia in suis rebus domestica, in publicis civilis appellari solet. Temperantia autem in suas itidem res et in communes distributa est, duobusque modis in rebus commodis cernitur* (vulg. *discernitur*), *et ea quae absunt, non expetendo et ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex; nam quae venientibus malis obstat, fortitudo, quae quod iam adest, tolerat et perfert, patientia nominatur. Quae autem haec uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur, cuius est liberalitas in usu pecuniae, simulque altitudo in capiendis incommodis et maxime iniuriis, et omne quod est eius generis grave, sedatum, non turbulentum.* Iuvat comparare ea, quae Vellei. II, 41, 1 de Caesare scribit: *magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo simillimus.* — *sed alia alii*] Non recte *alia* pro neutro habuerunt cum alii, tum Herzogius, vertens: „*Jeder indess* (*hatte*) *andere Eigenschaften*“, quam interpretationem suam fecit Drum. V, p. 188. Etenim sequentia ubi consideraveris, facile intelliges, commemorari eas res, quibus uterque parem gloriam consecuti sint, quae cum essent diversa, etiam gloria non eadem. Pro *alii* exspectaveris *alteri*, cum de duobus tantum viris disputetur. At cum necessario *alia* dicendum esset — *alter* enim unum e duobus significat, *alius* diversitatem innuit — ideo scriptor eodem vocabulo ad homines designandos usus est. Commodissime Kritzius admonuit locorum Liv. I, 21, 6: *ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt*, et 25, 5: *duo Romani alius super alium, vulneratis tribus Albanis, corruerunt*, in quem locum ea excusatio non cadit, qua pro Salustio usi sumus.

2. De Caesaris munificentia cfr., quae multis locis disputata in brevius contraxit Drum. III, p. 733—35. Ceterum facile apparet, cum munificentiae Caesaris opponatur Catonis integritas vitae, eam in illo non tantam fuisse significari, quantam in hoc. Et profecto Caesar veneri ac libidini haud modice indulsit (cfr.

clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. Caesar 3
dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies; illius facilitas, huius constantia lau-

---

Drum. III, p. 740, § 74 init.). Minus vere Caesaris mansuetudinem ac misericordiam Sal. laudare videbitur reminiscentibus, multa ab eo non sine crudelitate perpetrata esse. At si legeris, quae Drum. l. c. p. 742—46 praecipua arte disseruit, de Caesaris ingenio eum non errasse cognosces. — *dignitatem addiderat*] Verbum *addere* saepissime dictum est de iis, quae aut in hominum animis excitantur, aut quibus ornantur et instruuntur. Cfr. Cat. 58, 1: *verba virtutem non addere* (Iug. 85, 10: *si timidis virtutem verba adderent*); Iug. 18, 12: *nomen gloriamque sibi addidere;* 37, 4: *quo regi formidinem adderet;* 42, 4: *plusque sibi in reliquum timoris, quam potentiae addidit;* 73, 4: *at illi alteri generis humilitas favorem addiderat;* 94, 2: *ceteris audaciam addere.*

3. Non satis recte haec verba percepisse videntur, qui *nihil largiundo* ad notas illas largitiones pecuniae, frumenti, aliarum rerum pertinere arbitrati, artificiose callideque haec a Sal. ita sibi opposita esse censuerunt, ut nimium largiendi studium, quod in Caesare esset, non modo tegeretur excusareturque, sed etiam in laudem verteretur. Etenim cum *nihil largiundo* non solum *dando*, sed etiam *sublevando*, *ignoscendo* oppositum sit, apparet verbum *largiri* latius patere ac significare: aliis gratificari (cfr. 52, 12: *sanguinem nostrum largiantur*). Praeterea Catonem constat aliquoties largitiones fecisse. Ex eius sententia senatus, quo plebis animi a Catilina averterentur, frumentum dispertiendum decrevit, in quo 1250 talenta consumpta sunt (Drum. V, p. 159) et alio tempore suffragia coemit (Drum. l. c. p. 189). — *perfugium*] Quod nonnulli libri exhibent *profugium*, an verbum Latinum sit, haud iniuria dubitari videtur. Cum enim *profugio* significet: in longinquum fugio (cfr. ad 6, 1), ratio obstat, quo minus locus aliquis *profugium* dicatur, i. e. in quem in longinquum fugiatur. Praeterea ubicunque invenitur, libri variant; vid. Forcell. Lex. s. v. Recte facta sunt *perfugium* atque *refugium*, de quibus vere Kritzius: „*refugere* et *refugium* de iis dicitur, qui aliquo se recipiunt, ut ibi quam longissime a periculo absint; *perfugium* vero et *perfugere* usurpatur, si quis aliquo fuga contendat, ubi tutus sit impetumque defendere possit"; ad quae addendum videtur, *perfugium* proprie esse eum locum, in quo fugae finis fiat. — *facilitas* — *constantia*] Recte baec quoque sibi opposita sunt. Cum enim *facilitas* sit eius, qui adeuntibus faci-

4 dabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil

---

lem aditum praebeat, eorumque precibus facile concedat, huic contraria est constantia, quae ab eo, quod verum, honestum, aequum cognoverit, nulla condicione, nullo pretio, nulla gratia se amoveri patitur, in amicitiis servandis pariter atque in inimicitiis, semel honesta de caussa susceptis, haud facile deponendis cernitur. Caesar igitur facile conciliabatur, nec difficile erat, cum eo in gratiam redire, at Cato constans erat in amicitiis et inimicitiis.

4. Ut totius loci dispartitionem recte perspicias, haec monenda videntur. Postquam primo Sal. enumeravit, quae in utroque paria fuerunt, ultimoque loco gloriam posuit, quae quamquam utrique aeque magna, tamen diversa erat, quippe diversis moribus quaesita, hanc diversitatem pluribus exponit. Ac primo loco vitae rationem utriusque commemorat; beneficiis enim et munificentia splendor quidam paratur; magnifice Caesar vivebat, cum maximos sumptus beneficiis et muneribus faceret, at Cato simplicitatem sequebatur, omnemque luxuriam ac libidinem aspernabatur; vides simul, quam recte scripserit Sal. *magnus habebatur*, admirabantur enim eos homines, illum propter splendorem, hunc propter integritatem vitae (cfr. ad 53, 1). His adiungit virtutes ingenii, quibus claritudo, i. e. dignitas atque auctoritas paratur, Caesaris mansuetudinem et misericordiam, cui opposita est Catonis severitas. Tertio loco dicit de agendi in alios ratione utriusque; dare, sublevare, ignoscere aeque ac nihil largiri facta sunt, quibus solis gloria paritur. Post haec quid alii iis tribuerint, exponit: Caesarem omnes miseri tamquam perfugium adibant, Catonem mali timebant; illum facilem, hunc constantem praedicabant. Iam ultimo loco studia utriusque commemorat. Vides quanta arte omnis locus conscriptus, quantaque diligentia singula verba expensa sint. — *in animum induxerat*] Proprie haec locutio significat: aliquam cogitationem mente concipere, aliquid faciendum sibi proponere. Quare discernendum est inter praesens et perfectum; illud est: consilium capio, hoc, cum non modo, quod factum, sed etiam, quod inde consecutum est, denotet: aliquid propositum habeo. Quare plusquampf. recte Kritzius interpretatus est: hoc propositum habebat, in eo omnem operam ponendam putabat; coll. Drakenb. ad Liv. I, 17, 4. — *intentus sua neglegere*] Hunc infinitivum historicum esse recte Cortius vidit; cfr. ad 16, 2. Si ab *in animum induxerat* penderet, nominativus *intentus* nullo modo ferri posset. Ad quem defendendum miror, quod Fabrius attulit Val. Max. IV, 2, 5: *in animum induxit, et indicem, et praetorem, et aedem Vestae intuens, amicum Lentulo agere;* facile enim

denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione

---

omnes consentient, *intuens* non cum infinitivo, sed cum subiecto verbi *induxit* coniungendum esse. — *quod dono dignum esset*] Paulo insolentius haec dicta sunt. Nam quemadmodum *poena dignum facinus* est, quod puniri debeat, sic *res dono digna* est, propter quam donum dandum sit. At manifestum est, sententiam esse: quod tale esset, ut dono dari posset. Usus autem est scriptor ea insolentiore locutione, ne duo enuntiata relativa coniungere cogeretur. Cum infinitivo enim adiectivum *dignus* aureae aetatis pedestres scriptores non coniunxerunt. — *novum bellum*] Kritzius praeeuntibus iam aliis haec verba accepit de studio bella ex bellis trahendi et ab uno ad alterum progrediendi. Ita proprio sensu sese verba intelligere quo iure dicat, equidem non assequor. Certe in *novum* hoc non inest neque in imperfecto, et quam Herzog. statuit ellipsin adverbii *semper*, ea ab hoc loco aliena est, cum quare hoc adverbium non addiderit scriptor, vix satis explicari queat. Cum sit *novum* quod antea non fuit, *novum bellum* est aut, quod nemo ante eum gessit, aut cum populis gestum, quibuscum nondum bellatum est, aut genere ab omnibus prioribus diversum. In tali virtutem maxime enitescere posse, quisque videt. Vix autem dubium est, quin Sal. haec dixerit propter bella, contra Gallos, Germanos, Britannos suscepta, quae Suet. Caes. c. 24 magis belli studio ac cupiditate Caesaris, quam hostium periculo exarsisse testatur. Cfr. Drum. III, p. 217 multisque aliis locis.

5. Caesaris ambitioni imperiique cupidini opponitur Catonis probitas. Ille laborabat, vigilabat, quo gloriam quaereret, hic modestus laudem recusabat; ille sua negligebat, amicis consulens, non recusabat, quo minus in invidiam, suspicionem, crimen incurreret, dum illorum commodis serviret; Cato nihil committebat, quod suae laudi ac decori officeret; ille nihil denegabat, Cato, severitatis studiosissimus, semper se inexorabilem praebuit (quam parum severitas cum amicitia concinat, exposuit Cic. Lael. 18, 66); Caesar igitur divitem divitiis, factiosum factione vincere, solus in re publica potens esse volebat, Cato non gloria ac potentia, sed virtute, pudore, abstinentia praeclarus esse. Vera autem esse, quae de Catone dicta sunt, etsi non prorsus liber a vitiis ille fuit, cognosces ex iis, quae praeclara arte, prudentia, sagacitate exposuit Drumannus T. V, p. 185—198. De *factiosus* vid. ad Iug. 31, 4; de *innocentiae* notione ad 12, 1. — *esse quam vi-*

cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri

---

deri bonus malebat] Comparatum iam ab aliis est Aesch. Sept. adv. Th. 592: *οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλω*. Maiorem difficultatem libri pepererunt in ultimis verbis. *Eo illum magis sequebatur* testatur Augustin. d. C. D. V, 12, p. 304 ed. Viv. *illum seq.* e. *illum assequebatur* Fabr. 1. m. sec. Ac. Guelf. 1. 2. 5. Sen. 1. Par. a. (p.). Leid. a. b. c. d. k. l (l.). Naz. Pal. 2. 5. 15. *eo magis ass.* Codd. a Manut. commemorati. *illum* vel *illam* (sic enim ceteri legunt; *illam ass.* t. et b.) om. Mers. Pal. 8. 9. Guelf. 6. *gloriam ass.* Rem. 1. *illa ass.* Par. d. *eam ass.* Leid. f. h. *eum* Bas. 3. Primum *illam assequebatur* scribi non posse demonstravit Kritzius his verbis: „*Aliquam rem assequi* is tantum dici potest, qui data opera adhibitoque studio eo quo vult pervenit. Quoniam igitur p e t i t a tantummodo assequimur, non potest h. l. ea sententiarum oppositio esse, ut Cato n o n p e t i t a m g l o r i a m a s s e q u u t u s esse dicatur" (cfr. Cat. 5, 6; Iug. 4, 4). Tum *gloria illum asseq.* quo minus probemus, obstat Latinorum usus, quorum in scriptis mihi quidem nullus locus innotuit, in quo *res aliquem assequitur* dictum esset. Facile autem intelligitur, hoc verbum a librariis substitutum esse simplici *sequebatur*, cum ignorarent hoc verbum saepissime usurpari de rebus, quae ex aliqua re alicui contingunt. Cfr. Cat. 3, 1; 12, 1; Fr. Hist. I, 19, 9; IV, 12, 22. At non est cur *illum*, quod a Sal. scriptum esse, cum praestantissimi libri, tum Augustinus testantur, eiiciendum censeamus. An sine vi additum est? Immo miram affert orationi gravitatem, cum sic maiore vi efferatur, gloriam Catonem etiam non petentem eo magis secutam esse. Praeterea non dubito, quin Augustinus verum verborum ordinem exhibuerit; interpositum enim pronomen inter *eo* et *magis* effertur; nec minus probandum putavi *gloriam* post *petebat* positum, quod exhibuerunt teb., cum per se apparere videretur, ita et maximam vim in hoc verbo esse et facilius ex eo sequentis enuntiati subiectum suppleri.

Quanta arte haec de moribus et ingenio Caesaris et Catonis disputatio instituta sit, omnes consentiunt. At sunt, qui vituperent scriptorem, quod minus apto loco eam interposuerit. Quid, quod Kritzius ad 53, 6 scribit: „Ut eorum naturam et mores aperiret, non illis orationibus, sed digressione admonitus est, rursus autem digressionem instituit, ut de illorum ingenio et moribus disputare posset. Quare cum falsum sit, rem illos viros obtulisse, suspicor, Salustium callide orationem ita instituisse, ut lectores, si posset, celaret, hanc de Caesaris et Catonis ingenio disputationem longius petitam, neque satis commode narrationi de puniendis coniuratis

bonus malebat; ita, quo minus petebat gloriam, eo illum magis sequebatur.

---

interpositam esse.“ Tale artificium quis non halucinatoris potius quam scriptoris gravis ac severi esse iudicet? Et tantum abest, ut illis verbis, ad quae haec annotavit Kritzius, quidquam celare velit Salustius, ut excuset, quod a rerum narratione hanc digressionem faciat. Res autem obtulerat Caesarem et Catonem, cum in senatu uterque ita partes primas egerant, ut in his potissimum omnis res posita videretur, ut Caesar maximum omnibus terrorem incuteret, Cato ab omnibus clarus atque magnus haberetur. Quemadmodum autem tunc a singulorum virorum virtute, eloquentia, prudentia omnis res suspensa fuerat, sic semper Romanam rem in paucorum hominum egregria virtute positam fuisse Sal. observarat. Quod si tenes, num amplius illa disputatio nimis longe petita videbitur? Praeterea de Caesaris et Catonis ingenio ac moribus exponi, mea quidem sententia necesse fuit. Qua enim alia ratione illustrari potuit, quaenam caussae utrumque permoverint, illum, ut mortis poenam dissuaderet, hunc, ut gravissimum supplicium decerneret, quam utriusque qui mores fuerint, demonstrando? Nonne sic quisque intellecturus fuit, Caesarem, quo sibi factionem pararet, populi iura defendisse, Catonem, rei publicae amore ingenitaque animi severitate ductum, contrariam sententiam amplexum esse? Ceterum quantum fuerit Sal. ingenium, quanta ars, quam integer animus, ex nullo loco magis, quam ex hoc apparet. Quam bene omnia disposita sunt. Quam perspicue singula quaeque exposita, ut in tanta brevitate tamen nihil desideretur. Nec suum iudicium profert, utrum magis laudandum censeat; tamquam intuens illos, quae animadvertat, sobrie exponit (obiectivam descriptionem esse dicerem, si id Latinum esset). Quae si vera sunt, etiam id apparebit, quam falsi illi sint, qui eum Caesaris vitia non solum tegere et excusare, sed etiam in laudem vertere voluisse censuerunt, ut Dahlius (cfr. ad § 3). Etenim noluit illorum vitia inter se comparare, sed virtutes. Et cum non praetermiserit Caesaris gloriae atque imperii cupiditatem, quis non erat intellecturus, beneficia eius pleraque ex illa nata esse? At nisi natura ad misericordiam, facilitatem, mansuetudinem proclivis fuisset, num illas partes erat acturus? Profecto, si quis, quae Drumannus, decus Germaniae, de Caesaris moribus tam plene, tam prudenter, tam praeclare exposuit, attentus legerit, non errasse Sal. cognoscet. Nolo autem omittere, ex praeteritis temporibus, quibus per totum hunc locum usus est Sal., non iniuria viros doctos videri coniecisse, haec post mortem Caesaris scripta esse. Etiam magis id apparet ex verbis 53, 6 et ex omni disputationis ratione.

LV. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optumum factu ratus noctem quae instabat antecapere, ne quid eo spatio novaretur, triumviros quae
2 supplicium postulabat parare iubet; ipse, praesidiis dispositis, Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per
3 praetores. Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis ad laevam, circiter duodecim pedes

---

De vivo enim vix quisquam, ne Salustius quidem, tam libero ore erat locuturus, minimeque de eo, a quo maxima beneficia ac praemia accepisset.

LV. 1. *optumum factu*] Vid. ad 32, 1. Gerl. in ed. mai.: „*optumum factum* Struv. Ac. Guelf. 6. 8. 10. 12. Mark. Γ primitus;" in min. *factu* edidit, nulla varietate enotata. De *antecapere* dictum est ad 13, 4. — *triumviros*] Intelliguntur triumviri capitales, qui quotannis per praetorem comitiis tributis creabantur, quorumque muneris erat, ut bona damnatorum in publicum redigerent, supplicia sumenda curarent et in manifestis sceleribus deprensos captivos custodirent. Cfr. Nieb. H. R. III, p. 481; Göttling. l. c. p. 364; 371; 377 sqq.

2. *praesidiis dispositis*] Sic Gerl. in ed. min. pro *disp. pr.* scripsit, nulla tamen annotata varietate; 50, 3 alterum retinuit. Utrum rectius scribatur, nisi librorum fide cognita, diiudicari non poterit. — *deducit*] „Verbum legitimum est de iis, qui aliquo comitante aliquo concedunt; cfr. Brem. ad Nep. Ep. 4, 5; Them. 8, 5; Tac. Ann. III, 14 extr.; Gör. ad Cic. Ac. I, 3, 9." Kritz.

3. *est in carcere locus*] Sic Gerl. ed. min. pro *est locus in carcere*, iterum nulla varietate annotata; in ed. mai. commemoravit, eum ordinem exstare in Bas. 1. 3. Tur. 1. Bern. 3; *locus* omiss. esse in Bas. 4. Videtur autem is ordo necessarius esse, ne lectores ambigant, utrum relat. ad *locus*, an ad *carcerem* referant. Carcerem illum foro imminentem in Capitolini montis latere ab Anco Martio rege exstructum esse veteres tradiderunt; cfr. Liv. I, 33; Nieb. H. R. I, p. 370. Eius pars fuit *Tullianum* sive *robur Tullianum* (Fest. s. v. Robur p. 134: *quod ante arcis robustis includebatur*), quod a Servio Tullio exstructum esse auctor est Varr. d. L. L. IV, 32. Id antiquitus puteum fuisse, nec potuisse postea addi, non sine magna veri specie contendit Forchhammerus (Kunstbl. z. Morgenbl. 1839, N. 93. Eo magis doleo, hanc dissertationem mihi ad manus non fuisse, quod addita fuit loci imago). De genere relativi cfr. Z. § 372. — *ascenderis*] Ita plurimi codices (bplet); *descenderis* Bas. 3., Rem. uterqu., Sen. 2. Franc. inc. 1. Commel. Pal. 2. m. sec. Bern. 1. *escenderis* Thosan Palmer.,

humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque in- 4
super camera lapideis fornicibus vincta, sed inculta, tene-

---

quod probavit Cortius. Qui *descenderis* verum iudicarunt, moti sunt maxime sequentibus verbis, cum arbitrarentur, quia ille locus duodecim pedes depressus esset, necessario totidem pedum descensum fuisse. In quo falsi sunt. Nam verbis *ubi — ad laevam* non Tulliani naturam, sed locum carceris, ubi illud erat, describi manifestum est. Quidni vero carcer ita exstructus esse potuit, ut solum ad laevam paululum acclive in eoque Tullianum depressum esset? Quod eo verisimilius est, cum carcerem non in ipsa urbis planitie, sed in paulo editiore loco Capitolini montis fuisse constet, natura igitur loci acclivis quo minus solum prorsus exaequaretur ac complanaretur, obstaret et labor lapidem excidendi satis magnus ac difficilis esset. Recte etiam sic Tullianum *carcer inferior* dicebatur (Liv. XXXIV, 44; carcer Mamertinus superior pars aedificii), cum etiamsi quatuor pedes ascenderetur, tamen solum Tulliani octo pedibus inferius esset, quam solum carceris Mamertini. Quae si reputaveris, cautius certe iudicabis, plurimorum et optimorum librorum scripturam retinere (quam probavit etiam Drum. V, p. 531), cum praesertim librarii vix videantur ex *descenderis ascenderis* facturi fuisse. Nec vero probari potest, quod Cortius recepit, *escenderis.* Inter *ascendere* enim et *escendere* hoc discrimen statuatur necesse est, ut in illo verbo magis loci significatio teneatur, in quem scanditur, in hoc magis altitudo eius loci prematur. Quare non prorsus falsi sunt, qui verbo *escendere* laborem quemdam scandendi significari dicunt. Cfr. Döderl. Syn. IV, p. 60 sq. — *Deprimere* verbum usitatum esse de locis, quae aut arte aut natura in altitudinem porrigantur, iam Fabrius observavit comparatis locis Cic. in Verr. II, V, 27, 68: *Totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso et multorum operis penitus exciso;* Caes. B. G. VIII, 9: *valle intermissa, magis in altitudinem depressa, quam late patente;* ibid. 40; Tac. Ann. XV, 42, 2. De *humi* cfr. Rsh. § 447 C. b. p. 447 sqq. Cum participium *depressus* rem iam effectam significet, qua ratione genitivus positus sit, quisque videt. Vid. ad Iug. 48, 3. —

4. *lapideis fornicibus vincta*] Gerl. ed. mai.: „*vincta* et *iuncta* et alias mutata, hoc quoque loco promiscue scribuntur;" et in min.: „*iuncta* an *vincta* in codicibus sit, incertum est." *Fornices* quid fuerint, apparet ex Sen. Ep. 190: *Demetrius invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio saxo alligaretur; cameram* autem tectum incurvum ad modum testudinis constructum fuisse, constat („*die gewölbte Decke*"); cfr. Vitruv. VII, 3; Varr. R. R. III, 7 init. Iam cum

5 bris, odore foeda atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capi-
6 talium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita

---

camera *fornicibus vincta* dicitur, apparet, singulas camerae partes fornicibus ita contentas fuisse, ut concidere non posset („*durch steinerne Schwibbögen getragen*"); cfr. quos locos Fabrius comparavit, Cat. R. R. 39: *dolia plumbo vincito;* Liv. XL, 29: *arcae inventae sunt — operculis plumbo devinctis. Iuncta fornicibus* vero dicetur ea, quae iunctis inter se fornicibus effecta sit („*durch steinerne Schwibbögen gebildet*"), quemadmodum dicitur: *ratem, pontem iungere.* Quare cum utrum libris commendetur, ignoremus, iudicium continendum est. — *inculta*] Hanc scripturam tuentur optimi libri bpet; *incultu* exhibent Naz. Comm. Bas. 2. 3. uterq. Senat. Guelf. 1. 5. Leid. h. l. m. n. Cum *incultus* de omni re dicatur, quae neglecta iacet omnique ornamento ac decore caret, quin recte dicatur *facies loci inculta*, nemo dubitabit, maxime coll. 52, 13; nec magis, qui Salustii loquendi consuetudinem norit, quin *tenebris, odore* recte sine copula iungantur. Quidnam igitur, quominus optimorum librorum scripturam retineamus obstat? Nempe, cum sequatur *tenebris, odore*, orationis concinnitatem, ut *incultu* scribatur, postulare aiunt. Audio et id ipsum librarios videtur movisse. At quid, si Sal. *inculta* explicare voluit adiectis hisce: *tenebris, odore foeda atque terribilis?* Laesam concinnitatem esse, non evincent. Sed Herzogius *inculta* non aptum esse dicit. An alia significatione h. l. est, quam 52, 13? Immo eadem. Igitur cur tandem, quod de inferorum sedibus recte dicitur, huius foedissimi loci descriptioni minus aptum iudicemus? Quare, nisi graviora et firmiora argumenta prolata fuerint, equidem optimorum librorum scripturam defendam.

5. *vindices rerum capitalium*] Magnopere errarunt, qui hos triumviros illos rerum capitalium iudicarunt. His, qui in magistratibus minoribus numerabantur, ea quidem cura demandata erat, ut supplicia sumenda curarent, neutiquam tamen, ut ipsi condemnatos iugularent, quod erat carnificum, servorum publicorum, generis tam abiecti ac contempti, ut iis ne in urbe habitare quidem liceret (Cic. pr. Rab. 5, 15). — *laqueo gulam fregere*] Tenendum est, hoc genus supplicii semper in carcere sumptum esse; videtur autem eo tempore in consuetudinem venisse, quo civis nex populi Romani maiestate indigna haberi coepta est. Eodem modo necatum esse C. Pleminium constat ex Liv. XXXIV, 44 extr. Plerumque cadavera unco tracta super Gemonias scalas in Tiberim proiiciebantur; sed tum necati coniuratis sepeliendi traditi sunt (Drum. V, p. 532).

ille patricius ex clarissuma gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est.

LVI. Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortis pro numero militum complet; deinde, uti 2

---

6. *ex clarissuma gente*] Retinui eum verborum ordinem, qui et maiore librorum fide et ratione commendatur. Apparet enim *clarissuma* non inepte numero efferri atque hoc dici: ille, qui non modo ex patricia, sed etiam ex clarissima gente erat. — *consulare imperium*] Praetores quoniam iisdem quibus consules auspiciis creabantur, consulum collegae appellabantur et, si quando illi aberant ab urbe, eorum muneribus fungebantur, quam ob caussam imperium eorum, quamvis minus et angustioribus finibus circumscriptum esset, quodammodo consulare fuit. Cfr. Göttling l. c. p. 356. — *exitium*] Vix dubium videtur, quin, quod in libris nonnullis scriptum est, *exitum* ex interpretamento natum sit. Cave vero, Sal. obsoletorum verborum amoris insimules atque *exitium* pro simplici *exitum* dictum putes (auctore Festo p. 61 Lind.). Nam h. quoque l. *exitium* est pernicies, interitus, exstinctio, non simpliciter finis. Cfr. Döderl. Syn. II, p. 64; III, p. 176. Ceterum Sal. pro consilio suo nonnulla omisit. Cicero sub noctem cum principibus civitatis prodiit in forum ibique congregato populo uno verbo *vixerunt* illorum mortem nuntiavit; quo audito qui coniurationis participes fuerant, fugam capessiverunt; reliqui consulem laetissimo clamore maximaque frequentia domum comitati sunt (Drum. l. c. p. 532 sqq.). App. d. b. C. II, 6 extr.: *καὶ τοῖς ἐν ἀγορᾷ παροδεύων ἐσήμηνεν, ὅτι τεθνᾶσι· οἱ δὲ διελύοντο, πεφρικότες τε καὶ περὶ σφῶν ἀγαπῶντες, ὡς διαλαθόντες.* Addit Plut. Cic. c. 22: *οὕτω δὲ Ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι τὸ τεθνάναι σημαίνουσιν.*

LVI. 1. *ex omni copia*] *Copia* de hominum multitudine dictum est; inconditae multitudinis significatio in ipso vocabulo non inest, sed comprehendit tantum eos, qui ad aliquam rem praesto sunt, aut in aliqua re adsunt. Cfr. infr. 3; 61, 5; Iug. 44, 2 (*copia militum*); 93, 8 (*ex omnia copia tubicinum*); 103, 2 (*ex omni copia necessariorum*). — *instituit*] Aptissime comparabitur Caes. d. B. C. III, 93, 4: *Quod ubi Caesar animadvertit, quartae aciei, quam instituerat sex cohortium numero, signum dedit.* — *cohortis pro numero militum complet*] proprie: tam plenas fecit, quam pro militum n. poterat; i. e. cohortes tot

quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, quom initio non amplius duobus milibus habuisset.

---

militum instituit, quot, cum aequaliter per singulas dividerentur, singulis ascribi poterant. Legio tum cohortibus decem constabat, quarum singulae trium manipulorum erant. Quare Catilina, cum duo milia militum haberet, singulis cohortibus centum fere milites adscripsisse putandus est.

2. *voluntarius aut ex sociis*] *Socii* sunt, qui cum Catilina coniuraverant; qui quoniam iureiurando tenebantur, opponuntur iis, qui nulla fide astricti sua voluntate sese adiunxerunt. — *venerat* — *distribuerat* — *expleverat*] Plusqpfecto *expleverat* Salustius, ut compluribus aliis locis (vid. ad 18, 6) usus est, ratione habita earum rerum, quae secutae sunt; expleverant, ante quam Anton. adventavit. Sed Kritzius offendit in *distribuerat*, cum quoniam *venerat* distributionem aperte praecessisset, id quod secutum esset, eodem tempore exprimi non potuisse censeret. Qua opinione ductus ex uno cod. Leid. i. scripsit *distribuebat* talemque sententiae formam effecit, qualis est 51, 33; 56, 3; Iug. 26, 3; 49, 4; 97, 4. Recte vidit V. D., *venerat* retinendum esse, sed illud neglexit, quod sequi debeat tempus, non pendere ab eo, quod praegressum est, sed ab ea ratione, quae inter eam rem et alias intercedat. Quare Sal. cum haec ita narraret, ut eorum, quae secuta sunt, rationem haberet, recte potuit plsqpfo *distribuerat* uti, quamquam ante scripserat: *venerat*. — *aequaliter*] i. e. ut semper singulis cohortibus parem numerum, non huic maiorem, illi minorem ascriberet. Cfr. Iug. 91, 1: *ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat*. Bene Herzogius monuit, ex h. l. intelligi, quid discriminis inter *complere* et *explere* intercedat. Etenim illud aperte est: plenum aliquid facere („*anfüllen*"); hoc ita aliquid plenum facere, ut modus ac ratio rei postulat („*ausfüllen*"); cfr. Iug. 87, 1. Legio tum erat fere sex milium militum. Primus C. Marius legiones sex milium ducentorum scripserat. Paul. Diac. s. v. *sex* p. 148 Lind.; Veget. Mil. 2, 2 et 6. Creuzer. Antiq. Rom. p. 282 et 290 sq. Quare Salustius Catilinae exercitum duodecim fere milium fuisse testatur; auxerunt numerum Appian. d. b. c. II, c. 7: *Κατιλίναν δὲ ἐς δισμυρίους ἀγείραντα*; Plut. Cic. c. 16 p. 438 Schaef. — *non amplius duobus milibus*] Cfr. Z. § 485; Rsh. § 154 A. N. 3. p. 491. Plerumque Sal. omisso *quam* substantivi casum immutatum reliquit. Cat. 59, 1: *quod amplius annos triginta in exercitu fuerat*; Iug. 58, 3: *ex omni multitudine non amplius quadraginta*; 68, 3: *Vaccam non am-*

Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis 3
instructa; ceteri, uti quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. Sed postquam 4
Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, modo ad urbem, modo in Galliam vorsus castra movere, hostibus occasionem pugnandi non dare; sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii

---

plius mille passuum abesse; 76, 1: *neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte moratus*, ubi vid.; 91, 3: *ab Capsa non amplius duum milium intervallo;* 105, 3: *cum mile non amplius equitibus. Minus* sic usurpati nullum exemplum apud eum reperitur, nec magis *plus*. Quod casu factum esse, vix quisquam credat. Ceterum grammaticorum praeceptis obsecutus scripsi *milibus;* cfr. Wagner. Virg. T. V, p. 454.

3. *militaribus armis*] Dicit arma, quae miles bene instructus portat, quae alibi *iusta* aut *legionaria* appellantur. Ea erant gladii, pila, hastae. — *sparos*] *Spari* (*spara* legitur ap. Paul. Diac. p. 147; Fest. p. 256) erant tela missilia paululum incurva, quibus plerumque rustici utebantur. Non magis constat, quo modo *lancea* ab hasta diversa fuerit.

4. *adventabat*] Vid. ad 6, 3. Verbo, quo significatur contentio quaedam ac studium appropinquandi (Held. ad Caes. B. C. I, 14, 1), eodem, quo h. l. modo usus est Sal. Iug. 28, 2 et 53, 7; translata significatione de tempore Iug. 36, 4 et de luce 99, 1. — *modo in Galliam vorsus*] Gerlachius *in* uncis circumclusit, cum in nonnullis libris omissum, in aliis cum *ad* commutatum esset; quam caussam non satis idoneam esse recte iudicavit Orellius. De adv. *vorsus* cum *ad* coniuncto vid. Hand. Tursell. I, p. 179 et 188; Iug. 58, 4 et 69, 1. Rarius sane cum *in* iunctum esse videtur; sed nihil est, cur offendas. Videtur Sal. more suo orationem variasse. De forma haec moneo. Hoc loco *vorsus* sine varietate legi videtur; Iug. 19, 3 *vorsum* ex nullo cod. nisi ex p. enotatum est, quamquam in eo quoque *s* supra lineam scriptum; at Iug. 58, 4 et 69, 1 Gerl. et in ed. mai. et in min. *vorsum* scripsit, nulla varietate annotata. — *propediem*] Non dubito, quin h. verbum contractum sit ex *prope diem* eodem modo, quo *propemodum* (Cat. 32, 2). Significat non multum post diem, i. e. non multum post id tempus, quod mente tenetur. Ceterum Catilina n n solum in illis spem habebat, cum quibus convenerat, ut patratis inceptis ex urbe ad se erumperent; sed sperabat fore, ut undique plurimi in sua castra concurrerent, cum res Romae gestae prosperi eventus spem praeberent. Recte Drum. l. c. p. 564: „*Gute Nachrichten aus Rom sollten ihm Zulauf verschaffen.*“

incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans, videri caussam civium cum servis fugitivis communicavisse.

LVII. Sed postquam in castra nuntius pervenit, Romae coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque,

---

5. *Cuius* et librorum fide et Prisciani testimonio XVII, 20, 156, p. 81 ed. Kr. ita munitum est, ut quin a Sal. scriptum sit, vix dubitari queat. Mira igitur quadam audacia atque insolentia singularem retulit ad pluralem *servitia;* nempe cum mente teneret *servorum genus*, ad eam notionem orationem suam accommodavit. Recte cum h. l. comparatus est Liv. XLII, 8, 7: *placere senatui, M. Popillium Ligures restituere in libertatem bonaque ut iis, quidquid eius recuperari possit, reddantur curare*, cui loco simillimus est Thuc. I, 80: *καὶ τίνι πιστεύσαντας ἀπαρασκεύους ἐπειχθῆναι; πότερον ταῖς ναυσίν; ἀλλ' ἥσσους ἐσμέν. εἰ δὲ μελετήσομεν καὶ ἀντεπαρασκευασόμεθα, χρόνος ἐνέσται. ἀλλὰ τοῖς χρήμασιν; ἀλλὰ πολλῷ ἔτι πλέον τούτου ἐλλείπομεν καὶ οὔτε ἐν κοινῷ ἔχομεν οὔτε ἑτοίμως ἐκ τῶν ἰδίων φέρομεν.* Minus recte Kritzius videtur iudicasse de loco Plaut. Bacch. IV, 4, 74 (687 Bothe): Ch. *Euax nimis bellus et ut esse maxume optabam, locus!* Pi. *Quae imperavisti, imperatum bene bonis factum e loco est.* Ibi enim *factum est* non coniungendum est cum *quae imperavisti*, sed post haec verba gravior interpunctio ponenda est, ut Pi. respondeat: *Quae imperavisti*, i. e. Illa, quae tu admiraris, sunt, quae imperavisti; tum subiiciat proverbium. Etiam minus recte comparavit Cic. ad Fam. XIII, 16: *si uti commendationibus vellet, per alios id eum videbam consequi posse*, ubi *id* non ad *commendationibus* referendum est, sed ad *uti commendationibus* (per alios videbam eum id consequi posse, ut commendationibus uteretur); et Liv. XXXVII, 54, 24: *Barbari, quo gaudent, reges habeant*, ubi manifesto sententia est: Solent barbari eo gaudere, quod reges habent; ergo habeant reges. Tenendum autem est, id quod ad 24, 4 monui, plurali *servitia* Sal. semper ita usum esse, ut omne genus servorum comprehenderet, quo facilius potuit *cuius* ad id nomen referre; deinde ad talem insolentiam viam quasi paratam fuisse eo more et Graecorum et Latinorum, quo neutra adiectivorum et pronominum ad substantiva alius generis referre consueverunt. — *videri*] Cfr. ad 31, 7; de *rationes* ad 44, 5. —

LVII. 1. *de Lentulo et Cethego ceterisque*] Gerl. in ed. mai. scripsit: *de L. C. ceterisque*, annot. hisce: „*que* om. Fabric. uterq.

quos supra memoravi, supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam Transalpinam.

---

inc. 2. Rem. 1. Heuss. Senat. 2. Franc. tres Guelf. *et ceteris* Guelf. 6.;" in ed. min. scribendum curavit: *de Lentulo et Cethego ceterisque*, nulla e libris enotata varietate. Non dubium est, quin Sal. haec ἀσυνδέτως iuxta ponere potuerit; sed constat Romanos tum tria vel plura per copulativas particulas coniunxisse, cum magis singula efferre vellent. Quare Lentulus et Cethegus cum principes coniurationis essent, in iisque potissimum Catilina spem haberet, recte interposito *et* magis distinguuntur. Ceterum cfr. quae disputavit Z. § 783. — *dilabuntur*] Eodem modo dictum est Iug. 18, 3; translata significatione Iug. 2, 2; 10, 6; 27, 2; 36, 4 (*dilapso tempore*). — *in agrum Pistoriensem*] *Pistoria* (Pistorium, τὰ Πιστωρία) oppidum erat in Etruria, a Florentia viginti quatuor miliaria Occidentem et Septentriones versus situm. Vid. Mannert. Geogr. IX, 1, p. 392 sq. In *abducere* inest: ab aliquo loco removere aut ab aliis hominibus separare; cfr. Iug. 8, 2: *donatum atque laudatum magnifice pro concione Iugurtham in praetorium abduxit, ibique s e c r e t o monuit.* Quare h. l. aptissime est de eo dictum, qui hostes effugere cupit. — *perfugeret*] *Perfugere* rectius h. l. scribi, quam *profugere*, et magnus librorum consensus demonstrat, et sententia, cum *perfugere* de eo dicatur, qui locum petit, ubi tutus sit, *profugere* de eo, qui in longinquum fugit. Vid. ad 6, 1 et ad 54, 3. Nec minus singularis *perfugeret* et optimorum librorum consensu munitus est, et commendatur eo, quod sic Catilina, quippe in quo potissimum omnis res sita esse dicitur, perfugium petiisse dicitur. — *in Galliam Transalpinam*] *Transalpinam* om. Erl.; Fabric. 2. et unus Rivii *Cisalpinam* exhibent. Quae discrepantia plerosque editores movit, ut hoc verbum aut uncis circumcludendum, aut eiiciendum censerent. Quod quamquam non sine veri quadam specie statuerunt, si quidem librarios ad talia inculcanda proclives fuisse constat, inde vero, quod duo codd. *Cisalp.* exhibent, concludi videtur posse, librarios de eo vocabulo dubitasse, tamen nisi demonstratur, a Sal. *Transalpinam* non potuisse scribi, propter magnum librorum optimorum consensum id retinendum arbitror. Et nihili quidem facio, quod Herz. monuit, nisi addito hoc verbo, iusto minus plenam esse orationem, quod etiam falsum est. At quis est, qui contendat, Catilinam non id consilium habuisse, ut in Galliam

2 At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans,

---

Transalpinam perfugeret. In Gallia Cisalp. omnia pacata erant; in Transalp. Allobroges defectionem meditabantur. Et quamquam per eorum legatos Romae coniuratio patefacta erat, tamen Cat. sperare potuit, eam civitatem sibi conciliatum iri, cum non ignoraret, eos, quod a senatu peterent, non consecuturos esse. Id veri simile esse iudicavit etiam Drum. V, p. 566: „*um über die Alpen zu den Allobrogern zu entfliehen;*“ quamquam idem III, p. 228: „*Auch wurde*, inquit, *Catilina's Versuch, sich zu den gallischen Völkern Oberitaliens durchzuschleichen und sie nebst den jenseitigen zu bewaffnen, durch Q. Metellus Celer vereitelt.*“ Et postea L. Sergius, Catilinae aut libertus aut cognatus (Drum. V, p. 416 et 550), ad Allobroges perfugere conatus est (Drum. V, p. 569). Iam sunt, qui si ita scribatur, necessario concludendum esse contendant, Catilinam per Ligures et Alpes maritimos voluisse ad Allobroges pervenire. Quod si voluisset, rem periculosissimam, ne dicam perniciosissimam suscepisset. Quomodo enim in inviis illis montibus commeatum ceterasque res necessarias habiturum se esse sperare potuit? Recte alii statuerunt, brevissima via iter eum perficere, igitur fortasse a Pistoria Regium Lepidi indeque trans Padum ad Allobroges pergere voluisse, quod comprobant etiam verba § 3. At ex his non consequitur, supra non potuisse scribi *in Galliam Transalpinam.* Certe Salustius a tali brevitate non abhorruit, ut cum plene dicendum esset: uti per tramites occulte in Galliam Cisalpinam indeque in Transalpinam perfugeret, haec omissis, quae quisque per se intellecturus erat, in brevius contraheret.

2. *in agro Piceno praesidebat*] *Praesidere* proprie est prae aliqua re sedere, tum ita sedere, ut ab omnibus conspiciaris, qua vi cum saepe de iis dictum est, qui in ludis conspicui sunt, tum de loco publico Suet. Aug. 26 extr.: *Nam die Kalendarum Ianuarii, cum mane pro aede Capitolini Iovis paululum curuli sella praesedisset.* Simili significatione h. l. est. Etenim Metellus in agro Piceno ita sedebat, ut Catilina eum conspicere deberet, ut sine pugna praeterire aut effugere non posset, i. e. praesidia agebat in a. P. Errant igitur, qui, cum *praesidere* c. dat. iunctum aliquam regionem tutari aut ei praeesse significet, h. l. a Sal. *in* c. abl. pro dat. positum censent. Sententia non diversa est; at alia constructionis ratio. Metellus cum cognovisset, Catilinam dilapsa maxima exercitus parte in summis angustiis esse, ex ea rerum difficultate (vid. ad 12, 2) suspicatus illum in Galliam perfugere conaturum esse, in agro Piceno custodias agitabat,

quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur ubi iter eius 3
ex perfugis cognovit, castra propere movet ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, ut- 4
pote qui magno exercitu locis aequioribus expeditus in fuga

---

ne ea parte Apenninum transiret. In agrum Pic. eum cum praesidio missum esse Sal. supra narraverat 30, 6; praefuisse eum etiam Galliae cisalp. ex Cic. or. Cat. comperimus; vid. ad 42, 3. Videntur autem illo tempore agri Piceni fines latius patuisse, quam post Augusti tempora. Posterioribus temporibus *Picenum* nominabatur regio, quae secundum mare superum a flumine Aesi usque ad Aternum porrigitur, antiquis id nomen etiam Senonum agros et Umbriam complectebatur. Cfr. Mannert. Geogr. T. IX, 1, p. 442—454. Et credibile est, Metellum non in ea regione, quae Romam propior, praesidia habuisse, sed, cum Catilina in ea parte Etruriae versaretur, quae ad septentriones vergebat, vias, quae a Florentia Bononiam ducerent, ab eo obsessas esse.

3. *movet*] Sic Guelf. 5. et. Plerique libri (bpl.) *movit*. At cum librarii facile in talibus terminationibus erraverint, id, quod a vulgaris sermonis consuetudine recedit, per se aliquam commendationem habet; praeterea praes. histor. aptissimum est ad rem celeriter factam significandam; nec quidquam movere nos debet, quod sequitur pf. *consedit*, cum et a praes. histor. interdum ad pf. transiri supra ad 20, 1 observaverimus, et *consedit* forma perfectum, vi ac natura sua praesens sit. Qui enim consedit, is sedet. Non aberrabit a vero, qui h. l. ita in nostrum sermonem transferet: „*Er bricht auf und bleibt stehen.*" Ceterum *considere* de militibus stationem occupantibus frequentissimum est. Cfr. Iug. 21, 2; 49, 1, 5; 51, 3; 52, 6; 91, 3; 98, 5; 106, 5. — *qua*] Hoc adverbio loci, de quo vide Rsh. § 158, 5, p. 560; Bremi ad Nep. Milt. 3, 1, haud raro Sal. usus est. Cfr. Iug. 18, 2; 20, 8; 50, 3; 55, 8; 59, 1; 93, 6; 101, 11.

4. *Neque tamen*] Hae particulae praecedentibus aliquid opponunt, quod non fuisse facile quis credat; referuntur igitur semper ad concessivum sive condicionale membrum, quod aut in praecedentibus expressum est, aut mente continetur. Cfr. 19, 1; 24, 2, ubi vide; 26, 2; 61, 7; Iug. 98, 5; 100, 1. — *magno exercitu*] Z. § 473; Rsh. § 140, 3, p. 419. Ablativum instrumentalem esse recte post alios monuit Kritzius. Vid. Held. ad Caes. B. G. II, 7, 2; V, 19, 2; B. C. I, 41, 2. — *expeditus in fuga*] Omnes libri *expeditos*, quod tuentur etiam Prisciani codices XVIII, 25, 263, p. 240 Kr. (de Turicensi saeculi X. Orellius

5 sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae

---

id testatus est); *expeditus* tamen fuit in Fabric. 1. prima manu et pro varia lectione in Fabric. 2. exstat (quo iure igitur Gerl. praef. ed. min. p. XXXII tantum de Cortii coniectura dixerit, ipse viderit). Contra *in fuga* et Sal. et Prisc. praestantissimi libri muniunt, *in fugam* pauciores et ii quidem deteriores exhibent. *Expeditos* cur ferri non possit, hae mihi videntur caussae esse. Primum, quod minoris momenti est, offendimus in plurali, cum in praecedentibus semper de solo Catilina, quamvis semper cum suis coniunctus cogitetur, dictum sit. Tum iam antea illius fugae celeritatem significavit, cum eum *magnis itineribus* copias *abduxisse* et in Galliam *properasse* diceret. Idem igitur bis diceret Sal. Deinde, id quod ex particulis *neque tamen* intelligitur, aliquid h. l. tradit, quod mirari possint lectores, non procul abfuisse Antonium; si vero iterum addidisset, expeditos illos fuisse, eam admirationem non modo non tolleret, sed etiam augeret. Postremo illud ipsum, quod plerique libri tenent *in fuga*, documento est, *expeditos* non esse a Sal. scriptum. Quorum verborum quae vis sit, fortasse indicare voluit Fabrius, cum ad Z. §. 317 lectores ablegaret. Continent nempe caussam, quo modo factum sit, ut A. non procul abesset. Etenim, cum hostes fugiunt, is qui sequitur, celerius progredi potest, cum illi nusquam resistant, neque impedimenta obstruant, quibus persecutio prohibeatur. Quod si haec eorum verborum vis est, *expeditos* nisi a Sal. putes turpissime orationis aequabilitatem ac concinnitatem neglectam esse, ferri non potest. At videamus, quae Gerlachius l. l. contra *expeditus* protulit. Primum, inquit, minus accurate dictum, quod ipse dux, non exercitus dicitur expeditus, quod equidem nullibi legi. At cum reliqua ad ducem referantur, quae simul ad exercitum pertinent, cur tandem *expeditus* sic relatum absurdum est? Deinde se non assequi dicit, quo modo magnus exercitus per totum iter expeditus esse possit; *expeditas legiones* quidem dici ap. Liv. 9, 31, quae relictis impedimentis tamen sarcinas retineant. At si quid video, magnus exercitus facilius expeditus esse potest, quam parvus. Ex magno enim exercitu plures possunt relinqui, qui tardius subsequentes impedimenta custodiant et portanda curent, commeatuque praegressos adiuvent. Quod addit, Salustium non totam sententiae vim in *expeditus* voluisse ponere, de eo nemo cum illo certabit, sed nihil inde consequitur, ut id ferri non possit. Mirum autem est, quod praeterea adiicit, neminem facile *aequioribus locis expeditus* coniunxisse, cum haec non coniuncta sint, sed ad idem verbum relata Nec minus miror, quod contendit, ne necesse quidem esse, ut hoc

neque praesidi ullam spem, optumum factu ratus, in tali re
fortunam belli temptare, statuit cum Antonio quam primum
confligere. Itaque, concione advocata, huiuscemodi oratio- 6
nem habuit.

LVIII. „*Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri.*

---

orationis membrum ad Antonii consulis celeritatem significandam adiectum esse statuatur, sed haec tantum explicationis caussa adiecta videri. Quod si Sal. voluisset, nihil aliud quam *utpote qui secutus esset* scripsisset. Nec magis refutatione videtur egere, quod dixit, *expeditos* fugientes a Sal. dictos esse, ut significaret difficultatem persequendi. Quis enim tum credidisset scriptori, Antonium non procul abfuisse? Rectissime scribitur *expeditus.* Quo modo factum sit, ut Antonius non procul abesset, quantumvis Catilina maxime properaret, quatuor res commemorantur, primum magno exercitu illum secutum esse, quo facilius properare potuit, cum minoris facere posset, quot aut fatigatione aut ad impedimenta curanda relinquendi essent; tum locis aequioribus eum iter fecisse, in quibus minores difficultates obstabant; deinde expeditum eum secutum esse, quo maiora quotidie itinera facere potuit; postremo hostes in fuga fuisse, igitur nusquam restitisse, nusquam impedimenta obstruxisse. Ceterum *in fugam*, quod ne tum quidem recte dictum est, si *expeditos* scribatur, librariis haud iniuria tribuas.

5. *praesidi*] *Praesidium* constat ad omnia ea translatum esse, quae ad aliquem tuendum aut muniendum usui essent. Cfr. 19, 2: *simul quia boni complures praesidium in eo putabant*; 33, 5: *legis praesidium*; 36, 3: *Cicero urbi praesidio sit;* 58, 4; Iug. 10, 4: *praesidia regni;*' 14, 18: *generis praesidia;* 19, 1; 35, 1: *in amicis satis praesidi.* — *optumum factu*] *Optumum factum* h. l. ex nullo libro, nisi ex Ac. Guelf. 5. 9. 10. enotatum est.

6. Romani imperatores ante pugnam milites oratione cohortari solebant. Quem morem Catilina secutus est, quo milites ad virtutem inflammaret et ad extrema omnia paratos faceret, simul ut Romani exercitus imperator, non dux latronum haberetur. Orationem a Catilina habitam esse, sed a Salustio hanc confictam esse, nemo negabit. Cfr. Drum. V, p. 566.

LVIII. 1. *compertum habeo*] Vid. ad 22, 4. — *verba virtutem non addere*] Nonnulli libri inter *verba* et *virtutem* interserunt *viris*, quod mea quidem sententia ferri non potest. Primum enim apparet Catilinam oratorum more ordiri a sententia communi,

2 *Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet; quem neque gloria neque*

---

cuius vis imminuitur, si refertur ad singulare quoddam genus. Tum si additur *viris*, sententia inepta est; aut enim virtute viri praediti sunt, aut non sunt viri. Ferri id posset, si viri oppositi cogitarentur pueris, feminis, quibus verbis virtus adderetur. Tenendum autem est, *virtutem addere* non esse: virtutem, quae est, augere; sed cum non adsit, afferre; vid. ad 54, 2. Deinde *addere* absolute dictum, nullo addito obiecto, eo minus est offensioni, cum neque usus Latinorum obstet (Gronov. ad Liv. II, 2, 2), et in communi sententia quodque verbum sic usurpari possit. Denique eo ipso librarii moti esse videntur, ut *viris* adscriberent, nisi mavis id verbum ex prima sequentis verbi syllaba natum esse. Ad sententiam conferas Iug. 85, 50. — *neque — neque*] Cum haec verba praecedentium explicationem continere manifestum sit, ea vero, quae ad praecedentia explicandi caussa adiiciantur, *ἀσυνδέτως* apponi satis constet, minime necesse est, Kritzii sententiam sequamur, qui primum *neque* non sequenti respondere, sed sententiam annectere priori censuit; quamquam is verissime reiecit Herzogii opinionem, sententias adversativas sive contrarias esse statuentis. *Ignavus* factum est a *gnavus*, sive *navus*, quod Döderl. Syn. I, p. 124 ductum censet a *geno;* proprie igitur idem esse ac *natus*, referri autem semper ad nativam animi virtutem, quae in rebus recte et consilio gerendis atque administrandis cernatur. Quare *ignavus* proprie is est, qui ingenio ad agendum apto careat; vid. ad 11, 2 et cfr. 12, 5; Iug. 53, 8; 83, 1. Huic opponitur *strenuus*, quod adiectivum Döderl. l. c. II, p. 128 sq., recte monuit eum significare, qui suo ipsius animo ad res cum laude gerendas instigetur (Cat. 20, 7; 51, 16; 54, 5; 58, 1; 60, 4; 61, 7; Iug. 7, 5; 22, 3; 67, 2; 85, 45; 50; 107, 1). Iam cum timor atque fortitudo magis animi sint, quam ingenii, apparet recte haec per *neque — neque* disiungi, sententiamque esse talem: oratione imperatoris neque ingenia neque animos militum commutari atque converti.

2. *quanta — tanta*] Sententiam generalem esse, non satis videntur perspexisse, qui interpretantur: „*nur so viel und nicht mehr.*“ — *audacia*] „*Audaciam* h. l. bono sensu dici pro virtute interpretes dudum notarunt; cfr. 9, 3; 51, 17. *Moribus*, ubi *naturae* opponuntur, significat id, cui vel usu vel institutione assuevimus.“ KRITZ. — *patere*] Paulo insolentiore modo Sal. h. verbo usus est. Explico non: cerni, cognosci; sed: adesse, praesto esse, usui esse. Quae enim patent, iis quoque tempore uti possumus. Quemadmodum Cic. ad Fam. XIII, 29, 6 scripsit: *in omni*

pericula excitant, nequicquam hortere; timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi, 3 *simul uti caussam mei consili aperirem. Scitis equidem,* 4 *milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit, quoque modo, dum ex urbe prae-*

---

genere et honorum et laborum meorum et animus, et opera, et auctoritas, et gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praesto fuit et patuit et temporibus et fortunae meae; sic Sal. absolute dixit: audacia in bello patere solet, suppleto: imperatori; i. e. imperator exercitum tanta audacia tantaque fortitudine habebit, cet. — *timor animi auribus officit*] Quominus *animi* cum *auribus* coniungas, obstat, quod nemo Romanorum tali metaphora usus est. Genitivus *animi* autem substantivis quae animi habitum significant, addi solet, quo eum affectum non extrinsecus illatum, sed in ipso animo natum esse declaretur. Sic Iug. 20, 1: *et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt;* sententia alia non est, quam si diceretur: cum apud animum suum vehementer timuisset. Cfr. 57, 6 eiusd. libri; praeterea Cat. 1, 4; 49, 4; 51, 4; 52, 28; 61, 4; Iug. 4, 4. — *Officere* de omnibus rebus dicitur, quae impedimento sunt; Cat. 27, 4: *eum suis consiliis multum officere;* Iug. 52, 6: *hostium itineri;* 58, 6: *sibi ipsi officerent;* 85, 43 ubi *nihil officiunt* oppositum est: *cladi sunt.* Proxime ad illum locum accedit Cat. 51, 2: *Haut facile animus verum providet, ubi illa officiunt.* Sententia est: timor animi impedimento est auribus, quo minus cohortationem audiant recteque percipiant; „*die Furcht verschliesst, verstopft die Ohren.*"

3. Sententiarum nexus hic est: Quamquam ego scio, verbis imperatoris ignavos et timidos non fieri strenuos ac fortes, tamen ego vos advocavi, non quo verbis vobis virtutem addere coner, sed ut pauca vos monerem et consilii mei caussas aperirem. *Advocari* de iis dicitur, qui certo consilio ab aliquo in aliquem locum vocantur. Cfr. 44, 6: *eo senatum advocat;* 57, 6 et Iug. 33, 3: *concione advocata;* Iug. 84, 5: *concionem populi advocavit.* De adverbio *simul* vid. ad 19, 2.

4. *equidem*] Vid. ad 51, 5. — *ipsi nobisque cladem*] Gerl. ed. mai.: „*ipsis* Fabric. 2. *sibi* Franc. Bas. 3. Leid. d. i. *sibi et nobis* inc. 2. *ipsi nobisque clad.* Teg. Bern. 1. 2. 3. 4. ita Havercamp. edidit, nec contra pugnare videntur Leid.;" et in comm. p. 151: „*nobisque cladem* Vat. a. Eich., qui quidem verborum ordo restituendus, quippe quem longe plurimi libri servant." In ed. min. edidit: *ipsi nobisque cladem*, nulla annotata varietate

sidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes in-

---

scripturae. Vulgarem ordinem: *ipsi cladem nobisque* exstare in Bas. 2. et Guelf. 2. testatum est. Qui cum ita a libris paene nullam commendationem habeat, ea ipsa regula reprobatur, cuius ad eum defendendum admonuit Kritzius. Nam tantum abest, ut *cladem* minoris momenti vocabulum sit, ut graviore numero efferendum videatur. Minoris profecto interfuit, quibus clades allata sit, dicere, quam quanta clades. Et videtur Sal. ea ipsa de caussa subst. *clades* usum esse, quo gravius malum atque internecionem significaret. Atqui cum duo vocabula, grammatica ratione coniuncta, graviore numero efferuntur, levioribus interpositis separari solent, et ita quidem, ut alteri primus alteri ultimus fere enuntiati locus assignetur. Falsum autem esse, si *que* idem sit, atque *et — et*, verba rectius separari ostendit Iug. 85, 26: *quam omnibus locis me vosque maledictis lacerent*, ubi eadem sententiae ratio est: non solum me, sed etiam vos.

5. *quo loco*] Praepositionem *in* (*quo in loco*) permulti codices omittunt, in quibus optimi vb. Monuit autem Fabrius, Sal. semper *in* apposuisse, ubi *locus* cum pronomine aut relativo aut demonstrativo iunctum esset (vid. Z. § 481; Rsh. § 147, C. p. 447; Fr. Haase ad Reisigii Praell. ann. 566). Quae quamquam vere observata sunt, tamen cum per se ex illo usu concludi non liceat, h. l. simplicem ablativum scribi non potuisse, tum eorum locorum ratio non satis perspecta videtur esse. Etenim praepositionem addidit Sal., ubi certis finibus circumscriptum locum aliis opponit, intraque eius fines aliquid factum esse commemorat. Cfr. Cat. 7, 7: *quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parvà manu fuderit* (intelliguntur regiones, in quibus id factum sit); 58, 6: *diutius in his locis esse — frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet;* Iug. 54, 9: *exercitum plerumque in iisdem locis opperiri iubet;* 55, 1: *in advorso loco victor tamen virtute fuisset*, quamquam ibi fortasse praestat ea explicandi sit, ut *in* instar sit enuntiati secundarii; 76, 1: *neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte morati* (intra ullius loci fines); 79, 4: *quo in loco inter se obvii fuissent;* ibid. 6: *solet in illis locis tempestas haut secus, atque in mari retinere;* ibid. 10: *Carthaginienses in eo loco Philaenis — aras consecravere;* 93, 4: *forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa.* Contra, ubi non tam aliquid intra certi cuiusdam loci fines esse aut factum esse, quam in universum, locum esse, ubi aliquid factum sit, significare voluit, semper omisit praepositionem, velut Cat. 23, 1; 24, 2; 57, 4; Iug. 38, 5; 50, 4;

tellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter 6
a Gallia obstant; diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet; quocunque ire placet, ferro iter aperiundum est. 7
Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis, 8
et quom proelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dexteris vostris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, 9
commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt;

51, 3; 55, 6; 60, 1; 61, 1; 72, 2; 76, 3; 82, 1; 85, 26; 87, 1; 95, 2. Quae si vera sunt, Fabrii argumentum nihil valere ad infringendam optimorum librorum auctoritatem intelligitur. Iam vero cum satis constet, ubi *locus* condicionem, statum significet, scriptores Latinos haud raro quidem praepositionem addere (compluria exempla protulit Kritzius), sed saepius omittere consuevisse, — neque iniuria, cum *locus* tum qualitatem significet —, nos eos libros, quos optimos iudicamus, sequendos putavimus. — *iuxta mecum*] Cfr. ad Cat. 2, 8. Cortius adverbii *iuxta* cum praep. *cum* iuncti exempla ex solo Plauto attulit, neque equidem apud ullum alium scriptorem id legere memini; videtur igitur Sal. hoc aut ex antiquitate repetiisse, aut e vulgaris sermonis consuetudine sumpsisse.

6. *si maxume animus ferat*] Vid. ad 3, 3. Haud incommode vertit Herzogius: „*wenn noch so sehr die Lust sich regte.*"

8. *forti atque parato animo sitis*] Bene Fabrius monuit, *animus* ap. Sal. singulari numero saepius de pluribus esse dictum, pariterque *mens*, *pectus*, coll. Cat. 37, 1; 10, 5; Iug. 4, 6. — *portare*] Vid. ad 6, 5. Sententiam similem continent, quae Catilina 20, 14 dixerat. — *Decus* ap. Sal. saepe est dignitas, quam obtinere decet; nos: „*die Ehre.*" Cfr. 20, 14; 25, 3; 54, 5; Iug. 3, 4; 31, 12; 33, 1 (*contra decus regium*, i. e. contra dignitatem, quam regem obtinere decet); coll. 72, 2; 103, 4: *sine decore ad Sullam profugiunt*, i. e. sine iis rebus, quibus dignitas obtinetur. *Decori esse* legitur Iug. 19, 1; 73, 4; 85, 40. —

9. *commeatus abunde*] Cum *abunde* ap. Sal. nusquam c. genit. legatur (vid. ad Iug. 14, 11), vix dubium est, quin hoc quoque loco *commeatus* nominativus sit, *abunde* autem praedicati locum obtineat, id quod etiam orationis aequabilitas efflagitat. Sed maxime dubito, an recte plerique interpretes *commeatus* pro plurali habuerint. Nam plurali ibi tantum locus est, ubi de frumento aliisque rebus variis temporibus exercitui supportandis dici-

10 *si metu cesserimus, eadem illa advorsa fient; neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint.*
11 *Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pro potentia paucorum*

---

tur, velut Iug. 28, 7; ubi in universum res significantur, quae ad alendum exercitum necessariae sunt, ut Iug. 36, 1; 43, 3; 46, 5; 47, 2; 75, 8; 86, 1; 90, 2; 100, 1, rectius singularis ponitur. Id in hunc locum cadere nemo negabit; nec quidquam difficultatis in eo est, quod ex *erunt* singularis desumendus est, nec *abunde* postulat, ut *commeatus* pluralis sit; certe prorsus similiter Sal. Iug. 43, 3 scripsit: *commeatum affatim.* — *municipia atque coloniae*] Hunc ordinem verborum ut sequerer, movit me optimorum librorum fides. Gerl. in ed. mai. eum ordinem testatur esse in Teg. Tur. 1. 2. Bas. 2. 3. 4. Haverc. codd. Bern. 2. 4.; in min. nihil annotavit. Certe illis temporibus, quibus Sal. scripsit, non tantum inter municipia et colonias discrimen erat, ut necessario alterutrum anteponendum esset. Inversus ordo est 17, 4. —

10. Pro *si vincimus* supra fortasse exspectaveris *si vicerimus*, sed cum sententia sit: ponamus hoc, ut vincamus, praesens necessarium. Contra post recte scriptor fut. exacto usus est. Ut enim vincerent, non in ipsorum manu positum erat; pugnae eventus non solum a fortitudine, sed a fortuna pendet, at ne metu cederent, totum ab illorum voluntate pendebat; quare illud ponitur tantum, hoc pro condicione est, qua necessario quae dicit eventura sint. Quare cum haec condicionalia enuntiata sibi non contraria sint, quin *si*, quod praeter Leid. b. Med. 8. Vat. 3. 5. 6. (ad quos fortasse accedunt Teg. Her. et nonnulli Wassii) omnes libri exhibent, verum sit, minus dubitabis. Ante *neque* graviorem interpunctionem ponendam duxi, cum aperte haec sententia generalis sit. In eadem sententia Orellium fuisse video.

11. *impendet*] Non satis recte Kritzius h. l. quodammodo zeugma haberi iudicavit, cum *impendet* non tam ad Catilinae adversarios, quam ad socios eius pertinere censeret et sensum pleniorem hunc esse diceret: quae nobis impendet necessitudo, illis nulla est. Erat illis quoque quaedam necessitudo pugnandi, sed longe alia, quam Catilinae eiusque sociis. Hi pro iis rebus pugnabant, quas summa bona iudicabant, amplissima igitur praemia a victoria sperabant, illi coacti voluntate aliorum, a quibus nihil exspectare poterant. — *supervacaneum est*] Sententiam manifestum est hanc esse: illorum nihil refert, pugnare pro potentia paucorum, cum aperte nihil nostra intersit, ea ut faciamus, quae

pugnare. Quo audacius aggredimini, memores pristinae 12
virtutis. Licuit nobis cum summa turpitudine in exsilio 13
aetatem agere; potuistis nonnulli Romae, amissis bonis,

---

supervacanea sunt (cfr. 51, 19). Cui explicationi minime obstant sequentia verba. Etenim cum pugnandum est cum iis, qui nullo studio incensi sunt, eo maiori opprobrio est fortibus viris, si timeant; si tales hostes minus audacter aggressi essent Catilinarii milites, profecto pristinam virtutem plane abiecissent. Recte igitur Catilina suos cohortatur, ut eo audacius hostes aggrediantur, quo minus illi fortes futuri sint. — *pro potentia paucorum pugnare*] Sic scripsi pro vulgari *pugnare pro potentia paucorum*, secutus Gerlachium et Orellium, quorum ille in ed. mai. *pugnare* ultimum locum tenere testatus est in Leid. e. f. g. k. l., pluribus Gruteri, Bern. 1. 2. 3. Bas. 2. 3. 4. Tur. 2.; in min. nihil annotavit. Kritzius vero cum diceret, minui verbi *pugnare* vim, si in ultimo loco collocaretur, contrarium effecit ei quod voluit. Nam profecto non *pugnare* et *certare* opponuntur, sed *pro potentia paucorum* et *pro patria*, *pro libertate*, *pro vita*. Potuisset Sal. haec in unum enuntiatum contrahere, sed quo augeretur singularum rerum vis, duo effecit, et utrique suum verbum attribuit.

12. *aggredimini*] Quamquam coni. *aggrediamini* pluribus, neque malis libris munitur (bpet.), tamen imperativum praetuli, cum Catilinae animi fervori melius convenire videretur.

13. *Licuit nobis*] Quamquam *nobis* plerique et optimi libri (vpclt.) tuentur, tamen Kritzius, Fabrius, Orellius *vobis* scripserunt, hac potissimum caussa commoti, quod Catilina, ut suos odio impleret, non tam de sua, quam de illorum potius condicione dicere deberet, et revera diceret (*potuistis* — *decrevistis* — *voltis*); praeterea quia ex iis, quae sequerentur: *quin illa foeda* — *videbantur* — *decrevistis*, clarissime pateret, in utraque sententia secundam personam haberi. In quibus verum illud est, paulo inconcinniorem evadere orationem, si *nobis* scribatur; tamen id non tantam vim videtur habere, ut propterea ferri non possit. Potuit haec Catilina pariter de se ac de illis dicere, nec vero sequentia, cum neque sese Romae alienas opes exspectare potuisse vere dicere posset, et supervacaneum esset de se loqui, quippe qui ipse consilii auctor esset, quod illi sequi decreverant. Sententia igitur talis est: Nobis omnibus licuit in exilio vivere; nonnulli Romae remanere potuistis. Quia viris illa intoleranda videbantur, ego princeps fui belli contra patriam faciendi; vos hoc meum consilium sequi decrevistis; arma mecum cepistis. Iam si maxime me deserere velitis, ne poteritis quidem. — *potuistis nonnulli*] „Latini scriptores haud raro numeralia indefinita *multi*,

14 *alienas opes exspectare; quia illa foeda atque intoleranda*
15 *viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia opus est; nemo nisi victor pace*
16 *bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quom arma, quis corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea*

---

nonnulli, pauci, plerique cum prima aut secunda persona verbi coniungunt, non addito genit. partitivo. Cuius usus Fabrius haec exempla attulit: Cic. pr. Lig. 11, 33: *his nonnulli etiam minabamur;* d. Orat. I, 33, 150: *laboris, quem plerique fugimus,* coll. Liv. IV, 4; adde Cic. pr. Sest. 3, 6: *plerique meministis.* Omnino Latinos nusquam *plerique* cum genit. pronom. person. coniunxisse observavit Geist. in Iahnii Annall. 1832, 9, p. 14 sq. Comparandus hic usus est cum eo, de quo exposuit Z. § 430; Rsh. § 105, N. 6, p. 310 sqq. — *alienas opes*] Pluralis necessario ponendus erat, et quoniam non uni, sed pluribus exspectandum, et quia singulis saepius, vel a pluribus, vel non una re auxilium ferendum erat. Cfr. Iug. 14, 7: *inops alienas opes exspecto;* 23: *cuius vitae necisque potestas ex alienis opibus pendet.* Singularis legitur Fr. inc. 17, 4: *quom, egens alienae opis, plura mala exspectarem.*

14. *haec sequi decrevistis*] Sent. est: quia illae vitae rationes vobis turpes videbantur, has suscepistis. Pron. *hic* cum proxima quaeque significet, recte positum est de iis rebus, in quibus tum erant; *sequi* autem h. l. haud alia ratione dictum est, atque in illis: *rationem sequi* (Cic. d. Divin. II, 3 extr.), *consilium sequi* (de Rep. II, 7), Cat. 35, 4: *satis honestas spes sum sequutus;* 52, 22: *sequimur inertiam.*

15. *si haec relinquere voltis*] i. e. si ab his rationibus vitae, quas secuti estis, discedere voltis. Eodem modo igitur *relinquere* dictum est, ac *relictis operibus* Iug. 73, 6. De asyndeto vid. ad 17, 7.

16. Sententia similis est Iug. 107, 1: *quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanta tutiores fore, nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere.* Monendi sunt tirones, ne *in fuga salutem sperare* esse putent: in fuga spem salutis ponere (quae videtur Fabrii sententia ad Iug. 79, 7), sed sententiam esse: cum fugis —. *quis*] Abl. plur. pronominis relat. *qui* sine ulla varietate scriptus est Cat. 2, 4; 18, 1; 30, 1; 31, 1; 32, 2; 46, 1; 51, 40; Iug. 2, 4; 4, 3; 6, 1, 3; 11, 8; 14, 3; 17, 1 (*quibuscum.* Si Sal. breviori forma uti voluisset, credo, scripsisset *quicum*); 59, 3; 94, 2; Fr. (Gerl.

vero dementia est. Semper in proelio iis maxumum est 17

---

ed. min.) p. 183, 12; 184, 9; 185, 16; 189, 9; 192, 26; 203, 24; 207, 14; 235, 11. Formae *quis* haec exempla sunt: Primum h. l. *quis* Gerl. ed. mai. in Riv. et Merseb. exstare annotavit, in min. *quis* scripsit, *quibus* in blet. esse testatus; Iug. 7, 7: *quis rebus* p. Vrat. 1. Sen. 1. Guelf. 1. 2. Leid. n. *quibus* btel.; Iug. 25, 4: *in quis* in ed. min. nulla annotata varietate scriptum est, pariter ac 28, 4; at in illo loco Gerl. in ed. mai. *quis* exstare testatus est in Fabr. Bas. 1. ceterisque vetustis; 70, 5: *quis* in omnibus fere libris inventum; 80, 3 nulla varietas notata; 82, 2: *quibus* ex nullo libro, nisi ex e. affertur; 85, 37: nulla varietas est; 96, 4: *quibus* vulgo scribitur; in edit. min. Gerl. *quis* edidit, notans, *quibus* esse in blt.; 105, 1: *quis* Gerl. ed. mai. inventum esse testatur in Rem. 2. Vrat. 3. Guelf. 6. 9. 11.; in min. *quibus* ex nullo cod. nisi ex tr. (Turic. recent.) notavit. Praeterea *quis* scriptum est Fr. p. 184, 10; 206, 21 (*in quae is* Ven.); 207, 10 (restitutum pro vulgari *qui*); 215, 25; 227, 22; *queis* Fr. 215, 7 scriptum est in v2pr. Dativus *quibus* legitur Cat. 2, 8; 6, 6; 13, 2; 17, 2, 6; 20, 7; 21, 1, 4; 28, 4; 30, 4; 31, 3; 37, 3; 38, 1; 43, 2; 51, 34; 52, 34; 55, 5; Iug. 4, 3; 8, 1; 14, 4, 15, 16; 15, 3; 31, 12; 33, 4; 64, 5; 78, 1; 79, 5; 85, 17, 47; 94, 2; Fr. 188, 27; 192, 20; 193, 24 et 30; 195, 19; 196, 14; 206, 4; 216, 4; 218, 7; 220, 15; 226, 5; 234, 8. At Iug. 13, 6 *quis* multi nec mali codd., 14, 10 paene omnes; 18, 1 *quis* in omnibus libris videtur esse praeter t.; 31, 3 solus Sen. 1. m. pr. *quis* servavit; 66, 4; 80, 5; 81, 1; 111, 2 *quis* sine ulla varietate legitur. Praeterea haec forma exstat Fr. 186, 21 et 228, 7. Iam illud quidem mirum est, quod libri ab initio Catilinae constanter *quibus* tenent, in fine *quis* saepius conservarunt, ut librarii, quo fere fert humana natura, primo, quae ipsis insolita essent, falsa iudicantes mutasse, postea, cum saepius idem legerent, suo iudicio diffidentes, a pruritu mutandi manus protervas abstinuisse videantur. Sunt sane, qui in talibus scriptores aurium iudicium secutos arbitrentur; qui eo minus hac in re efficiunt, quod saepe in iisdem formulis alio loco *quibus*, alio *quis* scriptum est (cfr. ut unum afferam, Cat. 30, 4 cum Iug. 80, 5). Equidem utrum Sal. semper *quibus* an *quis* maluerit quasque leges sibi in harum formarum usu scripserit, diiudicare non audeo; illud tantum observo, semper eum scripsisse videri *in quis*. — *ea vero*] Vid. ad 20, 5 et 37, 4. —

17. *iis maxumum est periculum*] Gerl. ed. mai.: „*iis maxumum* omnes Leid. multi Cortii libri. *his* plures libri. *illis* inc. 2. Guelf. 12. Pron. om. Bas. 1. Sen. 1. Franc. Fabr. utq. Ecc.

periculum, qui maxume timent; audacia pro muro ha-
18 *betur. Quom vos considero, milites, et quom facta vo-*
19 *stra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo,*

Guelf. 2. *est* om. Bern. 3. *his qui* Bas. 2. 3. 4.;" ed. min.: „*his est max.* te. *is max. est* vl. pron. om. b." Quae scripturae varietates nonnullis satis certum documentum visae sunt, pronomen omnino delendum esse, ac provocarunt ad tales locos: Cat. 13, 2: *quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant;* 17, 6: *quibus luxuriose aut molliter vivere copia erat, bellum quam pacem malebant;* 37, 3: *quibus opes nullae sunt, bonis invident;* ibid. 9: *praeterea quorum victoria Sullae parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haut sane alio animo belli eventum exspectabant;* 55, 5: *quibus imperatum erat, laqueo gulam fregere;* Fr. Hist. I, 19, 13: *quibus illa placent, in armis sunt.* Quibus locis nihil aliud comprobatur, nisi a Salustio, sicut ab aliis scriptoribus, pron. dem., etiamsi alio casu cogitandum esset, quam quo positum est relativum, omissum esse. Sed a sententia omissionem pron. commendari dicunt. Cum enim aperte hoc dicatur: uti quisque maxime timet, ita ei maximum periculum est (cfr. Iug. 87, 2: *fortissimum quemque tutissimum*), cum igitur neque totum genus comprehendi, sed ad omnes, quos quis cogitare velit, sententiam referri appareat, rectius pronomen abesse. Quae quamquam non sine veri quadam specie disputata sunt, tamen mihi non probantur. Et, ut de libris primum dicam, diversitatem inter *his* et *is* (i. e. *iis*) nullam esse iam ad 13, 1 observavimus; unde iure contendi potest, plerosque libros pron. tueri; nec mirum est, in nonnullis libris omissum esse, si quidem certum est, iam veteres grammaticos, cum opiniones quasdam de Salustii stylo mente praecepissent, omnia ea, quibus careri posset, eiecisse; deinde additum pron. minime impedimento est, quo minus ad omnes, quoscumque quis cogitare velit, sententia referatur; augetur eo tantum relationis vis et effertur, quorum illud sit, eorum etiam hoc esse. Qui maxime timent, ii non possunt non in maximo periculo esse. — *pro muro habetur*] Vid. ad 1, 4. —

18. *magna me spes*] Adiectivum non sine caussa leviore interposito vocabulo a substantivo suo separatum esse, quivis intelliget.

19. *me hortantur*] Facile apparet, supplendum esse: ut omnia bona sperem. Ceterum hic locus testimonio est, iuvenes plerosque fuisse, qui Catilinae castra secuti essent. In hostium exercitu multos veteranos fuisse, constat ex 59, 5.

quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium 20
ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci. Quodsi 21
*virtuti vostrae fortuna inviderit, cavete, inulti animam
amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini,
quam virorum more pugnantes cruentam atque luctuosam
victoriam hostibus relinquatis.*"

---

20. *queat*] Hoc verbo, quod ab aliis probis scriptoribus rarius usurpatum esse videtur (Krebs. Antib. p. 408), Sal. sexies usus est; coni. praes. ut h. l., Iug. 10, 4; *queunt* Iug. 44, 5; *quivit* Iug. 97, 4; *quiverunt* Iug. 58, 3; *quivissent* Iug. 97, 4.

21. *cavete*] Z. § 624; Rsh. § 167, 2, N. 1, p. 619. „Non male Herzogius observat, particulam (*ne*) tum tantum omitti posse, ubi *res*, quam caveri velimus, magis efferatur; ubi vero *cavendi* notio, sive cautela ipsa praevaleat, non recte *ne* abesse; coll. Caes. B. G. VII, 2." Kritz. Eam ob caussam Caes. locum Herz. attulit, quo in legum formulis non omitti demonstraret. — *trucidemini*] Hoc verbum cum saepe de pecoribus dicatur, aut adiuncta habeat talia, ut *sicuti pecora*, *pecorum modo*, proprium fuisse de pecoribus caedendis credunt, quin Döderl. Syn. I, p. 41 a *tauricido* derivat. Mihi cum *truncus* cohaerere videtur, cum subst. *trucidatio* ap. Plin. Hist. N. XVII, 27, 45 de amputandis ramis arborum dictum sit. Illud certum est, eo verbo, ut simili *iugulare*, semper necem crudelem significari. — Salustium, quod hanc orationem rerum narrationi interposuerit, quodammodo vituperare videtur Drum. V, p. 567, N. 50 haec scribens: „*Es ist zu bedauern, dass Salust nicht statt der Rede des Catilina eine genauere Beschreibung des Oertlichen und der Stellungen gegeben hat.*" Quare haec videntur monenda. Semper hoc illius potissimum consilium fuit, ut quo animo singulae res gestae essent, quam maxime perspicue declararet. Iam qua alia re magis, quae Catilinam eiusque exercitum tam ad extrema omnia paratos fecissent, illustrare potuit, quam cum ipsum ducem milites cohortantem nobis proponeret? Quanta arte eam orationem composuerit (vid. ad 57, 6), ex his potissimum mihi videtur elucere. Primo sententiae omnes tales sunt, quae etiam timidos ad desperatam fortitudinem excitent. Atque initio callide illud institutum est, ut Cat. non eo se milites advocasse dicat, quo iis animum addat; ita enim illis nullum opprobrium facit, sed captat benevolentiam; deinde autem gravissimos quasi stimulos adiicit, cum eam rerum condicionem esse declaret, ut in nulla re nisi in victoria spem habere possint, ea vero reportata non solum omnia pericula et incommoda depulsa, sed etiam amplissima praemia, maxima bona conquisita fore; quibus

LIX. Haec ubi dixit, paululum commoratus, signa canere iubet, atque instructos ordines in locum aequum de-

---

dictis in hostes contemptum movet, suis fiduciam facit; postremo quo maxime iram commoveat, quae captis exspectanda sint, ante oculos ponit; nihil sibi superesse, nisi mortem aut victoriam; quare monet, ut si fortuna ipsis inviderit (virtutem enim non defuturam), certe ne inulti pereant, caveant. Tum omnia brevissime dicta sunt, ut tamen nihil, quod necessarium, omissum sit. Nullum profecto in omni oratione verbum languidum est aut tenue, omnia gravia, fortia, quasi tonantia. Denique singulae sententiae paene omnes nullo vinculo inter se colligatae sunt, quo admirabilis orationi vis additur.

LIX. Quo tempore pugna illa facta sit, non notavit Sal., quamquam ex omni narratione apparet, haud ita multo post supplicium de Lentulo, Cethego, ceteris sumptum Catilinam interiisse. Dio Cass. XXXVII, 39 proelium non multo post commissum esse tradit, quam D. Iunius Silanus, L. Licinius Murena consulatum inierunt (a. u. 692; 62 a. Chr.), atque ex Cic. pr. Sest. 5, 12 comperimus, hieme, cum Apenninus nivibus ac pruina tectus esset, Catilinam e montibus descendisse. Iam tum Romae temporum rationes ita confusae erant ac turbatae, ut coss. illos magistratum iniisse d. IV. Mart. anni Iuliani 62, credibile sit; cfr. Ideler, Handb. d. Chronol. II, p. 115. Quare cum Catilina exierit Roma post VIII. d. m. Nov. a. u. 691, qui incidit in Ianuarium a. 62 ex Kalendario Iuliano, veri simile est, expeditionem contra eum susceptam esse ineunte mense Februario, finitam primis Martii diebus; cfr. Idel. l. c. p. 111; quamquam vere Drum. V, p. 566, n. 46 nihil pro certo affirmari posse scribit, nisi hieme pugnam illam factam esse. Quo iure Herzogius infra ad § 4 eam d. V. m. Ian. commissam esse dixerit, equidem nescio.

1. *signa canere iubet*] In diversas sententias abierunt grammatici, cum alii in talibus locutionibus *canere* verbi neutralis vim ac naturam habere censerent, alii ubique subst. *tubicines* supplendum esse. Nos ut illorum rationem veriorem iudicemus, his caussis movemur. Primum, id quod verissime Kritzius monuit, nulla caussa exputari potest, cur Romani, si sibi conscii essent, *signa* accusativum esse, ubi brevitati studerent, activo quam passivo uti maluerint (ut *iussus est* Caes. B. C. III, 82, 1), quo durities quaedam orationis evitaretur. Tum ita fere fert natura hominum, ut in iis, quae multo usu vulgata sunt, originis prorsus immemores, facile a natura alicuius vocis deflectant (cfr. Held. ad Caes. B. C. III, 92, 4). Deinde quis Liv. XXVI, 46 init.: *Romani — et primo haud impari stetere acie; subsidia deinde*

ducit. Dein, remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam, uti planities erat inter 2

---

itentidem immissa e castris non averterunt solum in fugam hostes, sed adeo effusis institerunt, ut nisi receptui cecinisset, permixti fugientibus irrupturi fuisse in urbem viderentur, quin *cecinisset* impersonaliter dictum sit dubitabit? Nam si plene Livius vellet dicere, non debebat scribere: tubicen cecinisset, sed: dux tubicinem receptui canere iussisset, ne, quod a duce institutum esset, tubicinis consilio tribueretur. Cfr. III, 22 extr.: *inde signum observare iussit, ut pariter et socii rem inciperent referrentque pedem, si receptui cecinisset*, quamquam ibi ex praecedentibus *signum* poterit suppleri. Et ap. eund. XXVIII, 27 extr.: *in praetorio tetenderunt Albius et Atrius; classicum apud eos cecinit; signum ab iis petitum est; sederunt in tribunali P. Scipionis;* orationis aequabilitas videtur postulare, ut *classicum* pro nominativo habeatur. Postremo *signum canit* ne habet quidem tantum offensionis. Quemadmodum enim *tibiae*, *tubae canere* dicuntur (Freund. Lex. s. v. I, 3), cum proprie iis canant homines, sic facile *signa* ipsa *canere* dici possunt. — *Dein*] Gerl. in ed. mai. *dein* tantum in uno Rivii, Tur. 1. et Bas. 1. exstare monuit, at in min. nihil varietatis annotavit. Cum igitur, si illius silentio tantum tribuendum, ad illos etiam reliqui praestantissimi libri accedant, non mutandum duxi. — *remotis omnium equis*] Compararunt iam alii Caes. B. G. I, 25: *Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut aequato omnium periculo spem fugae tolleret;* coll. Liv. III, 62. Haud alio consilio Spartacus ante pugnam ad fluvium Silarum commissam equum suum trucidavit; Plut. Crass. c. 11. De *amplus* vid. ad 8, 2. — *exercitum pro loco atque copiis instruit*] Rectissime Fabrius monuit, *copias* non tantum ad numerum, sed etiam ad armaturam, exercitationem, virtutem militum referri. Ceterum tirones, ut recte hunc locum intelligant, moneo, diversa esse *ordines instruere* atque *exercitum instruere.* Illud dicitur de militibus suam quibusque in centuriam ordinandis, hoc de acie totius exercitus disponenda. *Militibus* in concionem advocatis ordines turbati erant; concione dimissa omnes suis quique ordinibus sese adiungebant; ita instructi ordines in locum aequum deducti sunt, ibi autem acies instructa. De vocabulo *ordo* cfr. Iug. 49, 6; 50, 4; 51, 1, 3; 80, 2; 97, 5; 101, 1. —

2. *Nam, uti planities erat inter sinistros montis et ab dextera rupe aspera*] De adv. *uti* vid. ad 31, 7. — Utrum Sal. *dextera*, an *dextra* scribere maluerit, nunc quidem diiudicari nequit. In edit. mai. Gerl. ubique contractam formam praeoptavit

sinistros montis et ab dextera rupe aspera, octo cohortis

(Cat. 58, 8; 59, 2; 3; Iug. 10, 3; 11, 3; 49, 6; 50, 4; 101, 9) et ad h. l. *dextra* in Bas. 1. 4. Bern. 2. esse testatus est; contra Iug. 10, 3 *dexteram* in Bas. 1. Bern. 4.; 50, 4 *dextra* notavit ex Bas. 1. m. pr. Fabr. 1. Franc. Teg. Tur., quamquam suspicor eum in hac varietate annotanda verborum ordinem spectasse, formam neglexisse. In ed. min. idem ubique formam pleniorem praetulit praeter Iug. 101, 9, ubi decurtatam formam in p. exstare monuit. Hoc loco *dextera* esse monuit in plt.; Iug. 49, 6 in pe.; 50, 4 *dextra* ex t. notavit; reliquis locis nihil ascripsit. Fragm. p. 202, 18 *dexterum* legitur. — Sed maximam dubitandi materiam praebuerunt ultima verba. De libris Gerl. in ed. mai. haec: „*rupe aspera.* ita plurimi et optimi Cortii libri, ex Leid. e. i. h. k. l. Mark. *A*. Reg. [in Comm. p. 194 addidit: „confirmat optimus quisque ex Italicis codicibus"]. *rupem asperam* Paris. b. Leid. n. plures Gruteri. Bas. 4. *rupes asperas* Leid. e. m. sec. *rupes aspera* Manutii et Glareani libri, excellentiores Grut. m. sec. tres Wass. Bas. 2. m. sec.;" in ed. min.: „*rupe* bpvelt. sed in b. s. in fine † (i. e. erasum. Orell. annot.: „*rupes* Cod. Basil. a. priori manu")." Igitur *rupe aspera* plerisque et optimis libris munitum est. Quod auctore Cortio Gerlachius ita defendit, ut Sal. quo esset structurae variandae studio, cum pergere deberet: inter sinistros montes et dextram rupem asperam, pro eo ablat., quem Grammatici qualitatis vocant, ad *planities* retulerit. Quae si recte intellexi, haec duo membra: planities erat inter sinistros montes, et dextras rupes et: planities erat ab dextra rupe aspera, in unum confusa esse voluit. Quae ratio omnem orationis perspicuitatem tollit. Qui enim, quae ad alicuius loci fines pertinent, cum iis commisceri possunt, quae ad eius naturam? Si quis *rupe aspera* praedicatum nominativi *planities* esse velit, una tantum est via difficultatum expediendarum, ut post *ab dextera* ex praecedentibus iterum acc. *montis* assumatur et sententia sit: uti planities inter montes, qui sinistri et ab dextera erant, rupe aspera erat. Quae ratio vix cuiquam placebit, cum paene supervacaneum sit, in talibus *sinistros* et *ab dextera* addere et, uti verba ordinata sunt, unusquisque post *ab dextera* alterum a priore diversum adiici exspectet. Illud certe nemini offensioni erit, quod adiectivo *sinistros* respondet *ab dextera*, cum Sal. orationem quam maxime variare amet atque etiam alibi praepos. cum casu suo pro adi. aut membro relativo posuerit; cfr. 3, 2 ibiq. ann. meam. Quae cum intellexissent Kritzius et Orellius, Bipontinorum coniecturam comprobaverunt: *rupis aspera*, ad quam ducere dictitarunt scripturam *rupes;* librarios enim *rupis*, accusativum plur. opinatos, in *rupes* mutasse.

in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio artius

Contra quam scripturam haud sane idonea argumenta protulit Gerlachius. Primum enim offendere dixit poëticam dicendi rationem in loci descriptione, ubi orationis planitatem potius, quam sententiarum ornamenta scriptor spectasse videretur. At eum usum cum omnino pedestribus scriptoribus non insolitum esse probant exempla a Kritzio congesta, Liv. XXVII, 8, 10; XXVIII, 20, 3; Tac. Ann. I, 61; II, 69; IV, 41; 59; coll. Z. § 435, tum a Salustio non alienum esse, ea, quae nos ad 52, 6 disputavimus. Omnino *aspera* apud veteres substantivi naturam videtur induisse; cfr. Suet. Tib. 60: *quod is a tergo insulae per aspera et devia erepsisset ad se;* Tac. Ann. IV, 6, 4: *quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam ivit*, qui locus per se satis valet ad defendendum *rupis aspera.* Multo minus accipi potest, quod addit ille, *aspera* non esse notionem primariam, sed potius *rupes*, planitiem enim non asperitate rupis coarctatam fuisse, sed rupe aspera. Estne tandem *rupis aspera* idem atque rupis asperitas, et quid hoc est, nisi scriptori suas opiniones obtrudere? Falsissimum autem est, quod tum adiicit, *inter* ubi ad duo substantiva referatur, priori fere postponi, quod cum hoc loco non factum sit, inde recte concludi, non ad remota verba *rupe aspera* vim praepositionis pertinere. Numquam enim a Sal. praepos. *inter* postposita est, tribus vero locis eodem ordine, quo h. l., collocata: Iug. 75, 2: *inter Thalam flumenque proxumum;* 78, 5: *inter illos et frequentem Numidiam;* 110, 8: *flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit* (paulo diversi sunt loci Cat. 52, 22 et Iug. 16, 2). Vides igitur, nihil obstare coniecturae illi; sed cum cauti critici sit, a librorum fide non recedere, nisi, quod illi tuentur, prorsus ineptum sit, *rupe aspera* retinendum eaque ratione explicandum censeo, quam demonstravit Fabrius, ut *aspera* dictum sit pro: aspera loca, atque huic adiectus ablat. *rupe*, quo explicetur. At tum iusto obscurius locutum esse Salustium multi clamabunt. Concedo nobis, maxime tironibus haec obscuriora esse; Romanis lectoribus certe multo minus erant, quippe qui etiam 20, 10 *illis* pro dativo habere non dubitarent. Praeterea librorum variis scripturis minime efficitur, ut *rupe aspera* falsum videatur. Etenim haud procul a vero videtur ea suspicio abesse, librarios, cum *aspera* praedicatum substantivi *planities* putarent, atque accusativum, qui ad *inter* referretur, requirerent, alios *rupem*, alios *rupes* scripsisse, alios etiam audacius *rupem asperam* restituisse. — *octo cohortis*] Cohortem si ponas, quod minimum, trecentorum hominum fuisse, milites vero in subsidio collocatos paulo minore numero, quam in fronte constitutos, certe Drumanno (V, p. 567,

3 collocat. Ab his centuriones, omnis lectos, et evocatos,

---

n. 48) assentieris, plus tria milia militum Catilinam in aciem eduxisse. Hunc numerum memoriae prodidit Dio Cass. XXXVII, 40. — *reliquarum signa*] Ne cum Kritzio *reliqua signa*, quod pauci neque ii boni libri exhibuerunt, comprobes, cavit Fabrii diligentia prolatis exemplis Tac. Hist. III, 2; Agric. 18; Liv. XXX, 11; XXIX, 28; quae exempla arguunt, *signa* etiam ubi cum gen. partem exercitus significante coniungatur, non semper de ipsis vexillis intelligendum esse. — *artius*] Cfr. Iug. 52, 6: *aciem, quam diffidens virtuti militum, arte statuerat;* 68, 4: *equites in primo late, pedites quam artissume ire iubet;* cfr. ad Iug. 45, 2. — *in subsidio*] *Subsidium* ea pars aciei vocabatur, quae reliquis submitti posset (Caes. B. G. II, 25, 1); cfr. infr. 5; Iug. 49, 6, ubi vid. Plerumque triarii *subsidia* appellari solebant.

3. Etiam in his nonnulla obscuriora sunt. Primum illud rectissime Kritzius monuit, praepositionem *ab* loci vim habere sensumque esse: ab ea parte, ubi subsidium erat, amotos subducit. Deinde *lectos*, pro quo nonnulli scripserunt *electos*, optimi plerique libri tueri videntur; certe Gerl. in ed. min. nihil monuit, nisi *electos* in t. in ras. scriptum esse. Ut prima verba legentes de militibus cogitemus, qui in dignitate aliqua essent, eo cogimur, quod in sequentibus seiunguntur *gregarii*. Iam, cum nusquam legamus, *lectos* apud Romanos certum militum ordinem fuisse, *lectos* cum *centuriones* coniungendum esse manifestum est. Induit id participium adiectivi naturam et significat eos, qui ad aliquam rem maxime idonei, dignissimi, praestantissimi sunt, velut 50, 2: *familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam* (etenim Cethegus legerat servos atque libertos suos, cum eos tantum admitteret, qui ad audaciam idonei viderentur); Cic. d. Inv. I, 31, 52: *Quare nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit;* in Verr. II, I, 6, 15: *lectissimi viri atque ornatissimi.* Iam verba *centuriones omnis lectos* alio modo accipi non possunt, nisi ut omnes centuriones a C. in primam aciem subducti iique omnes lecti milites fuisse dicantur („*die Centurionen, lauter ausgesuchte Leute*"). Nam ne cum Kritzio sic locum accipias: centurionum praestantissimum quemque („*lauter ausgesuchte Centurionen*"), ratio ac Latini sermonis consuetudo obstat; nec magis recte *omnis* cum *centuriones* coniungas, cum tum *lectos* prorsus nude positum esse. Et veri simillimum sane est, C. nemini in exercitu suo centuriatum permisisse, nisi qui fortissimus et manu promptissimus esset. Quae qui vera iudicaverit, non dubitabit, quin *evocatos* participium non sit. Etenim sive cum *centuriones* coniungitur, concinnitas orationis postulat,

praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextra, Faesulanum quendam in sinistra parte curare iubet; ipse cum

---

ut eadem atque *lectos* vi sit; sive per se positum iudicatur, substantivi naturam habeat, necesse est. Utra ratio verior sit, difficillimum est ad diiudicandum. Constat *evocatos* a Romanis eos milites appellatos esse, qui cum legitima stipendia iam meruissent, tamen ab imperatore ad militiam precibus aut promissis commoti castra sequebantur; quos pari fere honore in exercitu fuisse, atque centuriones, apparet ex Caes. B. C. I, 17 extr., ubi vid. interpr. Quales milites quo minus intelligamus, non obstat illud, quod quidam monuerunt, Catilinae neque iustum exercitum fuisse, neque evocandi more imperatorum potestatem. Quid enim? Nonne C. omnibus in rebus Romanorum exercituum rationem ac morem imitatus erat? Nonne legiones, cohortes, manipulos descripserat, centuriones praefecerat, aquilam praeferri, signa canere iusserat, quin imperatorum more milites cohortatus erat? Cuinam igitur incredibile videatur, eos, qui iam confectis stipendiis essent, eodem nomine insignitos iisdemque honoribus usos esse, quibus apud Romanos imperatores? Iam fieri quidem potuit, ut omnes centuriones in Catilinae exercitu evocati essent, sed multo veri similius est, etiam multo plures fuisse evocatos, qui non essent centuriones. Quare mihi quidem magis placet, *evocatos* per se commemoratos et a *gregariis* distinctos esse. Habuit aperte C. hoc in consilio, ut primam aciem quam validissimam faceret; qua in re parum caute ac prudenter egisse videtur. Cum enim omne exercitus robur in prima acie collocasset, quam spem in subsidio habere poterat? Sed omnino non tam victoriam sperasse, quam id egisse videtur, ne inultus periret. — *optumum quemque armatum*] Refutatione non egere videtur eorum opinio, qui aut *optumum* pro adv. dictum, aut *armatum* delendum putarunt. Cum enim iam supra Sal. tradiderit, non omnes C. milites militaria arma gestasse, cur addiderit illud *armatum*, nemini dubium erit. *Subducere* autem in re militare solemne est de militibus, qui ab eo loco, quem in ordine tenent, aut ante tenuerant, in alium ducuntur; cfr. Iug. 98, 4. — *Faesulanum quendam*] Drum. V, p. 567 hunc P. Furium fuisse existimat, quem Cic. in Cat. III, 6, 14 testatur ex iis colonis fuisse, quos L. Sulla Faesulas deduxerat, et in quem, si deprehensus foret, supplicium decretum erat, quoniam in Allobrogum sollicitatione versatus erat (supr. c. 50, 4). — *curare*] Comparavit Fabrius Iug. 46, 7; 57, 3; 60, 1 et 5; 100, 2, quorum locorum in ultimo verbo illi ablativus adiunctus est. — *cum libertis et colonis*] Quoniam in omnibus libris (exceptis quattuor, ut ait

libertis et colonis propter aquilam assistit, quam bello
4 Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex
altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod proelio ad-
5 esse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille

Kritzius) *libertis*, non *libertinis* legitur, manifestum est, de iis tantum cogitari posse, quos ipse C. manu miserat (cfr. ad 50, 1). Eos sine dubio propterea corporis sui custodes esse voluit, quod sibi fidissimos, quippe tanto beneficio obstrictos, arbitrabatur. Quod Drum. l. c. n. 50 suspicatus est, illis mandatum fuisse, ut eum, si alio modo captivitatem effugere non posset, interficerent, utique in incerto est relinquendum, quamquam haud raro patroni tale officium pro munere libertatis sibi efflagitarunt. Inter eos libertos fuit fortasse Sergius ille, quem Catilinae armigerum fuisse, comperimus ex Cic. pr. dom. 5 et 6; cfr. Drum. V, p. 416 et 550. *Coloni* sunt milites, a Sulla in colonias deducti, qui sine dubio omnes evocati erant. Maior autem fides Salustio habenda videtur, qui nusquam servos in Cat. exercitu fuisse commemorat, quam Dioni Cassio XXXVII, 33, qui tum, cum maxima militum pars dilapsa esset, servos ab eo ascitos esse auctor est. — *propter aquilam*] *Propter* (factum ex *propiter*), locorum vicinitatem significans, praeter h. l. in Cat. et Iug. non legitur. Aquila illa argentea fuit (Cic. in Cat. I, 9, 24). Eorum signorum quaedam religio erat (quare in sacello ponebantur; cfr. Matth. ad Cic. l. l.), eo sanctior, si iam diu a victoribus exercitibus gestata essent. Videbatur enim in tali signo firma quaedam victoriae spes inhaerere. — C. Marius bellum Cimbricum (113—101 a. C.) administraverat per quattuor annos (104—101), duobusque maximis proeliis, Teutonibus et Ambronibus apud Aquas Sextias oppressis, Cimbris in Campis Raudiis deletis, civitatem Romanam internecionis periculo liberaverat.

4. *M. Petreium* eundem fuisse nonnulli putarunt, qui postea Pompeii legatus in Hispania contra Caesarem bellum gessit. Sed cum illum Sal. tradat iam amplius triginta annos in exercitibus fuisse, et Pompeii legatus non multum virtute bellique peritia valuerit, vere Drum. V, p. 566 videtur iudicasse, illum ab hoc diversum fuisse. Praeter eum P. Sestius quaestor, quem postea Cicero oratione defendit, Antonium custodiebat et ad strenue agendum stimulabat. Hunc autem, ut pedum aegritudine, qua vere laborabat, praetextu uteretur, quo exercitum M. Petreio traderet, illud potissimum videtur permovisse, quod nolebat confligere cum eo, quem socium atque amicum habuisset. Cfr. Drum. l. c. p. 565. Veri simile etiam illud est, Catilinam, cum ignoraret, imperium M. Petreio permissum esse, propterea maluisse cum C. Antonio,

cohortis veteranas, quas tumulti caussa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat; ipse equo circumiens unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, ut meminerint, se contra latrones inermis, pro pa-

---

quam cum Q. Metello manus conserere, quod illum minus fortem ac strenuum esse certo sciret, et ab eo salutis viam sibi non interclusum iri speraret. — *nequibat*] Verbo *nequeo* satis frequenter Sal. usus est; praes. Cat. 20, 12; 49, 4; Iug. 14, 11; Fr. 186, 5; 207, 15; 211, 1 (*quod ego nequeo satis mirari*); impf. praeter h. l. Iug. 56, 2; perf. coni. Cat. 18, 3, quamquam is locus admodum suspectus est; 34, 2; 58, 4; Iug. 4, 4; plsqpf. ind. Iug. 50, 6; 54, 8; 86, 5; coni. Iug. 15, 1; inf. pf. Cat. 19, 4; Iug. 102, 13; 108, 2; part. praes. *nequiens* Fr. 222, 31; *nequeuntes* Fr. 216, 11. Et quamquam *possum* saepissime in negativis sententiis legitur, tamen *non possum* ita rarum est, ut sex tantum locis inveniatur: Iug. 23, 2; 40, 2; 54, 5; 85, 29; 90, 1; 98, 1. Quid discriminis inter *nequeo* et *non possum* intercedat, qui dicere velit, ad argutias confugiat, necesse est. Videntur originatione, nec tamen vi atque usu diversa fuisse.

5. *tumulti caussa*] *Tumultus* est repentinum belli ipsam urbem infestantis periculum; cfr. Cic. Phil. VIII, 1, 2 sq. Alias ap. Sal. est terror aut strepitus (Cat. 43, 2; 45, 2; Iug. 12, 5; 38, 5; 53, 7; 57, 3; 58, 4; 60, 5; 66, 4; 72, 2; 99, 3). *Tumulti* ab Sal. scriptum esse Nonius VIII, 50 et Leid. L. testantur; etiam in t. id fuisse auctor est Gerl. Cur nobis veri simile videatur, eam antiquiorem formam (Schneider, Formenl. I, p. 471) a Sal. scriptam esse, ad 30, 3 explicavimus. — *ipse*] Non dubium est, quin *ipse* pariter atque *ille* ad M. Petreium referendum sit. Opponuntur ea, quae ille alios facere iusserat, iis, quae ipse pro sua persona peregit. Illud autem Salustii negligentiae tribuendum est, quod *conscripserat* ita posuit, ut necessario ad M. Petreium referendum sit, cum legato non esset potestas milites conscribendi, sed imperatori Antonio. — *nominans appellat*] Commode monuit Herzogius, milites plurimi fecisse, si a ducibus nominibus suis appellarentur; etenim cum ipsi illis noti essent, praemiorum ac laudis firmiorem spem sibi habere videbantur. — *inermis*] Hanc scripturam retinendam censui, cum omnes libri praeter Ursinianum, qui tenet *inermos*, formam tert. decl. tueri viderentur et firmaret Arus. Mess. p. 218 ed. Lindem. Iug. 54, 10 *inermes* nom. sine varietate legitur; 66, 3 *inermos* Gerl. in ed. mai. testatus est in Bas. 1. Leid. 1. duobus Rivii exstare (adde Paris. Z.), in min. *inermes* ex nullo libro, nisi ex t. notavit; 94, 2 *inermos* Fabric. 1. m. pr. Leid. a. b. l (l.). Tur. (t.) tuentur, *inermes* ex bp. nota-

6 tria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

LX. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortis paulatim incedere iubet, idem facit ho-

---

tum est, sed videtur etiam in reliquis esse; 94, 5 nom. *inermes* rursus sine var. legitur; 107, 1: *ab inermis pedibus* unus tr. *inermibus* exhibet, illud Non. VIII, 75 munit; 113, 6: *inermis* Dat. plur. tuentur Paris. b. c. z. Görl. et Berol.; *inermes* Berger. Guelf. 10. et Misn.; de reliquis non constat. — *certare*] Cum in Bongarsii libro et Bern. 3. *cernere* inventum esset, in Thosan. *decernere*, in Fabric. 1. *cer..re*, Kritzius, Cortio obsecutus, *cernere* restituit, verbum, quod apud antiquiores tantum in usu fuisset, a librariis in usitatius mutatum esse censens. Quod quamquam non sine veri quadam specie contendit, nobis tamen in plerorumque librorum scriptura acquiescendum videbatur.

6. *Homo militaris*] Cfr. ad 45, 2. — *annos triginta*] Plerique libri accusativum tuentur, septem ablativum exhibent; qui quamquam defendi poterit, cum abl. temporis mensura significetur (Rsh. § 148, p. 454; Z. § 396; Iug. 54, 1), tamen librariorum imprudentiae tribuendus videtur. Vid. ad 56, 2. — *Praefecti* plerumque appellabantur, qui equitibus praeerant; vid. Ern. clav. Cic. s. v.; Held. ad Caes. B. C. I, 21, 2. Maiore in honore fuisse videntur, quam tribuni. *Praetor* autem quod appellatur M. Petreius, inde non concludendum est, eum praeturam Romae gessisse, cum praetores appellarentur omnes, qui cum imperio militibus praeessent, ut Q. Minuc. Thermus ap. Caes. B. C. I, 12, 1. In ultimis verbis minime inest, quod Drum. l. c. p. 567 inesse voluit: „*begeistert forderten sie das Zeichen zur Schlacht.*"

LX. 1. Recte a viris doctis intellectum est, protasin finiri verbo *iubet*, apodosin esse *idem facit hostium exercitus.* Etenim per se apparet, verba: *cohortis paulatim incedere iubet* et praecedentia coordinanda potius fuisse, quam alterum alteri subordinandum. Deinde, si ita locum accipi voluisset, Sal. scripsisset: *Sed Petreius, ubi* cet. At haec praecedentibus non recte opponerentur; nam cum illa ad Petreium spectent, opponi non possunt per *sed* particulam, quae idem fecit, sed quae hostes egerunt. — *Paulatim incedere* est: lento gressu. Cfr. Iug. 50, 2: *paulatim procedere;* 52, 5: *paulatim suos in aequum locum deducit.* Prudenter duces instituerunt, ut antequam manus consererent, mi-

stium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a feren- 2 tariis proelium committi posset, maxumo clamore cum infestis signis concurrunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, cominus acriter in- 3 stare; illi haut timidi resistunt, maxuma vi certatur. Interea 4

---

lites lento gressu incederent, ne cursu exanimarentur et lassitudine conficerentur. Cfr. Caes. B. C. III, 92, 2 ibiq. interpr. Drum. V, p. 568 coll. III, p. 513.

2. *Ferentarios* milites levis armaturae fuisse, satis constat. *Depugnabant fundis et lapidibus*, ut ait Varro Fragm. d. vit. po. Ro. lib. III (cfr. eund. d. L. L. VI, p. 341 Speng.). Ab *ope* sive *auxilio ferendo* appellatos fuisse apparet ex Plaut. Trin. II, 4, 55; cfr. Lindem. ad Fest. p. 320. — *cum infestis signis*] Insolentius Sal. praepos. *cum* addidit; *infestis signis* frequentissimum est. *Infesta* dicuntur omnia, quibus infestantur hostes, quibus impetus fit in hostes; quare Caes. B. C. III, 93, 1 scripsit: *cum infestis pilis procucurrissent.* — *pila omittunt*] *Pila* sic describit Polyb. VI, 23, 10 sqq.: *ἁπάντων δὲ τούτων (τῶν ὑσσῶν) τὸ μῆκός ἐστιν ὡς τρεῖς πήχεις. προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτὸν, ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις· οὗ τὴν ἔνδεσιν κατὰ τὴν χρείαν οὕτως ἀσφαλίζονται βεβαίως, ἕως μέσον τῶν ξύλων ἐνδέοντες καὶ πυκναῖς ταῖς λαβίσι καταπερονῶντες, ὥστε μὴ πρότερον τὸν δεσμὸν ἐν ταῖς χρείαις ἀναχαλασθῆναι, ἢ τὸν σιδηρὸν θραύεσθαι, καίπερ ὄντα τὸ πάχος ἐν τῷ πυθμένι καὶ τῇ πρὸς τὸ ξύλον συναφῇ τριῶν ἡμιδακτυλίων.* Ea pila primo gesserant soli triarii, unde *pilani* dicti, postea iam inde a medio saeculo quarto principes et hastati; cfr. Nieb. Hist. R. III, p. 116; Held. ad Caes. B. C. I, 13, 1; B. G. I, 25, 2. Primo Romani solebant pila eminus in hostes coniicere, tum demum manus conserebant et gladiis rem gerebant; in illa vero pugna tantus erat furor militum atque ardor rei conficiendae, ut statim gladiis cominus dimicarent. — Cur *res agitur*, quod in nonnullis libris legitur, mihi minus rectum videatur, quam *res geritur*, explicabimus ad Iug. 30, 1. —

3. *pristinae virtutis*] Teneant tirones, *pristinus* semper dici de rebus, quae et quales antea fuerunt; cfr. Schmalf. Lat. Syn. p. 193. Quare admodum frequentata est formula: *memores pristinae virtutis* Cat 58, 12; Iug. 49, 2: *memores pristinae virtutis et victoriae*, i. e. memores, qualem antea virtutem ostenderint, qualemque victoriam reportarint. Infra § 7 C. dicitur *memor generis atque pristinae suae dignitatis;* etenim tum dignitatis statum non amplius obtinebat.

Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentes interficit; deinde utrim-

---

4. C. primo propter aquilam adstiterat, quae vix dubium est, quin post mediam primam aciem collocata fuerit. Ab eo loco, ubicunque suos laborantes conspiciebat, eo succurrebat. — *accersere*] Vid. ad 40, 6; de *providere* ad 51, 2. — *hostem ferire*] Proprie *ferire* est pulsare (Iug. 76, 6: *murum arietibus feriri*), tum caedere. *Hostem ferire*, quoniam ille repugnat, corpusque tegit, et dexteritatis est et virium. Cfr. Cat. 7, 6; Iug. 6, 1 (*leonem*); 85, 33; 50, 4: *ipsi modo eminus sauciabantur neque contra feriundi aut manum conserendi copia erat.* — *exsequebantur*] Cfr. ad 16, 2. Quam apte variata sit oratio, facile intelligent tirones. Etenim infinitivis singulas res, quas gessit, enarrantur, ultimo enuntiato in unum comprehenduntur.

5. *tendere*] Simplex v. *tendere*, pro quo nonnulli libri aut *contendere* aut *intendere* exhibent, satis defenditur exemplis a Cortio collatis, Liv. XXXII, 32, 7: *quod summa vi ut tenderent, amicis et propinquis mandaverat;* Tac. Ann. II, 74: *Marsius acrius tendenti Sentio concessit;* Hist. I, 28: *ac si contra tenderet, exitium metuens.* Falso autem Herz. *contra* cum *tendere* in unam notionem coniungendum esse docuit, nec magis recte alii *tendere* pro *contendere* dictum esse contenderunt. *Tendere* est: vires exercere; *contendere* aut cum alio vires exercere (i. e. certare), aut omnes vires una tendere. De *contra ac* vid. Z. § 340; Rsh. § 188, B. 6, p. 813. — *cohortem praetoriam*] Mos erat apud Romanos, ex antiquissimis temporibus receptus, ut duces exercituum sibi e fortissimis militibus manum legerent, quae circa ipsorum corpora custodias ageret. Ea manus vocabatur *cohors praetoria.* Cfr. Caes. B. G. I, 40, 3: *Quodsi praeterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, sibique eam cohortem praetoriam futuram;* coll. B. C. I, 75, 2. C. Marius turmam equitum circum se habebat; cfr. Iug. 98, 3; et vid. ad Iug. 64, 4. Consentaneum autem est, cohortem praetoriam in subsidiis locatam et tum demum a Petreio in hostes inductam esse, cum omnes reliquae copiae iam manus conseruissent; cfr. Drum. V, p. 568. — *utrimque ex lateribus ceteros aggreditur*] Petreius, repulsa ac disiecta media hostium acie, cornua illorum ab lateribus

que ex lateribus ceteros aggreditur. Manlius et Faesulanus 6
in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias seque 7
cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos hostis incurrit, ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae.
Nam fere, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, 2
eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos 3

---

habebat; iam diductis atque in utramque partem conversis ordinibus utrumque cornu ex latere, dextrum a sinistra, sinistrum a dextra, adortus est. *Utrimque* igitur cum *aggreditur* coniungendum est; nos diceremus: „*auf beiden Seiten.*“ Simili modo *utrimque* dictum est Iug. 92, 7: *iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum.* Parum accurate haec ex Sal. retulit Drum. l. c.

6. *in primis*] Dubitari poterit, utrum *in primis* ad tempus, an ad locum spectet, utrum cum *cadunt*, an cum *pugnantes* coniungendum sit. Cum autem veri simile videatur, Salustium illorum virtutem et audaciam laudare voluisse, — illos vitae suae non pepercisse, sed primis ordinibus se immiscuisse, quo ceteris fortitudinis exemplum praeberent — *in primis* cum *pugnantes* coniungo et hanc sententiam esse statuo: cum inter primos, in primis ordinibus pugnarent. —

7. *relictum*] Neutiquam pro *desertum* dictum est. Sal. nihil aliud significat, nisi Catilinam in loco restitisse, cum reliqui omnes iam fugissent. — *pristinae suae dignitatis*] Parum caute egerunt, qui *suae* ideo, quod in nonnullis libris loco suo motum esset, eiiciendum censuerunt. Nam si abesset, verba *pristinae dignitatis* de maiorum gloria intelligi possent; at Sal. hoc vult: memor et maiorum gloriae et eius, quam ipse habuerat, dignitatis.

LXI. 1. *tum vero*] Vid. ad 37, 4; de coni. impf. *cerneres* cfr., quae ad 25, 3 protulimus.

2. *vivus*] Parum idoneis caussis hoc verbum a quibusdam deletum esse, recte intellexerunt novissimi editores. Nemo profecto, qui Salustii indolem norit, quin hoc loco verbum aliquod illis *amissa anima* opposuerit, dubitabit.

3. *quos medios*] „*medios* non est: in media acie aut in medio collocatos, sed cum *disiecerat* coniunctum valet: quos coh. pr. medios perruperat disieceratque, vel: quos c. pr. media acie per-

medios cohors praetoria disiecerat, paulo divorsius, sed
4 omnes tamen advorsis volneribus conciderant. Catilina vero
longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum
etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in
5 voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in proelio
6 neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est. Ita
7 cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque ta-
men exercitus populi Romani laetam aut incruentam victo-
riam adeptus erat; nam strenuissumus quisque aut occiderat
8 in proelio, aut graviter volneratus discesserat. Multi au-
tem, qui de castris visundi aut spoliandi gratia processe-
rant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospi-
tem aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos

---

rupta disiecerat.“ Kritz. — *paulo divorsius*] i. e. ut magis dissipati iacerent. — *sed* — *tamen*] Ne aut *tamen* aut *sed* otiosum esse opineris, tenendum est, plene sic dicendum fuisse: sed, quamquam divorsius singuli, omnes tamen cet. *Advorsa volnera* sunt in ea parte corporis accepta, quae hostibus adversa est; cfr. Iug. 85, 29.

4. *etiam*] *Etiam* h. l. dictum est de tempore, nostrum: „*noch.*“ Vid. Grysar. Theor. d. L. St. p. 475, 2; Cic. in Cat. I, 1, 1: *quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet!* in Verr. II, III, 23, 56: *et cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est.* Hand. Tursell. II, p. 546.

6. Ironiam facile quivis agnoscet. Quae ironia prodit, quanta aegritudine scriptor affectus sit, temeritatem et furorem illorum hominum considerans; quo credo spectare Herzogii verba: „*Man erkennt aus dieser Ironie Salust's gereiztes Gemüth.*“

7. *discesserat*] Vid. ad 39, 1.

8. *de castris*] Praep. *de* cum proprie significet: ab loco editiore, omnino de motu usurpatur, qui ab aliqua re fit; et eo facilius hoc loco usurpari potuit, cum castra Petreii in editiore loco posita fuisse, nemo infitiari possit. Vid. Hand. Turs. II, p. 185. — *visundi*] Bene monuit Fabrius, frequentativum h. l. aptissimum esse, cum significet curam quamdam ac diligentiam spectandi.

9. *laetitia*, *maeror*, *luctus atque gaudia*] Quemadmodum *laetitia* et *gaudium* differunt, ut illud diuturniorem animi habitum (cfr. ad 31, 1), hoc actum significet, quo proditur animus suaviter affectus, sic etiam *luctus* et *maeror*. Cfr. Döderl. Syn. III, p. 237. Cum *gaudia* pluralis sit, vix dubitandum videtur, quin item *luctus*.

suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, 9
maeror, luctus atque gaudia agitabantur.

Ceterum animadvertant tirones chiasmum et zeugma, cum *agitare* recte quidem ad *luctus* et *gaudia*, minus recte ad *laetitia* et *maeror* referatur. Quae Herzogius ad calcem libri adscripsit: „*Wir aber theilen als Leser am Schlusse des ganzen Gemäldes die wehmüthig bittere Empfindung, von der wir Salust durchdrungen fühlen und vergegenwärtigen ihn uns, wie er von der schroffen Höhe der kalten Reflexion im Beginn seiner Erzählung zu den sanfteren Gefühlen eines gerechten Bedauerns jenes tragischen Ausgangs herabgestiegen*," quamquam maximam partem vera sunt, tamen facile eo ducere possunt, ut false de Sal. iudicetur. Nam hoc non negligendum est, Sal. longissime a scelesto Catilinae animo abhorruisse; at illud maxime luxisse, quod civitatis mores tantopere perditi essent, ut talia scelera exsistere non modo possent, sed paene deberent. Igitur non tam Catilinae eum miseret, quamquam ita interierat, ut si pro patria sic concidisset, pulcherrima morte obiisset (Flor. IV, 1, 11), quam rei publicae, non tam Catilinae exitium eum permovet, quam belli civilis atrocitas. Catilina cum suis se perditum ierant, sed multos simul cives secum perdiderant (cfr. 36, 4), quae iusta erat doloris caussa. At in eo potissimum Salustii artem satis admirari non possum, quod res quam accuratissime quasi pingere satis habens, nullum verbum, quod suum iudicium proderet, interposuit, et tamen res ita narravit, ut neminem permovere non possint.

ADDENDUM.

Cum ea, quae ad 33, 5 de rationibus obaeratorum scripseram, iam prelo excussa essent, cognovi libellum A. C. Van Heusdii: Disquis. historico-iuridica de lege Poetelia Papiria. Traiecti ad Rhenum 1842. Qui vir doctus, postquam legem Poeteliam paulatim antiquatam esse demonstravit, ex loco illo obscurissimo Varronis d. L. L. VII, 105 concludendum putavit, per Sullam dictatorem hanc legem latam esse, ut ab addictione et vinculis liberarentur, quotquot se creditoribus satisfacere posse, solenniter in iure iurarent. Nec mirum esse dixit, Manlianos apud Sal. de lege Poetelia in desuetudinem redacta unice queri, nullamque Sullanae legis facere mentionem; illos enim, cum nihil iis superesset, unde creditoribus satisfacerent, Sullae legem non tuitam esse, quippe quae eos tantum ab addictione liberaret, qui bonam copiam iurarent. Quam sententiam quamquam mihi quidem non ab omni parte satisfacit, — obstant enim etiam huic verba illa *praetoris iniquitas*, — tamen h. l. non negligendam duxi.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

LL
S1698DiC
Sallust
Catilina et Jugurtha; ed. by Dietsch.
Vol.1.
3364